43
P.N. - 2
641502
Smithsonian
2

ATTI

DELLA

REALE ACCADEMIA DEI LINCEI

ANNO CCLXXIII.

1875-76

SERIE SECONDA — VOLUME VI.

Smithsonian Institution
301588
National Museum

ROMA
COI TIPI DEL SALVIUCCI
1880

ATTI

DELLA

REALE ACCADEMIA DEI LINCEI

ANNO CCLXXIII.

1875-76

SERIE SECONDA — VOLUME VI.

ROMA
COI TIPI DEL SALVIUCCI
1880

CODEX ASTENSIS

QUI

DE MALABAYLA COMMUNITER NUNCUPATUR

Vol. III.

PARS QUARTA ET QUINTA CODICIS

EDIDIT

QUINTINUS SELLA

LYNCEORUM ACADEMIAE CONSULTO



AUG 17 1936

ROMAE

EX TYPIS SALVIUCCI

MDCCCLXXX.

ORDO RERUM

QUAE IN VOLUMINE CONTINENTUR

PARS QUARTA CODICIS. Castra, terre et loca citra tanagrum versus Ast pag. 637
PARS QUINTA CODICIS. Diversa instrumenta et scripture. . . . . » 1006

In nomine sancte et individue trinitatis feliciter amen.

Incipit quarta pars libri comunis ast, qui liber de Malabayla communiter nuncupatur in qua continentur multa ex juribus tam proprijs quam alodialibus quam feudalibus et alijs, que dictum comune habet in castris terris villis locis et hominibus de citra Tanagrum versus ast, et in vallibus infrascriptis.

In Valle Tanagri.

XC. De Felizano.

622. *De donatione facta per Ardizonem Marchionem comuni Ast de sua parte Felizani, et de castro Caliani, et de omnibus que posset acquirere in Monteferrato inter padum et Tanagrum* 1135. 24 Maij.

Anno ab incarnatione domini nostri Yhesu Christi Millesimo centesimo trigesimo quinto, nono kallendas junij Indictione terciadecima, vobis consulibus cunctoque Astensi populo, quorum nomina sunt hec Gualla de platea, pepinus de sancto juliano, petrus calcaneus, Josep Judex, Ego Ardezinus nobilis Marchio fidelissimus amicus et donator, Quapropter dono a presenti die in commune totius populi Astensis et eis successoribus aut cui dederint jure proprietario nomine quicquid volueritis idest mea pars castri Felizani cum capellis et villa cum omni pertinente piscationibus cultis et incultis Jerbis divisis et indivisis et cum omni honore et jure ad meam partem pertinente, Et ut verius credatur est talis mea pars, pater meus fuit frater Guillelmi Marchionis et habere debuit et habuit talem partem, qualem ipse habuit, Insuper Bonefacius Marchio dedit suam partem castri Felizani et de villa et de omni sibi pertinente in ejus circuitu et adiacentijs. Insuper Bernardus Marchio filius quondam Henrici Balbi qui fuit frater Raygnerij Marchionis et habebat jure tantum in Felizano quantum et Raynerius habebat, dedit michi suam partem testibus presentibus, Et hec omnia vera sunt, et ut certius credatur, pater meus similiter dedit quod habebat in castrum quod dicitur de (sic) et in castro quod dicitur signo, et in castro quod dicitur Turris augzuno Bonefacio Marchioni per suam partem quam dedit ei in Felizano. Insuper vobis Astensibus dono Castrum Caliani cum omni suo honore si habere potuero quocumque ingenio vel vi, vel clam, vel pro parte, seu castrum thondengo cum suo honore si habere potuero qualicumque modo, vel vi, vel clam vel pro parte in vestra sit electione, quorum consulum vel vestrorum successorum qui tunc erunt consules, Et si neminem horum castrorum habere possem, do similiter vobis ad proprium illud aliud castrum quod acquirere potuero in Monteferradi in vestra electione, Et faciatis ex inde de castro et villa et ejus pertinente Felizani sicut scriptum est vos et vestri heredes quicquid volueritis sine omni mea contradictione et heredum

meorum, ab omni homine deffendere promitto. Postquam vero deo anuente habere potuero et habebo horum predictorum castrum unum habeatis et faciatis ex inde a presenti die vos et vestri heredes quicquid volueritis aut cui vos dederitis jure proprietario nomine quicquid volueritis sine omni mea et heredum meorum contradictione, et ab omni homine deffendere promitto. Insuper vobis quoruncunque civium vestrisque descendentibus ad communem honorem dono presenti die quantumcunque habeo et habere potuero quocumque modo in Monteferradi, a flumine padi usque in tanagrum jure proprietario nomine, videlicet hoc modo, quod consules civibus presentibus dederunt michi in feudum ita ut in jure feudi habeam et teneam ego et mei heredes masculus vel femina vel mei heredes, et si sine descendentibus obiero, tunc illis propinquus meus vel extraneus quem voluero, habeat in feudum, et illi date, Et faciat vobis fidelitatem et servicium sicut et ego facere debeo et stare in aste, ab his tamen excipio feudum quod habeo vel quod acquirere potero, nec tamen ingenio non debet pacisci Ardezonus cum Guillelmo Marchione ut accipiat in feudum qui pro parte accipere debet, nec sine consilio consulum debet pacisci vel feudum accipere a Guillelmo, nec ego vel mei heredes aut illi quem habere voluero non amittant hoc feudum absque legali iudicio, Et hec omnia bona observare sub iure iurando promitto cum stipulatione subnixa. Actum apud ecclesiam sancti Systi in civitate ast feliciter.

† Signum manus istius ardenzuni Marchionis qui hanc cartam donationis fieri rogavit, et in feudum plane qui illud sicut que scriptum est accepit.

† Signa manum Bonefacius de Curtoandoni Rollandus de Montecalvo, Girardus de Turrigle, Juli de Casalio, Rustecellus de Monteteglo, Struzagata de Montemangno omnes isti ex sua parte testes interfuerunt et iure iurando observare promiserunt.

† Signa manum Eustachius de Rege, Petrus Trosellus Bonus petrus de Belsere, Henricus Gottasecca, Berrardus de Godemonte qui custodes sacramentorum in civitate a civibus positi sunt.

† Signum manus Guillelmi pallidi, Rollandus filius Rollandj Berrardi, Rollandus Sinistrarius, Rollandus Rabia, lemoglanus Crescentius, Berrardus de Scarrappo petrus Garretus Berardus vetulus.

623. *De pace et conventionibus factis inter Guillelmum Marchionem Montisferrati ex una parte, et comune Ast ex altera occasione Felizani, in quibus tangitur de dono facto de Ast et de nono, ac etiam tangitur de Vignano et Scrizollengo* s. a.

In nomine domini, Hec est forma pacis facte inter Astenses et Guillelmum Marchionem Montisferrati per ordinationem Filippi cavazoni et Oberti vardalossi. Predicti siquidem Filippus cavazonus et obertus vardalossus communi verbo utriusque partis scilicet Marchionis Montisferrati et consulum Astensium, sunt ita concordes quod Guillelmus Marchio maior vel Guillelmus aut Conradus filij Marchionis Montisferrati debent tenere Felizanum pro communi Astensi ita ut modo est, et in aliquo tempore accipiet ibi pedagium nec faciet ibi castrum vel munitionem in toto posse Felizani, nec in aliquo tempore accipiet ibi pedagium ab aliquo astensi cive, Et homines Felizani prius facient fidelitatem hominibus Astensibus, Et postea salva fidelitate ista facient fidelitatem Marchioni Et commune Astense accipiet ibi libras decem pro fodro

regali, et astenses cum voluerint ducent homines Felizani in expeditionem, nec de alio debent eos gravare, excepto de predicto, Et debent dare illi qui accipiet Felizanum omnes rationes quas habent in Vignali, et ipse inde faciet fidelitatem eis. Et Marchio debet facere securitatem quod de Castagnolis non eveniet malum hominibus astensibus, Et astenses Castellanum unum vel duos ponent in Castagnolis in sua electione, et isti debent jurare quod nullo tempore de Castagnolis eveniet astensibus malum, Et hoc idem faciet jurare omnibus suis hominibus ville, Et Marchio faciet finem et transactionem hominibus astensibus, de omni jure quod habet in castro et in villa Curtecomarij aut in pertinenti vel in Comitatu in aquatico vel in pasquario, Et faciet securitatem quod non erit decetero in consilio quod ibi castrum fiat nec per se nec per alium. De terra enim quam Marchio emit a Boniohanne Barbeta erit in electione astensium aut precium ei reddere aut terram ei dimittere, Et filijs domini Ardizonis debet reddere absque omni occasione omne suum alodium et eos investire de eorum recto feudo, et si ipse inde eos voluerit appellare, Illi debent stare in arbitrio curie illius, Et debet recuperare incarceratos astenses, quos habet Comes Moriene, sine omni tenore, Et adiuvare eos bona fide ad recuperandum quod ibi amiserunt, Et juvabit Astenses ad habendum gratiam Imperatoris Et de realia juvabit eos ad diminuendum illam totam aut partem illam quam poterit, Et dum imperator fuerit in partibus astensium, Comitissa aut unus ex filijs suis Marchionis aut Marchio stabit in aste usque quo imperator recesserit. Et Marchio et Comitissa et filij illius debent facere finem et transactionem hominibus Astensibus de omni dono quod imperator eis fecerit de aste vel nono, nec aliquo tempore debent requirere, Et finem facient communi astensi de omni Jure quod habent in Vignano aut in Scurzolengo, Et ubicunque in partibus suis est alodium virorum Astensium dimittet eis ita libere tenere ut ipsi tenebant ante adventum imperatoris Frederici in ytalia, Et ideo homines astenses jurant tenere pacem Marchioni et filijs suis et terre illorum salvis iurandis iuris que fecerunt, et Marchio similiter salvis suis specialibus jurisjurandis, Et hoc faciet observari totum patri suo Marchioni post adventum ipsius, Et transactis octo diebus vicissim Marchio et astenses universos alios facient finem de omnibus maleficijs et predis inter eos factis.

624. *De forma fidelitatis facte per homines Felizani communi ast in hac predicta pace.* s. a.

Hec est forma fidelitatis, quam homines Felizannj fecerunt Astensibus in hac pace. Juraverunt siquidem supra dei evangelia salvare et custodire personas et avere hominum Astensium, Et non erunt in consilio quod aliquis Astensis amittat vitam aut membrum, Et si homines Felizani audierint de malo astensium, quam citius poterunt facient eis scire, Et omnem terram de qua sunt saxiti et investiti aut de qua rationabiliter se saxirent juvabunt eos ad eam tenendum, Et si perderent ad recuperandum, Et decetero non erunt in consilio quod castrum aut forcia fiat in villa aut posse Felizani, Et si quis hoc facere vellet, ipsi vetarent si possent, et si non possent vetare ipsi exirent de Felizano et venirent stare in posse astensium, Et insuper sub eodem jure jurando tenentur custodire stratam ne ibi malum fiat.

De Felizano predicto.

(Hic pictum est oppidum. Vid. Tab. IX, n. 32).

625. *De donacione facta per Guillelmum Marchionem Montisferrati Communi Ast de medietate Felizani.* 1213. 21 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo terciodecimo Indictione prima die martis duodecimo kallendas Junij donationem puram et inrevocabilem inter vivos fecit dominus Guillelmus Marchio Montisferrati in manibus domini Ottonis de Careto potestatis Astensis vice et nomine communis Astensis recipientis nominative de medietate pro indiviso totius castri Felizani et ville et posse et districtus jurisdictionis et contilis aquatici piscatici et de medietate omnium rerum quas ibi habebat et possidebat vel visus erat tenere et possidere in militibus et hominibus feudatis et infeudatis iuste vel iniuste in ecclesijs et capellis jure alodij, Remittendo omne Jus quod habet in ipsa predicta medietate nichil in se retinendo preter quod ex ea semper faciat guerram Alexandrinis quandocumque ipsi Marchioni placuerit et omni alij persone salvo communi astensi, Aliam vero medietatem predictus dominus Guillelmus Marchio prout ipsam tenebat teneat. Tali modo facta est predicta donatio, ut predictus dominus Otto potestas nomine comunis Astensis et commune de Aste per se et suos successores teneat et possideat predictam donationem et faciat inde quicquid facere voluerit proprietario jure sine omni contradictione supradicti domini Guillelmi Marchionis et heredum eius, Et insuper promisit predictus Marchio predictam donationem perpetuo tenere firmam et nullo tempore contravenire per se nec per aliam personam. Actum Aste in domo Raynerij Calcanei et fratris, Testes dominus Bonefacius de Gurrino, dominus Georgius iudex, Petrus Laurentius, Albertus de Canelijs, dominus Anselmus Marchio filius domini Guillelmi de Ceva, Arnaldus Giniomus Mandrulius vardalos, Siribonus de porta, Rollandus Cazo, Jacobus de fossato et plures alij.

Et Ego Gandulfus donaschus notarius hanc cartam scripsi.

626. *De introytu possessionis facto nomine comunis ast de dicta medietate Felizani.* 1213. 24 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo terciodecimo indictione prima die veneris nono kallendas Junij, presentia infrascriptorum testium, Ad honorem dei omnipotentis et beate Marie Virginis et beati Secundi et ad honorem et commodum communis Astensis nomine et vice communis Astensis et nomine domini Ottonis de Careto potestatis eiusdem civitatis Jacobus Rohat et Berardus Berardengus ambaxiatores communis Astensis nomine et vice communis Astensis Intraverunt possessionem corporalem Felizani pro Illa et de illa medietate Felizanni, quam dominus Guillelmus Marchio Montisferrati filius quondam domini Bonefacij Incliti Marchionis Montisferrati communi astensi dederat pro indiviso ad proprietatem et dominium communis astensis. Interfuerunt testes Gualla pastronus de Vignalj, prandinus de Felizano, arnaldus de Monte, Conradus Cavazonus, Bischata Macharius, et dominus petrus de Felizano canonicus Astensis ecclesie. Actum in castro Felizani.

Ego Gandulfus notarius hanc cartam scripsi.

627. *De nominibus hominum de Felizano qui fidelitatem fecerunt communiter dicto communi ast et predicto Marchioni Montisferrati.* 1213. 24 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo terciodecimo Indictione prima, die veneris nono kallendas Junij, presentia infrascriptorum testium, hec sunt nomina hominum de Felizano qui fidelitatem communiter juraverunt domino Ottoni de Careto potestati astensium et alijs potestatibus seu consulibus in aste per tempora existensibus totique communi Astensi et domino Guillelmo Marchioni de Monteferrato pro medietate Felizani, quam iste dominus Guillelmus Marchio communi Astensi dederat, et quas fidelitates Jacobus de Rohat et Berrardus Berardengus ambaxiatores communis Astensis communiter receperunt pro comuni astensi et pro Marchione sicut vasallus facit domino suo, Girbaldus de Monte, Bergognus, Raynerius, Butinus, Guillelmus de Rocha, Oddo Rattus, Guido de clerico, Petrus Gramolus, Jacobus Gramolus, Johannella curialis, Henricus Mammolus, Jacobus de Martino, Robacia, Gospaldus, Martinus de Cristo, Henricus Romanus, Guillelmus de Gualla, Albertus Terdonensis, Ubertus filius Ogerij de Monte, Robaldus pezonus, Guillelmus loyta, Guillelmus boza, Peregnus, Anricus Bonefale, Bonus Aydonus, Johannes Gayaldus, ardicio dalbareto, anricus Buterus, Berrardus de puteo, Obertus de sarra, arnaldus Cotta, Guillelmus Rogna, anricus Rubeus, Rufinus Gaschus, Johannes danoda, Petrus Gastaldus, Rodulfus Ferrarius, Tebaldus de Brea, Ughetus, Ugo Gramolus, Anricus de Sanctomarciano, Lanfrancus de Terdona, Arnaldus de Nono, Fellizanus, Johannes Rubeus, Ubertus pelliparius, Guillelmus Bava, Guiotus de pescaria, Obertus de Martino, Anricus de Maingoso, Manfredus de ponte, Anricus Gaialdus, Boglonus, Guillelmus de Crista, Anselmus Scotus, Rollandus de Muscha, Raynerius Amicinus, Petrus de patoso, Rofinus de Quadrigento, Obertus Guardencerro, Robaldus Schillinus, Guillelmus Valfenaria, Ricardus Ferarius, Berrardus de Berrardensis, Bonusiohannes de Malamorte, Bertramus Barberius, Johannes de Marchisa, anricus de Bergongna, Gandulfus de Incisa, Guillelmus Rozolinus, Rodulfus de ambrosio, Rofinus de Amondo, astheronus, Ubertus Ferrarius, pellizanus Medicus, Scancius, Anricus de Albareto, Robacia, Rufinus Scotus, Guillelmus Gunta, Mamfredus painus, Ogerius collis, peracius, Rufinus Incignardus, Anricus de Petroiohanne, Gualfredus, lanfranchus de Arnulfo, Berrardus pezonus, Grignola, Bernardus Schillinus, Guillelmus de Belcantorio, Ogerius Rozolinus, Anselmus Cassanus, Rolandus de Canello, Johannes de Belcantorio, Balduinus Guardecerro, Guillelmus paynus, Boninus, Raynaldus, Carellus Murrutus, Carrera, Felizanus Romanus, Baldracus, Brunus, Mainfredus Stracapars, Gualfredus de ymillia, Mainfredus de Sanctomartino, Rufinus de Arnulfo, Anricus de Gualla, Henricus Scotus, Rufinus Murinus, Guillelmus patricus, Jermanus de Osebio, anricus Faverus, Petrus de Quatordeo, Guillelmus Musca, Robaldus de Rocha, Gualla de viaplana, Ogerius Guaralda, Balbus de Solerio, Jacobus Scotus, Rufinus Noga, Jacobus callegarius, Obertus coiraschus, Rofinus ambrosius, Obertus Gramolus, Anselmus Gattus, Jacobinus de Tanagro, Jacobinus de Belcantario, arnaldinus de Guardencerro, Rufinus de Quadrigento, Rufinus de Marcha, Bernardus de Burgisijs. Preterea die sabbati sequenti, Infrascripti iamdictam fidelitatem juraverunt, Peralia, Ubertus zopus, Anricus stranius, Mainfredus passionus, Jacobus Guarnerius, Mainfredus Senex, Albertus Coglanigra, Anricus loyra,

Conradus de Caminata, Robaldus Gramolus, Ubertus Testor, Anricus de donnaghisla, Ubertus Guercius. Actum in loco de Felizano, Testes Robaldus cicia, Bucheta et Biscata.

Et ego Gandulfus notarius hanc cartam scripsi.

628. *De nominibus certorum aliorum de Felizano, qui fidelitatem fecerunt dicto comuni ast.* 1216. 28 Julij.

Anno domini Millesimo ducentesimo sextodecimo, Indictione Quarta die iovis quinto kallendas augusti presentia subscriptorum testium, Henricus paniza et Ogerius Schillinus juraverunt supra dei evangelia esse fideles decetero domino Rufino de Olevano potestati astensi nomine communis astensis et fecerunt sibi fidelitatem secundum pacta et conventa statuta et ordinata inter commune de aste et Marchionem Montisferrati de castro Felizani, et sicut vasallus facit domino. Actum aste in domo predicti Marchionis Guillelmi. Interfuerunt testes dictus Guillelmus Marchio, Rolandus Cazo, Alionus Scarampus, Jacobus Advocatus, Thomas notarius et plures alij.

Ego Rufinus Aranchaboscus hanc cartam scripsi.

629. *De comuni et hominibus Felizani receptis in vasalis et civibus Ast sub certis pactis, et de fidelitate per eos facta comuni Ast tantum Marchionem Montisferrati penitus excludendo.* 1292. 22 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimosecundo Indictione quinta die martis vigesimosecundo Aprilis. Actum in villa Felizani in cimiterio sancti Michaelis dicte ville, Testes dominus Baudimentus de Curia, dominus Bertramus de Comentina, Thomas de Archu, Iohannes de Iardina, Guillelmus de Rodello, Bechonetus nuncius et preco communis astensis, Anthonius de Ianiono et Jacobus de Masio nuncij, dominus Guillelmus de lambertinis potestas Astensis voluntate consilio et consensu dominorum Guillelmi Cazo, Philippi de platea, Raymondinj Falleti trium ex quatuor sapientibus, quibus est concessa baylia universorum negociorum communis astensis, eorum nomine et nomine domini Ogerij Alferij eorum socij, et ipsi tres ex quatuor supradictis eorum nomine et predicto, una cum dicto potestate et auctoritate ipsius nomine et vice communis astensis et ex vigore et auctoritate predicte baylie et omni jure et modo quo melius potuerunt ex una parte, Nec non dominus Berardus de Solario potestas Felizani voluntate consilio et consensu credendariorum more solito et loco consueto congregatorum et capitum domorum ibidem astantium dicti loci et ipsi credendarij et capita domorum una cum dicto eorum potestate et auctoritate ipsius nomine et vice communis dicti loci Felizani et omnium et singulorum de dicto loco prout melius potuerunt, volentes obtemperare beneplacitis et mandatis comunis astensis predicti ex altera taliter ad invicem convenerunt et pepigerunt, et infrascriptas conventiones et pacta fecerunt ad invicem eorum nominibus et predictis solemni stipulatione valatas et valata. Inprimis siquidem predicti potestas, et quatuor nominibus quibus supra et prout melius potuerunt, Receperunt predictos credendarios et capita domorum eorum nomine et nomine omnium et singulorum hominum de dicto loco Felizani et ibidem habitantium et qui illuc per tempora venerint ad habitandum in fideles, vasallos et cives perpetuo civitatis Astensis per se et heredes suos ita et tali

modo quod per omnia et in omnibus gaudeant et utantur omnibus privillegijs et beneficijs civium civitatis predicte et cives sint eiusdem civitatis sicut alij cives habitantes in eadem civitate ad portam archus et ad alias portas civitatis predicte, Et tali etiam modo quod habeat merum et mistum imperium et jurisdictionem omnimodam, Et predicta ipsi potestas et quatuor eorum nominibus et predictis concesserunt eisdem nominibus quibus supra, secundum quod predicta habuerunt et exercuerunt et habere et exercere consueverunt in omnibus et per omnia temporibus retroactis, Et insuper concesserunt ipsis eisdem communi et hominibus Felizani omnes alias libertates et bonas consuetudines quas hactenus habuerunt vel habere consueverunt, et sicut eas habere consueverunt hinc retro et ante presentem diem. Item voluerunt et concesserunt ipsi potestas et quatuor auctoritate predicta et prout melius potuerunt eorum nominibus et predictis, quod illi de Felizano, qui habent vel habere soliti sunt pedagia et portus in dicto loco et posse et proventus predictorum, predicta habeant et percipiant sicut hactenus habere et percipere consueverunt, ita tamen quod aliquis civis Astensis aliquid non solvat nec solvere teneatur ibidem de predictis nec pro predictis, Et quod predictos portus et pedagia vendere vel aliquo modo alienare non possint alicui vel aliquibus universitati vel singulari persone sine consensu et voluntate communis astensis, Et in casu in quo ea vel eorum aliquod alienare vellent, communi astensi et non alij vendere teneantur eo precio, quod ab alio vel alijs vere habere possent. Item voluerunt et concesserunt predictis de Felizano communiter et divisim quod non solvant nec solvere teneantur vel debeant in civitate vel posse astensi aliquod pedagium vel malatotam, nisi secundum quod ea solvunt et solvere tenentur et debent alie ville et loca nova civitatis astensis. Item quod non solvant nec solvere teneantur vel debeant aliquod fodrum prestum millitiam vel aliquam impositionem vel exactionem, sed a predictis et de predictis sint liberi et immunes et eorum res et bona sicut et secundum quod hinc retro fuerunt et esse consueverunt in omnibus et per omnia. Predicti vero potestas credendarij et capita domorum de loco predicto Felizani eorum nominibus et quo supra et prout melius potuerunt ad maiorem solemnitatem et certitudinem predictorum et infrascriptorum et ut magis et fidelius astringantur communi Astensi predicto promiserunt fecerunt atque corporaliter juraverunt fidelitatem predictis potestati et tribus ex quatuor sapientibus recipientibus nomine et vice communis Astensis videlicet quod non erunt in loco ubi ipse potestas vel alius vel quicumque alij jurisdictionem exercentes in civitate Astensi vel aliquis civis seu de jurisdictione Astensi perdant vitam membrum vel sanguinem vel capiatur mala captione, Nec ubi comune Astense predictum perdat terram vel honorem vel aliquid sui juris, Et si predicta sciverint, ea disturbabunt pro posse bona fide, et si hoc facere nequiverint ea notificabunt predictis ut citius poterunt, Terram et honorem, quam et quem habet dictum comune et habebit in posterum defendent et manutenebunt et ad defendendum et manutenendum dabunt consilium et iuvamen bona fide comuni predicto eorum posse, si ab eis fuerit consilium postulatum, Et iniunctam credenciam tenebunt, Et alia omnia et singula facient et facere juraverunt bona fide que in fidelitatis articulis sive capitulis continentur, Facientes perpetuo pro predicto communi Astensi pacem guerram exercitum et cavalcatas itinera et succursus pro dicto communi, et eidem communi reductum dando ibidem quotiens voluerint, Et hoc tam

contra Marchionem Montisferrati quam contra alias quascumque personas collegia et universitates cuiuscumque condictionis existant, Abrenunciantes omnino dominio Marchionis predicti, et se se consulte ex certa scientia subicientes et supponentes ex toto dominio communis astensis, tali modo quod ex toto sint eiusdem communis et totaliter, et predicto Marchioni perpetuo non teneantur in aliquo modo, Predictum locum sive villam Felizani reddere guarnitum et scaritum promiserunt semper quandocumque ad voluntatem potestatis communis astensis. Et predicta omnia et singula supradicti sibi ad invicem eorum nominibus et predictis, Et omni jure et modo quo melius potuerunt, promiserunt stipulatione solemni, et tactis scripturis corporaliter juraverunt illi de Felizano et in animabus suis et predictorum attendere et observare facere et complere in omnibus et per omnia secundum quod superius continetur. Et in hac parte capitulantes de novo auctoritate predicta et prout melius potuerunt ea attendi et observari statuerunt et ordinaverunt prout superius continentur, ita quod nulli contra predicta vel aliquod eorum in consilio vel in Judicio vel alibi prebeatur modo aliquo audientia vel examen, Et hoc non obstante capitulo quo cavetur ut Jus et justicia fiat per potestatem et eius Iudices, Item non obstante capitulo quo cavetur de non danda vel concedenda aliqua libertate vel immunitate alicui vel aliquibus secundum quod continetur in eo, Et generaliter non obstantibus aliquibus capitulis vel ordinamentis communis Astensis, que predictis essent contraria vel alicui predictorum, et quod de predictis fiat capitulum speciale, quod apponatur in libro capitulorum civitatis Astensis, quod inde perpetuo amoveri non possit, et nichilominus presens instrumentum sit capitulum speciale et tanquam capitulum speciale perpetuo observetur, Et insuper pro sic attendendo ut superius continetur suprascriptis nominibus quibus supra omnia bona dictorum communium sibi ad invicem pignori obligaverunt. Nomina quorum credendariorum sunt hec qui predicta fecerunt et predictis interfuerunt, paganus ynvernus, Bonefacius Mutus, perotus Mutus, Persavalus de Caminata, Senraschus, Jacobus perosus, Georgius Schellinus, Arnaldus Ambrosius, Jacobus Invernus, Faconus Romanus, Francischus Paynus, Arnaldus de Rocha, Francischus de Quatordeis, Jacobus Barreta, Capellina Schillinus, Vanotus de Quatordeis, Vetus Mengosus, Guiglacius paynus, Jacobus Careria, Saglotus Rocha, lanfranchus Mutus, Oppizo de Monte, Jacobus Mutus, Germanus Guido, Manuel Romanus, Guillelmus Boza, Philippus Carlo, Magister Henricus, Rufinus de Caminata, Philippus de Monte, Petrus ynvernus, Guillelmus Morrutus, Jacobus de Monte, Petrus Carlo, Guillelmus Bergognus, Mayfredus Rubeus, Anthonius Schellinus, Robertus de Quatordeis, Germanus Ferrarius, Ogerius Mutus, Henricus Madea, Saglonus paynus, Rofinus Careria, Paganus Rubeus, Averancius Bergongnus, Buella de Monbersario, Guillelmus ynvernus, Jacobus Ferarius, lanzarotus Mignanus, Manuel Mengosus, Ubertus Brandinus, Griorius Mengosus, Lanfranchus Faverius, Ubertus Stroparinus, Gandulfus Niger, Ubertus Marsilius, Petrus Barachus, Mayfredus Morrutus, Florius Carlo, Guillelmus Carbonus, Petrus Barletus, Bertonellus Barossus, Conradus Ambrosius, Rofinus Morrutus, Conradus de Tanagro, Nicholaus Sayra, Rubeus de Tanagro, Anselmus Bergognus, Galvangnus Schellinus, Tonsus de Caminata, Petrus perosus, Jacobus Peragla, Johannes Mengosus, Johannes Bernerius, Henricus Odezonus, Bernardus Cerronus, Guillelmus Jons, Mayfredus paynus, Bernardus Madea, Danius Madea, Jacobus Madea, Paponus

papa, Faconus papa, Petrus papa, Ubertus pelliparius, Guillelmus Marchisia. Nomina autem capitum domorum qui predicta juraverunt et predictis interfuerunt sunt hec Henricus Tortorina, Rofinus Capra, Henricus Rabaglus, Obertus Testa, Ubertus Fererius, Ogerius Oddezonus, Johannes Canonicus, Thomas Batagla, Guillelmus Binellus, Henricus perosus, Rofinus Cavezana, Guillelmus Mazola, Perotus Brunus, Rebozius, Ogerius Barosus, Manfredus Garettus, Guillelmus Marchisius, Petrus Martinus, Jacobus de Castronovo, Mayfredus de Becha, Manuel Arolfus, Henricus Ferarius, Germanus Ferarius, Rabaglus Molinarius, Henricus Ochonus, Germanus Rogna, Jacobus Bergognus, Ventura, Facellus grassus, Albertus Artusius, Guillelmus de Forio, Guido de Area, Robaudus Frigus, Germanus Carellus, Ubertus Gaulfius, Anselmus Gattus, Minus Cabalerius, Anselmus deluy, Niger Mullazanus, Raynerius de Martino, Facinus Rioglus, Raynerius Garrellus, Henricus Testa, Johannes Garrellus, pollerotus, Johannes Raynaldus, Petrus Barossus, Guillelmus Burgarinus, Conradus Garonia, Faxolius, Rofinus Secundus, Germanus Axanus, Rofinus Rogna, Johannes Gramolus, Niger de Caminata, Baginus Gallina, Petrus de luy, Bastardus de Morra, Paganus Baglonus, Rafacelius, Petrus Amecinus, Grossus Fornarius, lanfranchus Ambrosius, Maia Morrutus, Capellus yurnus, Rofinus Canis, Robaudus Fererius, Guillelmus Caburrus, Francischus Gramolus, Mas Scharra, Rofinus Barletus, Francischus Gandulfus, Gavarrus de Forio, Rofinus Schotus, Petrus de Tanagro, Bertollus Rattus, Obertus Recordus, Facius Carlo, Danius de Castellario, Conradus Bareria, Petrus Guarnerius, Henricus Cerronus, Felizanus, Ogerius loterius, Rofinus de Guarnella, Albertus Rabaglus, Guillelmus Bernardus, Jacobus Capra, Guillelmus Brusa, Obertus Coyracia, Bandellus, Henricus Capellus, Johannes yurnus, Petrus Vacha, Rufinus de Albareto, Bergognus de Valfenaria, pezonus, Henricus Madea, Oddo Madea, Guillelmus vetulus, Roffinus Madea, Ferrarius Madea, Franciscus Madea, Ubertus de Rocha, Stramus de Stramis, Fazonus Stramus, Obertus Stramus, Francischus Stramus eius filius, Mayfredus Stramus, Francischus Coyracius, Rofinus Stramus, Jacobus de Felizano, Ugolinus de Quatordeis, Henricus de Montibus, Mayfredus vetulus, Johannes Rabaglus, Oddonellus Rodulfus, Ricardellus Cavezana, Jacobus Barberius, Niger de Area, Ardicio Sartor, Berardus Bertaldus, Guillelmus de luy, Jacobus prandus, Guillelmus Testa, Jacobus Veglus, Petrus bayus, Durandus de Monte, Marchiotus Scotus, Rubeus Bauzanus, Ubercellus Garrellus, Jacobus bastardus de Rubeis, Francischus Bergongnus, Johannes de Monte, Nichorellus pragla, Raymondus Garellus, Germanus de Tanagro, Petrus Romanus, Henricus Borrinus, Petrus de Foro, Anselmus de Coxano, Guillelmus Secundus.

Eodem anno et indictione die mercurij vigesimotercio aprilis, Actum est in villa Felizani presentibus testibus, domino Bonefacio pelleta, et Jacobo Rastello, Infrascripti Consiliarij et capita domorum de dicto loco Felizanni suprascripta omnia et singula attendere et observare juraverunt in manibus domini Baudimenti de Curia sindici communis Astensis, nomine ipsius communis recipientis, nomina quorum sunt hec, Johannes paynus, Ardizonus paynus, Petrus Aydina, Rubeus Ambrosius, Petrus paynus, Jacobus Rogna, Ogerius Fererius, Guillelmus Fererius, Guillelmus Borinus, Jacobus Ricardus, Marchion de Quatordeis, Tonsellus de Castellario, Germanus Faverius, Henricus Traversangnus, Jacobus Bordinus, Petrus Garronia, Mayfredus de Monte, Rofinus pragla,

Niger Ambrosius, Tobia Mengosus, Jacobus Cerronus, laurencius Rongna, Conradus Bergongnus, Conradus de Streparino, Guillelmus Gattus, Henricus Barletus, Bertorellus Raynaldus, Guillelmus Marchisia, Guillelmus de Castellario, perellus Marchisia, Jacobus de Monte filius Johannis, Rappa de Caminata, Petrus Bertholdus, Jacobus Marsilius, Bastardus de Ardizono, Manuel Archerius, Garberanus Romanus, Minotus Brea, Guillelmus Barletus, Petrus Cararia, Manuel Carlon, Henricus de pelleroto, Jacobus Barletus, Guillelmus Madea filius Bernardi, Conradus Madea, Guillelmus Scharra, Ogerius Mengosus, Galvagninus Karlon, Ogerius Carbonus, Guillotus de Garella, Galvangnus filius pagani yurni, Rofinus ambrosius, Guillelmus Cerronus, Facellus Barletus, Dainus Morrutus, Jacobus Borgarinus, Jacobus Scharra, Lanfranchus Scharra, Johannes Scharra, Rofinus paynus, Bartolomeus paynus, Bissolius Callofus nuncius, Callocius de Caminata, Morandus Madea, Bonellus Ferarius, Ottorellus de Crossetorio, Jacobus Brandranus, Meylanus Odezonus, cui dicitur Rofus, Jacobus de Otacio, Rofinus Ayralfus, Ogerius prandus, persavallus de puteo, Jacobus de Stroparino, Oliverius Ruspus, Schollus paynus, Ubertus Romanus, Oliverius Schellinus, Palmerius paynus, Jacobus Vallenzonus, Guillelmus Gandulfus, Ferarius paynus, Faconus Eusebius, Facius Joy, Ogerius pexalla, loysius Asyanotus, Anselmus Ambrosius, pastorius cararia et Ballocia Testa.

Et ego Johannes Cepula notarius pallatinus suprascripta nomina scripta et abreviata per Meyfredum de Canonica notarium, et de uno quaterno extraxi et voluntate ipsius Manfredi scripsi et meum signum apposui.

XCI. De Quatordeo.

(Hic pictum est Castrum. Vid. Tab. IX, n. 33).

630. *De investitura per comune Ast domino Henrico de Quatordeo in feudum facta de tercia parte Castri et ville Quatordei, et quomodo dicto domino Henrico et filijs per dictum comune fuit concessum illud quod olim dominus Imperator eis dedit in Nono.* 1197. 7 Decembris.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo septimo, Indictione quintadecima die dominico septimo intrante decembri in publica Astensi credentia per campanam coadunata, et eius consilio dominus Albertus de Fontana potestas astensis, Investivit dominum Henricum de Quatordeo nomine suo et vice et nomine filiorum suorum pro communi Astensi nomine recti feudi nominative de illa tercia parte castri et ville Quatordei et curtis et totius eius pertinentie, quam terciam partem ibi soliti sunt habere et tenere, Et de omni eo quod ipsi decetero in eius posse acquisierint, quatenus deinceps ipse henricus et filius eius a modo predictam terciam partem castri et ville Quatordei et curtis et totius pertinentie, sicut eam soliti sunt habere et tenere, teneant et possideant, sicut eam tenuerunt tempore Frederici quondam Romanorum imperatoris, et Henrici quondam Romanorum imperatoris Et totum illud quod deinceps in predicto loco et eius posse acquisierint, teneant firmiterque possideant nomine Recti feudi libere et sine omni contradictione iamdicti potestatis et successorum eius et Astensis populi, Ea tamen condictione quod cum civitas Astensis ad fodrum devenerit, Et ipsa civitas in Quatordeo capere

voluerit, quod in predicto feudo fodrum capere possit, ita vero quod ex illo fodro, quod civitas in illo feudo acceperit predicti Henricus et filij medietatem habere debeant. Preterea iamdictus Albertus de Fontana potestas Astensis in eadem credentia per campanam coadunata concessit predicto Henrico de Quatordeo nomine suo et nomine filiorum suorum illud feudum nominatim quod quondam dominus Romanorum imperator olim eis dedit in Nono et in eius posse. Quam investituram feudi et concessionem ut supra legitur Astenses Credendarij per campanam congregati, quorum nomina sunt, Obertus de Vivario, Maynfredus Cavazonus, Henricus de Vallerianno, Bayalardus Berrardensis, Petrus Cicia, Bonus petrus Corigiarius, Bayamondus Careocius, Otto Vola, Ubertus de plathea, Surleo de Janua, Grafagus Ottinus, Gandulfus de Porta, Arnaldus de plathea, Marchisius Cavicula, Jacobus Clericus, Anselmus de prato, Otto Rotarius, Anselmus de Curia, Guillelmus Sylvaticus, Guillemus de Cathena, Guilelmus de Turre, Jacobus Curialis, Albertus de porta, Anselmus Malabrancha, Otto grassus, Appolonius, Opizo de Beccharijs, Jacobus largabursa, Obertus oculusbovinus, Obertus de Cario, Jacobus Bovetus, Guillelmus de Becaria, Robaldus Naselius, Rodulfus durnasius, Raymondus layolius, Berrardus Bertramus, Nicholaus Gardinus, Jacobus pallius, Magister Petrus beccarius, Girardus Ginorius, Otto Albricus, Guilielmus Ratio, Baialardus Balbus, Maynfredus de plathea, et Sicardus Birandolus, omnes juraverunt supra dei evangelia tenere firma et non removere ullo tempore per se nec per aliam personam suppositam et dare fortiam virtutem et consilium iandicto potestati, et potestati vel consulibus postea intrantibus ut eandem concessionem a se ut supra legitur firmam tenere nec removere, per se nec per suppositam personam et quod potestas Astensis vel consules per tempora existentes usque ad decem annos annuatim jurent supra dei evangelia supradictam concessionem ut supra legitur in integrum firmam tenere nec removere per se nec per suppositam personam. Actum Aste in domo Nova curie communis feliciter. Interfuerunt testes Berrardus Caglalda, Grimaldus Guillelmus Sicardus Jacobus Boviculus notarius, Otto Bassus notarius.

Et Thomas notarius scripsit.

XCII. De Fonte.

631. *De quadam sententia lata per dominum presbiterum Caciam Judicem imperialis Aule inter comune Astense ex una parte et dominos de Fonte ex altera in favorem dicti comunis.* 1211. 10 Januarij [1].

Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo undecimo, Indictione quartadecima die lune decimo mensis Januarij, in civitate Papia, Causa erat inter Ottonem de Montebersario sindicum communis Astensis, nomine communis Astensis, ex una parte, Nec non et Vivianum et Robaldum de Fonte fratres ex alia, Super eo videlicet quod dictus Otto nomine communis predicti dicebat sentenciam vel sentencias latas ab Ottone checa de Canalio inter comune Astense ex una parte et predictos de

[1] Sententiam hanc ex hoc ipso Codice transcriptam edidit J. Ficker *Forschungen zur Reichs-und Rechtsgeschichte Italiens* cit. IV. p. 295. N. 249.

Fonte ex alia contra predictum comune super mille sex centum quadraginta libras Astenses, quas habuerat occasione maleficiorum factorum per Vivianum et Robaldum de fonte predictos et illos qui cum eis erant ad predicta maleficia facienda in guillelmum Cathenam et Gandulfum eius filium et Robaldum Rabiam quos [1] occiderunt, et in alijs penis in quibus ceciderant propter statuta civitatis astensis, contra que fecerant, Et quas Mille sexcentas quadraginta libras dicebat predictum comune non habuisse a predictis de Fonte nec ab alijs voluntate eorum de Fonte neque de eorum mandato, nullam vel nullas esse, quia dicebat idem sindicus predictum Ottonem Checham judicasse lite non contestata et non citato legitime predicto communi. Item dicebat predictum Ottonem non cognovisse ex appellatione cum nulla sentencia nec aliquid precessisset a quibus potuisset appellarj, Et si aliqua vel alique essent predicte sentencia vel sentencie iniustam vel iniustas esse, et ab ea vel ab eis predictum comune appellasse, et tunc bene esse appellatum et male iudicatum, et inde publicum appellationis instrumentum ostendebat. Item dicebat quod si predicte sentencie vel sentencia confirmate vel confirmata essent ab imperatore, quod illa confirmatio non valebat nec tenebat, et facta erat per obreptionem, cum dixisset nomine predicti comunis quod predicta sentencia vel sentencie nulla, vel nulle erant, et si aliqua vel alique erant quod ab ea vel ab eis predictum comune appellaverat, unde publicum instrumentum appellationis ut dictum est ostendebat. Item dicebat iniustam vel iniustas esse, nec debebat predictum commune in aliquo condemnari, cum nichil a predictis de Fonte predictum comune habuisset nec ab alijs eorum voluntate vel mandato, Et quia dicebat, quod illud quod predictum comune habuerat, pro maleficijs homicidiorum predictorum habuerat, et eo quod fecerant contra statuta civitatis, et non ab illis de fonte, nec ab alijs eorum voluntate seu mandato, sed a quibusdam hominibus, qui sponte et non cohacti solverunt, et multa alia super hijs allegabat, unde ego presbiter Cacia placentinus imperialis curie judex de consilio et voluntate Gualfredi de Turricella papiensis, imperialis curie judicis, ibi presentis, Quibus nobis duobus commisse sunt omnes cause tam principales quam appellationes a Placentia et Cremona in sursum versus Cumas et Taurinum et Terdonam secundum et usque quo lombardia extenditur, cognoscende et finiende a domino Henrico dei gratia Mantuano Episcopo Imperialis aule vicario et legato, et specialiter ista causa que speciali commissione dicto domino Vicario commissa erat a domino Ottone quarto Romanorum Imperatore glorioso, Visis et cognitis rationibus et allegationibus et dictis testium predicti communis et statutis et instrumentis civitatis Astensis, visis et lectis, viso etiam privillegio indulto predicto communi a predicto domino imperatore, Et predictis de fonte pluries et perentorie citatis ut venirent predicto communi rationem facturi, qui nec venerunt neque responsalem miserunt, Et dato sacramento ipsi sindico, qui juravit ad sancta dei evangelia litem non fuisse contestatum [2] ut sciret vel crederet sub Ottone Checha de Canalio inter comune Astense et illos de fonte, et predictum commune legitime citatum non fuisse, et illos qui solverunt predictam pecuniam non voluntate seu mandato predictorum de Fonte solvisse ut sciret vel crederet, Pronuncio suprascriptam sentenciam vel sentencias latas a predicto

[1] l. c. *quas.* — [2] *contestatam.*

Ottone de Canalio nullam vel nullas, Et si alique sunt vel aliqua, pronuncio iniustam vel iniustas, et tunc bene esse appellatum et male iudicatum, Predictus presbiter Cicia hanc cartulam inde fieri precepit, huius rei testes sunt Henricus Zazius, Petrus Zazius, Magister obizo Astarius canonicus ecclesie sancti Michaelis maioris, Carnelevarius de Bicharia et alij quam plures.

Ego Albricus de Rovoreto, Imperialis curie notarius interfui et hanc cartulam mandato predicti presbiteri scripsi[1].

Ego Jacobus de Fossato notarius pallatinus autenticum huius novi exempli vidi legi et exemplificavi, nihil addens vel minuens preter punctum vel literam partium tamen significatione retenta.

Ego Gandulfus sacri pallatij notarius, autenticum huius exempli vidi et legi, et sicut in eo continebatur, sic et in isto continetur exemplo, et subscripsi.

Ego Ribaldus notarius pallatinus autenticum huius exempli vidi et legi, et sicut in eo continebatur, sic et in isto novo continetur exemplo et subscripsi.

XCIII. De Cerro.

(Hic pictum est Castrum. Vid. Tab. IX, n. 34).

632. *De donatione facta comuni Ast de universis que hospitale sancti Johannis de Jerusalem et eius mansio habebant in Nono et in Cerro de quibus dominus Imperator olim donum fecerat suprascripto domino Henrico de Quatordeo et filijs ejus.* 1198. 28 Septembris.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo, Indictione prima, die lune quarto kallendas octubris presentia testium infrascriptorum domnus pastronus frater hospitalis de Jerusalem et commandator mansionis eiusdem hospitalis site in Ast, Maynfredus faxolius frater eiusdem hospitalis, et prior eiusdem mansionis et Guido sacerdos ecclesie eiusdem mansionis, nomine predicti hospitalis fecerunt donum et datum domino Girardo de Arcidione judici domini Alberti de Fontana potestati nomine et vice communis astensis nominative de universis et singulis terris pratis et ceteris possessionibus quas iandictum hospitale habebat tenebat et possidebat aut alius pro eo in nono et in cerro, et in eorum poderio et alibi, de quibus quondam imperator Romanorum, Henrico de Quatordeo sive filijs eius donum olim fecerat, Tali modo ut iandictus Albertus de Fontana potestas astensis, ad partem communis astensis per se et per eius successores, jure proprietario et ad proprium universas predictas terras et prata, et ceteras possessiones libere teneat firmiterque possideat, et deinde faciat quicquid inde facere voluerit sine omni contradictione inquietatione et molestia predictorum et aliorum fratrum hospitalis de Jerusalem et eorum successorum et ipsius hospitalis. Quod donum et datum predicti fratres hospitalis promiserunt predicto Girardo stipulanti nomine Astensis communis facere confirmare maiori magistro hospitalis. Insuper iandicti fratres fuerunt confessi se hoc donum et datum fecisse pro utilitate et commodo iandicti hospitalis precipue quia commune de Aste eidem hospitali dederat et concesserat totum jus quod habebat in hospitali

[1] Reliqua desunt l. c.

quondam soldani, quod hospitale aliter habere non poterat. Actum Aste in predicta mansione feliciter. Interfuerunt testes Girardus ginorius, Petrus de Moneta et Otto Pillatus.

Ego Thomas notarius pallatinus ibidem interfui et scripsi.

633. *De fine facto dicto comuni Ast de predictis, per dictum dominum Henricum et filios.* 1198. 28 Septembris.

Item eodem Anno et eadem die, in publica credencia in ecclesia sancti Johannis de domate per campanam cohadunata, Henricus de Quatordeo Garganus et Ogerius filij eius, fecerunt finem et transactionem in manibus domini Alberti de Fontana potestatis astensis ad partem communis Astensis nominatim de universo jure quod nunc haberent et decetero habere et exigere possent in predicto dono et dato, sive pro dono quod imperator olim eis fecisset, et sine aliquo alio modo, quatinus decetero per se nec per suos heredes potestatem Astensem aut consules Astenses nec commune de Aste de predicto jure in aliquo tempore appellare convenire et inquietare non possint per se nec per suppositam personam. Insuper iandictus Henricus promisit eidem potestati nomine communis Astensis eandem finem et transactionem facere fieri Orando filio suo usque ad proximum festum sancti Martinj. Interfuerunt testes dominus Girardus judex predicti potestatis, Otto Cappa et Bayamondus nuncius communis.

Et ego Thomas notarius pallatinus ibidem interfui et scripsi.

634. *De investitura per dictum comune Ast facta de predictis bonis donatis, in dictum dominum Henricum de Quatordeo nomine feudi gentilis, dando dictus Henricus fodrum et alia onera subeundo proinde.* 1198. 28 Septembris.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo Indictione prima die lune quarto kallendas octubris, In publica credentia urbis Astensis per campanam cohadunata, et eius consilio, dominus Albertus de fontana potestas Astensis investivit Henricum de Quatordeo et donum ei fecit a parte communis Astensis nomine recti et gentilis feudi, nominative de omnibus terris, et ceteris possessionibus quas hospitale sancti Johannis de Jerusalem sibi pro communi dederat in Nono et Cerro et in eorum posse et alibi, de quibus imperator Romanorum ipsi Henrico olim donum fecerat, et sicut ille imperator eidem Henrico donum fecit, Tali modo quod predictus Henricus decetero per se et heredes suos nomine recti et gentilis feudi predictas terras et ceteras possessiones pro communi astensi teneat firmiterque possideat, et inde faciat ut supra legitur in integrum quicquid facere voluerit sine omni contradictione ipsius potestatis successorum ejus et Astensis populi, Illo Henrico tamen per se et heredes suos proinde dando communi Astensi fodrum cum civitas Astensis ad fodrum devenerit, et faciendo exinde expedictiones cavalcatas, hoste, Iter, fossa et omnia scuphya urbis Astensis sicut ceteri cives Astenses secundum quod fuerit extimatus ab extimatoribus communis. Actum Aste in ecclesia sancti Johannis de domate feliciter. Interfuerunt testes ad hoc vocati et rogati Otto Cappa, dominus Girardus de Ardizone judex predicti potestatis, Bayamondus de curia nuncius communis Astensis.

Ego Thomas notarius pallatinus rogatus interfui et ex mandato predicti Alberti potestatis Astensis hujus carte investiture feudi scriptor estiti.

XCIV. De Nono.

(Hic picta est arx. Vid. Tab. IX, n. 35).

635. *De investitura facta per Episcopum Astensem comuni Ast de castro Villa et curte Noni et omnibus juribus ad eas spectantibus et ad ipsum.* 1095. 28 Marcij [1].

Anno ab incarnatione domini nostri Yhesu Christi Millesimo nonagesimo quinto, quinto kallendas Aprilis Indictione tercia presentia bonorum hominum quorum nomina subter leguntur investituram fecit dominus Oddo Episcopus Episcopij sancte Astensis ecclesie ad consules Astensis civitatis scilicet quorum nomina subter leguntur Lanfranchus Benzo, Ubertus Bulgarus, Ubertus Judex, Cresencius Saracenus, Bonebellus Bonesenior bonus homo tam pro ipsis quam pro omnibus civibus Astensibus nominative de Castro Noni cum edificijs et capellis et omnibus hedificijs infra se habentibus cum villa et omnibus supperpositis (?) [2] ad ipsum castrum pertinentibus cum terris arabilibus et vineis pratis, jerbis, silvis tam maioribus quam minoribus cum areis pascuis ac stellareis, rippis, rupinis, molendinis piscationibus, cultis incultis, divisis et indivisis, una cum finibus, terminis, accessionibus et usibus aquarum, aquarum ductibus cum omni jure ac jacentijs et pertinentijs per loca et vocabula ad ipsum castrum et curtem pertinentibus omnia in integrum, ita ut omnes cives Astenses habeant in beneficio de parte domini Oddonis Episcopi et eius successorum ad communem utilitatem istorum civium, et faciant de hinc in antea quicquid eis fuerit oportunum sine contradictione ejusdem domini Oddonis Episcopi et eius successorum et adiuvare nobis debet ad habendum istum locum usque in finem. Factum est hoc infra Aste civitatem in atrio sancte Marie in canonica eiusdem ecclesie feliciter.

Ego Oddo dei gratia Astensis Episcopus scripsi.

Guillelmus Signifer, Rodulfus Vicecomes, Rodulfus vicedominus, Obertus de Vigarisio, Azo de Sancto Martino, Obertus de Meglano, Wido Comes de Blandrato, Albertus de Tiglole, Rodulfus de Gorzano, Aycardus [3] de Morocio, Fulcardus de Sancto albano, Gandulfus Anselmus de Govono, Oppizo de Rocha sancti Genesij feliciter.

Quidem et ego Ubertus judex ex admonitione istius domini Oddonis Episcopi subscripsi.

636. *De conventionibus et concordia factis inter dominum Imperatorem ex una parte et comune Ast ex altera super custodia castri noni, et alijs per quinquenium duraturis.* 1178. 7 Julij [4].

In nomine domini nostri Yhesu Christi amen Anno ab incarnatione eius Millesimo centesimo septuagesimo octavo, die veneris septimo mensis Julij, Indictione undecima. Hec est forma concordie inter dominum Imperatorem et Astenses super custodia castri Noni. Astenses Consules et credentia et alij bone opinionis viri, quos et quot

[1] Instrumentum hoc ex hoc ipso Codice transcripsit Ficker edidit que, Böhm. *Act. Imp. Sel.* cit. pag. 815, N. 1127. — [2] *stipendiis.* — [3] *Aycaredus.*

[4] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcripsit Victor von Kraus, estque in op. cit. *Act. Imp. Sel.* pag. 755. N. 1061.

imperator elegerit de civitate[1] jurabunt domino imperatori quod ipsi Astenses non auferent predictum castrum Noni imperatori nec eius filio, Regi Henrico vel eius nuncio, quem de Alamannis ibi Castellanum suum statuerint, nec erunt in facto vel consilio quod alius auferat. Item Astenses non nocebunt vel ledent alamanum castellanum et alios bonos homines de Nono in personis eorum vel rebus quas nunc habent vel in posterum[2] habuerint vel Astenses eis reddiderint bona fide per totam forciam vel districtum ipsorum Astensium, Ita tamen si aliqua oriretur forte discordia quod Astenses aliqui vel aliquis offenderent aliquos vel aliquem de nono vel e converso, hinc inde offensa debeat emendari infra quadraginta dies, vel per amicabilem compositionem vel secundum iusticiam sine aliqua pulsatione iniurie vel pene exactione et de hoc per juramentum tenebuntur hinc inde. Dominus imperator Astensibus tenetur ex promisso, quod non debeat dare predictum castrum dono vel in feudo vel in guardia alicui persone nisi Astensibus, si ipse vel filius eius Rex Henricus per se vel per nuncium suum vel nuncios alamanum vel alamanos simul cum Nonensibus in propria custodia retinere Noluerit, Et si castellanus Alamanus mortuus fuerit vel alias interceptus, Nonenses servabunt castrum donec imperator vel filius eius Rex alium alamanum vel alamanos illic constituerit, et si Ita ut predictum est imperator vel filius eius castrum in custodia sua retinere Noluerit, Astensibus commendare habet in guardia, Tali condictione ut quandocumque imperator voluerit vel eius filius Rex Henricus, reddere debent imperatori vel eius filio predicta conditione manente. Jurabunt insuper Astenses castellano de Nono et hominibus de Nono, quos Astenses elegerint, quod non ledent et non nocere vel ledere possessiones eorum vel tenutas quas habent in districtu Astensi vel quas habebunt vel Astenses eis reddiderint. Similiter castellanus et homines de Nono, quos astenses elegerint jurabunt quod ipsi non ledent Astenses in personis eorum vel rebus in possessionibus in tenutis, quas nunc habent, vel imperator adhuc eis reddiderit per totam eorum forciam et districtum, bona fide, et sine fraude custodire et servare predictum castrum imperatori et imperio et Regi Henrico, ita quod nulli persone reddent ipsum nisi imperatori vel eius filio Regi. Insuper jurabunt castellanus et homines de nono, quod Inimicos vel inimicum Astensium manutenere non debent nec aliquod auxilium vel consilium impendere de predicto castro seu villa contra Astenses. Et Astenses ire et redire habent per totam Nonensium forciam securi tam tempore guerre quam pacis, et si necessitas Astensibus incumbet, liceat eis in villa se recipere, non ad manendum nec ita quod inde guerram debeant facere, sed si forte illuc fugati fuerint, Nonenses eos defendent infra villam, vel alio casu illuc venerint. Hec omnia Imperator et filius eius Henricus rex rata habebunt et servabunt, si Astenses que pro parte sua servare promittunt, observabunt bona fide, Quod sic intelligi volumus, si non fuerint in consilio quod dominus imperator vel filius eius Henricus rex castrum Noni vel villam perdat. Hec conventio durabit per quinque annos manente perpetua condictione de castro predicto non reddendo alicui persone neque per feudum neque per guardiam nisi ipsis Astensibus secundum quod superius Continetur. Actum super pallatium predicti imperatoris de Taurino. Interfuerunt dominus Guillelmus Astensis Episcopus,

[1] l. c. *communitate.* — [2] *posteris.*

Gandulfus prepositus eiusdem ecclesie, dominus Henricus Guercius Marchio, Aycardus de Vegianno, Grossus Brisiensis, Valla de Alferio, Ogerius nepos eius, Ottollinus Grignola, Rubaldus gardinus [1], Guillelmus Aquensis, Arthemanus camararius, Rodulfus frater eius Rodulfus scriba curie, lambertus de Nivimaga, Hermanus de Hore et Henricus de Vase et plures alij testes.

Ego Martinus Imperialis aule notarius et papiensis interfui, et precepto predicti domini imperatoris hoc instrumentum scripsi.

637. *De absolucione per Castellanum Noni nuncium domini Imperatoris facta de Astensibus, et de Episcopis Astensi et Albensi a securitate Mille Marcharum argenti.* 1197. 16 Februarij [2].

Anno Millesimo centesimo nonagesimo septimo, Indictione quintadecima die dominico quarto decimo kallendas Martij, presentia infrascriptorum testium, dominus Thomas Castellanus de Nono et nuncius domini Imperatoris absolvit Astenses consules et iusticie, et Astensem Episcopum et Albenses consules et omnes cives Astenses, qui pro communi de Aste ei tenebantur a securitate Mille Marcharum argenti, de qua ei pro comuni de Aste tenebantur, de causa que inter consules de Aste nomine communis de Aste, et Bonefacium Marchionem Montisferrati vertebatur ante ipsum Thomam, Et si aliqua carta inde in aliquo tempore inveniretur ipse Thomas dixit quod vult eam ulterius esse vanam et nullius momenti. Actum urbe Aste ad portam archus ante domum Rollandi [3] de Fontana et Jacobi Frenarij et Jacobi de Ranzano [4], Testes Guillelmus dompnetus, Robaldus Marucchus, Orandus de Quatorde, donadeus de Saluce et plures alij.

Et ego Jacobus Boviculus notarius hanc cartam scripsi.

638. *De concordia et conventionibus factis inter comune Ast ex una parte et comune Noni ex altera, super restitutione noni dicto comuni Ast facienda cum pluribus conventionibus.* 1197. 4 Decembris [5].

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo septimo, Indictione quintadecima die iovis quarto intrantis decembris presentia subscriptorum testium dominus Albertus de Fontana potestas Astensis vice et nomine totius communis Astensis talem fecit concordiam cum Henrico de plateis et Guidone de capiteville consulibus Noni, et cum Henrico de Quatordeo, Roberto de Nono, Gualla de poblice, Petro de Crusilijs, Aldo Roba, Bosone de Scrizolengo [6], et Rumenta fratre suo, nomine communis de Nono, tam militum quam aliorum hominum ipsius loci videlicet, quod predicti homines de Nono tam milites quam alij homines debent reddere iandicto Alberto de Fontana potestati astensi ad partem communis de Aste castrum Noni cum turre et dominiono, Ita quod comune de Aste illud castrum cum turri et dominiono decetero teneat

[1] L. c. *gardinensis.*

[2] Instrumentum hoc ex ipso Codice nostro transcripsit J. Ficker ediditque *Act. Imp. Sel.* cit. pag. 822. N. 1134. — [3] *Rolli.* — [4] *Razano.*

[5] Documentum hoc transcriptum ex hoc ipso Codice edidit Ficker *Forschungen zur Reichs-und Rechtsgeschichte Italiens* cit. IV. pag. 248, N. 197. — [6] *Scazolengo.*

firmiterque [1] possideat, et ex eo faciat quidquid voluerit sine omni hominum de nono tam militum quam peditum et aliorum hominum pro eis contradictione, Et dominus Albertus de Fontana potestas Astensis pro communi Astensi debet permittere dominam Elenam castellanam Noni et filios eius exire de predicto castro cum omnibus eorum rebus mobilibus et immobilibus, et personas eorum cum omnibus predictis rebus securas conducere usque ad illum locum ad quem predicta castellana voluerit, Et debet omnes extraneos qui sunt in eodem castro pro defensione illius loci cum omnibus armis eorum permittere securiter exire de eodem loco. Insuper iandictus albertus de Fontana potestas fecit pacem et finem in manibus predictorum consulum de Nono et aliorum hominum Noni tam militum quam peditum vice et ad partem communis et hominum Noni tam militum quam aliorum hominum et omnium extraneorum qui sunt in predicto castro pro defensione ipsius loci, nominative de omnibus iniurijs et damnis datis et factis per se et per alium in Astensibus a tempore obsidionis predicti castri infra, ita quod pro comuni Astensi eis decetero ullum malum non reddatur in aliquo tempore, Et omnes discordias que sunt inter aliquem hominem de Nono et aliquam personam de Aste bona fide et sine fraude ad concordiam reducere. Preterea iandictus Astensis potestas debet restituere hominibus de Nono omnes res eorum, quas homines de aste habent, quas in Aste et in eius posse invenire poterunt, Et omnes alias res eorum, quas homines de aste habuerunt a tempore obsidionis Noni [2] infra quas invenire non poterunt et damna ab hominibus de Aste illata a predicto tempore infra in rebus hominum de nono, ipsis hominibus de nono debet restituere in laudem et arbitrium domini Girardi judicis ipsius potestatis et Scarampi electorum pro comuni Astensi, et gualle de poblice et Petri de Cruxglijs [3] electorum pro comuni de Nono ad illum terminum et sicut arbitrati fuerint, Et similiter debent restituere castellane sedimen castellani et pratum quod castellanus emerat in laudem et arbitrium predictorum arbitrorum, Et debet dimittere castellanam habere usque ad proximum festum sancti Michaelis omnes fructus et redditus braydarum et foresti et fictus et alios redditus Noni, pro solutione debiti quod castellanus de nono debet dare Petro de cruxilijs, quod debitum ut ipse petrus dicebat erat librarum [4] trecentum Astensium, Eo [5] tamen salvo quod si predicti fructus et redditus plus essent usque ad predictum terminum, tunc illud plus comuni Astensi debet restitui. Preterea iandictus albertus potestas Astensis nomine communis Astensis concessit omnibus hominibus de Nono tam militibus quam alijs hominibus omnes illas consuetudines et bonos mores, quos et quas soliti sunt habere a tempore Comitisse Alaxie usque nunc, quatenus ipsi decetero illas consuetudines et bonos mores habeant ita libere et teneant sicut soliti sunt habere et tenere a tempore Comitisse Alaxie usque nunc, Quam concordiam sicut legitur in integrum iandictus Albertus potestas Astensis nomine comunis Astensis juravit supra dei evangelia manu propria tenere firmam et non removere ullo tempore per se se nec per suppositam personam. Insuper Ubertus de plathea, Guillelmus de Cathena, Bagiamondus de plathea, Robba, Nicolaus Gardinus, Anselmus de Curia, Guillelmus Silvaticus, vivianus de Fonte, Jacobus de vivario, Sicardus Branduli, Henricus Soldanus, Otto Gohomondus, Jacobus ypolitus, Obertus Bertaldus.

[1] L. c. *firmiter quod.* — [2] Deest *Noni.* — [3] *Cruxiliis.* — [4] *libre.* — [5] *et.*

et Guillelmus Sicardus, omnes isti juraverunt supra dei evangelia dare forciam et virtutem consilium et auxilium predicto potestati, et potestati sive consulibus post eum intrantibus ut predicta concordia ut supra legitur, attendatur et observetur. Et predicti de Nono milites et alij suprascripti homines fuerunt confessi se predictam concordiam fecisse consilio et consensu omnium hominum in castro Noni existentium tam militum quam aliorum hominum ipsius loci. Et insuper nomine suo et vice et nomine totius communis militum et aliorum hominum de Nono juraverunt supra dei evangelia eandem concordiam tenere et habere firmam et non removere ullo tempore per se nec per submissam personam, Et quod ipsi homines de Nono tam milites quam alij homines facient omnes communi Astensi fidelitatem, sicut vasallus facit domino, Et precipue facere eos jurare salvare et custodire comuni Astensi castrum et villam Noni et contra omnes alios homines defendere. Actum in Nono in domo Guidonis Robbe feliciter. Interfuerunt testes Anselmus Merlus de Alba, Otto Monachus, Otto Cappa, Scarampus, Jacobus boviculus, Guillelmus de vineis de Romanisio, Guillelmus de Ronchalio eiusdem loci et plures alij.

Et Thomas notarius cartam scripsit inde.

639. *De Nono, Rivofrancore, Cerro et Foresto et de comitatu Seralonge ac de Quatordeo cum Musancia et Musanzola, Trevezola et Ducino semper tenendis per comune Ast et non alienandis et de pena contrarium attentantibus imponenda etc.* 1197. 12 Decembris [1].

In nomine domini nostri Yhesu Christi, dominus Albertus de Fontana potestas Astensis cum consilio credendariorum suorum per campanam congregatorum et aliorum quamplurium virorum sapientum tale statutum tale decretum et ordinamentum fecit, videlicet ut commune de Aste decetero omni tempore ad commodum et ad proprium et ad communem utilitatem comunis Astensis habeat teneat firmiterque et libere possideat castrum de nono cum burgo et cum villa et cum Rivofranchoris et cum Cerro et cum Foresto et cum pedagio et cum taloneo et cum omnibus doneis et universis possessionibus accessionibus et ingressionibus *et* aluvionibus et cum omnibus doneis et universis possessionibus Nonalibus que nunc sunt vel pro tempore fuerint [2] et cum omni posse et districtu et cum omni honore et curia et comitatu et cum omnibus alijs rationibus et pertinentijs ipsius castri sicut Imperator Fredericus et Imperator Henricus per se vel per suos nuncios vel nuncium olim illud castrum de Nono cum omnibus supradictis liberius tenuerunt et possederunt. Et ut comune de Aste ad propriam et comunem utilitatem urbis Astensis etiam habeat teneat firmiterque et libere omni tempore possideat comitatum Serrelonge cum Musancia et Musanciola et Travazola et ducino et cum honore et cum curia, et cum pedagio et theloneo et cum omnibus donneis et pertinentijs et accessionibus et ingressionibus et rationibus ipsius comitatus que nunc sunt vel pro tempore fuerint [2] et cum posse et districtu illius comitatus, sicut Imperator Fredericus et imperator Henricus per se vel per eorum nuncium vel nuncios olim liberius tenuerunt et possederunt. Et si

[1] Statutum hoc ex ipso Codice nostro transcriptum edidit J. Ficker *Forschungen zur Reichs* etc. cit. IV. p. 250, N. 198. — [2] *fuerunt.*

qua alia sunt ipsi comitatui pertinentia que non tenuerint, Tali modo ut ipse Albertus de Fontana potestas Astensis vel aliqua persona que potestatem vel regimen vel consulatum urbis Astensis habeat in aliquo tempore, nequeat per se nec per aliam personam sub aliquo ingenio predictum castrum de Nono et Comitatum de Serralonga nec omnia supradicta in parte neque in totum, nec redditus nec ususfructus eorum in aliquo tempore vendere nec donare nec permutare, nec pignori obligare nec infeudare nec aliquo alio quoquo modo sub aliquo ingenio a dominio et proprietate urbis Astensis alienare, Excepto eo quod si aliqua necessitas communi Astensi superveniret, quod tunc liceat potestati vel consulibus pro tempore existenti vel existentibus fructus unius anni tantum in simul obligare vel vendere iusto precio et plus ibi offerenti bona fide, obligatione vel venditione illa prius tamen per preconem communis per civitatem publice preconata, ita tamen quod hec venditio seu obligatio fiat cum consilio Astensis credentie totius vel maioris partis, per campanam congregate, Eo [1] salvo si credentia illa non fuerit centum virorum, quod usque ad centum de legalioribus et melioribus urbis Astensis, ibi convocentur, quorum consilio et credendariorum hec obligatio vel venditio fiat. Quod supra ordinavit decrevit et statuit predictus albertus de Fontanna potestas Astensis de Castro Noni et comitatu Serrelonge et de alijs predictis ut supra legitur. Idem statuit decrevit et ordinavit de pedagijs, sextayrarijs et minis et de ceteris que venduntur ad pondus vel ad mensuram ex quo ad tinum fuerint, similiter et de moneta, Et de castro et villa Quatordei et de omni posse illius castri videlicet ut in aliquo aliquo [2] modo vel sub aliquo ingenio nequeat ab aliqua persona vendi vel dari vel obligari aut permutari vel infeudari aut aliquo [2] alio modo a dominio et proprietate urbis Astensis alienari, nisi supradictis modis et predictis solemnitatibus intervenientibus, salvo tamen eo quod moneta possit vendi usque ad triennium et non plus simul. Item ordinavit statuit et decrevit idem Albertus de fontana potestas Astensis et per sentenciam dixit siqua persona de Ast et de virtute Astensi in aliquo tempore contra hoc quod supra statutum ordinatum et decretum est de castro noni et de Rivofranchore et de Cerro et de Foresto et de doneis et de accessionibus alijsque pertinentijs ut supra legitur, et de comitatu Serrelonge et de pedagijs et sextayris, minis, et hjs que venduntur ad pondus vel mensuram et de moneta et de pertinentijs comitatus Serelonge ut supra legitur et de Quatordeo venire presumpserit, vel ea omnia supradicta in totum vel in parte comuni Astensi inquietaverit vel molestaverit aut impedierit, aut inde contra commune Astense vel cum ipso communi agere seu causari vel placitare tentaverit, quod componat ipsi comuni Astensi solidos mille Astenses quotienscumque hoc fecerit sine restitutione aliqua vel excusatione in aliquo tempore ei inde [3] facta a comuni, Et insuper ut in aliquo tempore non sit consul nec credendarius in Aste, nec aliquod officium in Aste habeat pro communi in aliquo tempore, et si penam dare non poterit quod in banno ponatur, de quo in aliquo tempore non exeat, donec penam solvat. Et hoc totum quod supra legitur ipse albertus de Fontana potestas Astensis tactis corporaliter sacrosanctis evangelijs iuravit firmum tenere toto tempore sui regiminis ita quod de hoc sacramento nequeat absoltum petere nec

[1] L. c. *Et.* — [2] Deest *aliquo.* — [3] Id. *inde.*

possit absolvi a credentia Astensi nec ab universitate Astensi in contione nec alibi nec ab aliqua alia speciali persona ullo modo. Et quod in brevi supra quod potestas vel consules populi post eum intrantes vel intrans iuraverint poni faciet hoc, Et quod idem faciet jurare potestatem vel consules prius post eum in Aste intrantes, et tantum plus si facient fieri sacramenta pro comuni per civitatem quod faciet populum iurare, hec omnia firma tenere per se omni tempore, ita quod ipse potestas vel consules illud idem teneantur facere iurare potestatem vel consules post eum vel post eos intrantes, et ipsi alios consules vel potestatem pro tempore intrantes, firmum tenere, ut duret omni tempore, nec de brevi comunis ullo tempore deleatur. Item iuravit potestas facere iurare emendatores brevis communis supra quod iurabunt potestas vel consules post eum intrantes vel intrans hoc capitulum ibi ponere, quod supra legitur. Hec omnia predicta, predictus Albertus de Fontana potestas Astensis per sentenciam pronunciavit firma et rata esse omni tempore. Actum in solario Asinariorum in urbe Aste ad portam de Archu Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo septimo, Indictione quintadecima die veneris duodecimo intrantis decembris. Interfuerunt testes Baiamondus de plathea, Guidacius Falletus, Otto damianus, Rollandus Zuchus, Tibertus Tarcianus, et multi alij qui ibi convenerant.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et precepto predicti Alberti potestatis Astensis scripsi.

XCV. De Rivofranchoris.

(Hic pictum est Castrum. Vid. Tab. IX, n. 36).

De Rivofranchoris habetur suprascripto proximo capitulo.

XCVI. De Foresto.

Hic depingatur Forestum.

De Foresto habetur suprascripto proximo capitulo.

XCVII. De Quarto.

(Hic pictum est Castrum. Vid. Tab. IX, n. 37).

640. *De dominis de Mirabello effectis civibus Ast debentibus solvere fodrum ibidem, et quomodo castrum Quarti fuit constructum per comune Ast super possessiones dictorum dominorum de quibus promissum fuit eis dare quod congruum foret.* 1246. 21 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo quadragesimo sexto Indictione quarta die martis vigesimo primo intrantis Augusti, Actum est in domo communis, testes Guillelmus de Brina, Albricus de Cumignano clavarius communis, Bonusiohannes Robertus, Oddo Calianda, Bonefacius de Moneta et petrus poiesia, Presentia quorum dominus Sylanus Niger potestas Astensis voluntate et consilio utriusque credentie et rectorum societatum per campanam et nuncios more solito congregatorum et ore ad os interogatorum et scriptorum, et ipsi credendarij nomine et vice communis Astensis

receperunt in cives et habitatores communis Astensis filios quondam domini Henrici de Mirabello scilicet Wilelmum et Rodulfum eius fratrem, et nepotes suos filios quondam Henrici eorum fratris, scilicet Alrietum et Jacobinum filios quondam domini Maynfredi de Mirabello, fratris dicti Henrici de Mirabello, scilicet Butum et Gayum et patricum et Alrietum et Petrinum eius fratres pro sese et suis heredibus et filijs, Tali modo et forma quod predicti omnes sint cives et habitatores communis Astensis sicut alij cives Astenses, solvendo predicti filij domini Alrici et eorum nepotes comuni Astensi fodrum de libris vigintiquinque Astensibus et non de pluri, usque ad xxviiii^{or} annos, et filij dicti domini Maynfredi quondam de alijs libris vigintiquinque Astensibus et non de pluri, usque ad predictum tempus vigintinovem annorum, Et hoc totiens quotiens civitas Astensis ad fodrum pervenerit, Et a dicto termino in antea teneantur solvere communi Astensi fodrum de omni eo quod haberent vel acquirerent ad modum et formam aliorum civium civitatis Astensis, Eo acto expressim inter predictos dominum Sylanum nomine dicti communis voluntate dicti consilij et predictos dominos de Mirabello, quod aliquod habitaculum in Civitate Astensi facere constringi non possint nec debeant per potestates et Rectores existentes in regimine civitatis Astensis vel per alium existentem loco eorum nisi ad eorum voluntatem, dummodo starent vel maior pars eorum in loco Quarti cum familia. Item quod comune Astense faciet eis dari quod congruum fuerit de terris quas homines ceperunt et in quibus comune Ast fecit castrum, que dictorum dominorum sunt. Et si quod bannum alicui dictorum dominorum olim datum fuit occasione fodrorum olim impositorum, vel de rebus eorum sive de terris aliquibus eorum, inde absolvantur. Item quod predicti domini sive eorum heredes possint stare et habitare in castro Quarti noviter facto per comune Astense cum alijs hominibus dicti loci ad eorum voluntatem, Salvo eo quod propter stallum factum ibidem non possint nec debeant constringi per hominem dicti loci solvere communi Quarti aliquod fodrum, vel aliquam aliam condictionem eis facere ipsis solventibus predictum fodrum communi Astensi. Item quod liceat eis facere fornacem unam super suo, in posse Mirabelli pro eorum domibus levandis et aptandis tantum in loco Quarti sine eo quod aliquam condictionem faciant communi Astensi vel alij persone ita quod per potestatem vel consules Astenses costringi non possint quin dictam fornacem ibi facere possint et quin in dicta fornace possint comburere ligna ad eorum voluntatem pro predictis eorum domibus levandis et aptandis tantum, Et teneantur similiter decetero comuni Astensi ire in exercitibus et cavalcatis et alia facere prout alij cives Astenses facient ad voluntatem dicti communis, Excepto solomodo quod non teneantur solvere dicto communi nisi tantum de predictis libris quinqueginta usque ad predictum terminum secundum quod superius continetur, Que quidem predicta omnia et singula predictus dominus Sylanus voluntate consilij predictis dominis per se et suos heredes attendere et observare promisit, Et si quod capitulum statutum vel ordinamentum fieret, quod contra formam presentis instrumenti esset, sit cassum et inutile et nullius valoris. Et pro hijs omnibus attendendis et observandis predicti domini omnia eorum bona, eorum nomine et nomine aliorum qui non iuraverunt citaynaticum predicto domino Sylano nomine dicti communis pignori obligaverunt. Et inde plura instrumenta unius tenoris michi infrascripto notario precepta sunt fieri ita quod quilibet ipsorum habeat unum, quorum istud est factum in carta

pro comuni. Isti sunt illi qui iuraverunt citaynaticum, Guillelmus de Mirabello, Rodulfus eius frater, Alrietus eius nepos, Butus, patricus, Gaius et Alrietus eius frater.

Et ego Thomas Aycardengus notarius pallatinus interfui et precepto dicti domini Syllani potestatis Astensis et consiliatorum sic scripsi, Et predictum instrumentum feci in carta communis pro predictis dominis.

XCVIII. De Govono.

641. *De Rodulfo Ardizono et Anselmo de Govono et pluribus alijs effectis civibus Ast dando fodrum de libris centum.* 1207. 30 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo septimo Indictione decima die iovis tercio kallendas Septembris, dominus Oliverius Ysembardus potestas Astensis nomine communis Astensis, et cum consilio credentie simul per campanam congregate fecit donum in manibus Rodulfi de Govono, Ardizonis de Govono, Anselmi de Govono, Aycardi de Maglano et Oddonis de priocha, Anselmi de Ecclesia, Oddonis Bergane, Rollandi de lavezolis, Anselmi Mataracij, Rodulfi discalcij, Bergongni de Govazolio ut a modo imperpetuum ipsi cum eorum heredibus sint cives Astenses solventes ipsi cum eorum consortibus qui hoc citaynaticum fecerint, de predictis castris, quotiens civitas ad fodrum pervenerit fodrum de libris centum, et facientes omnia alia scufia que cives Astenses faciunt, salvo eo quod non tribuant fodrum in Aste nisi de predictis libris centum, et ementes ipsi domum unam in Aste usque ad annum novum proximum, de precio librarum quinqueginta et complentes precium illius domus a sancto Michaele proximo usque in capite unius anni prius venientis, nisi per absoltum potestatis vel consulum Astensium cum consilio credentie simul per campanam congregate remanserit et terminum datum sequi et attendere, Et sic ut supra legitur predicti castellani tactis corporaliter sacrosanctis evangelijs iuraverunt in perpetuum esse cives Astenses, et dare cum eorum consortibus ut superius dictum est semper cum civitas ad fodrum venerit, fodrum de libris centum, et facere alia scuffia urbis Astensis sicut alij cives Astenses, preter de fodro, quod non tribuant nisi de libris centum et quod ement predictam domum in Aste usque ad annum novum et complere solutionem illam, videlicet librarum quinqueginta a sancto Michaele proximo usque in capite unius anni, nisi per absoltum potestatis vel consulum de Aste remanserit, et terminum datum sequi et attendere, nec postea predictam domum vendere nec donare nec alicui in feudum dare, nec pignori obligare, nec aliquo modo in aliquo tempore a se alienare, Et pro omnibus predictis complendis et attendendis omnia eorum bona predicto domino Oliverio nomine communis Astensis pignori obligaverunt. Actum Aste in domo communis in credentia simul per campanam congregata. Interfuerunt testes Petrus laurentius, Nicholaus Gardinus, Petrus durnasus, Cargia, Johannes Asinarius et plures alij.

Et ego Otto hanc cartam scripsi.

XCIX. De Castagneto.

(Hic pictum est Castrum. Vid. Tab. IX, n. 38).

642. *De concessione per Thomam Oberti Thome pro se et consortibus suis facta comuni ast de Castagneto ad faciendum guerram pro dicto comuni, Et de promissione similiter facta de iuribus que habent contra Episcopum Astensem in Castagneto vendendis dicto comuni pro libris VII.*c 1225. 31 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimoquinto, Indictione Terciadecima die martis secundo kallendas Januarij, coram testibus infrascriptis, Tale pactum per stipulationem firmatum fecerunt ad invicem inter se se scilicet dominus paganus de petra sancta potestas Astensis nomine et vice communis Astensis ex una parte et Thomas filius quondam Oberti Thome ex altera nomine suo et nomine Oberti et Ottonis filiorum quondam Jacobi Thome de curia. In primis quod dictus Thomas nomine suo et nomine Ottonis et Uberti dedit et concessit possessionem castri et turris et ville et posse castri Castagneti ipsi domino pagano nomine communis Astensis recipienti hoc modo, Constituendo se possidere predicta nomine comunis Astensis quousque ipse Thomas et eius predicti consanguinei communi Astensi de predictis tradiderint corporaliter possessionem, et quod predicti Thomas Ubertus et Otto eius consanguinei faciat et faciant de predicto castro et villa guerram pro predicto communi usque ad duos annos proximos et completos et tantum plus, quantum guerra duraret dum commune tenebit dictum castrum pro conventis infrascriptis videlicet quod Thomas et predicti eius consanguinei debent habere a communi ad presens libras Centum Astenses, que sint ipsius Thome et predictorum eius consanguineorum et eis remaneant. Et si infra predictum terminum duorum annorum vastum eis fieret palam et vi, pro guerra communis Astensis vel occasione illa, quod dedissent communi predictum castrum, debent habere alias libras Centum a predicto comuni, que sint eorum proprie, et eis remaneant infra mensem unum postquam vastum eis foret factum, Et lapsis predictis duobus annis durante guerra si vastum eis ut supra legitur fieret vel eorum terra vastata staret predicta occasione debeat habere anuatim a communi pro rata temporis ad rationem librarum Centum per annum. Item predictus Thomas nomine suo et nomine predictorum consanguineorum suorum promisit predicto domino pagano nomine dicti comunis dare et dari facere a predicto Ottone et Uberto omnia iura que habent occasione ipsius adversus Episcopum Astensem et bona Episcopatus, et specialiter illa que habent versus Castagnetum pro precio librarum Septingintarum, computatis illis denarijs quos durante guerra a communi receperint, Et hoc de tribus annis tantum, et non de pluri, si per trienium guerra duraret vel ultra, Et commune teneatur dictas libras Septingintas dare et iura accipere, si usque in dicta quantitate iura eis competentia cedere poterunt et docere per instrumenta publica usque in dicta quantitate sibi competere , et si plus iuris haberent occasione predictorum instrumentorum illud eodem precio dabunt et cedent, computato eo quod habuissent a comuni pro predictis tribus annis, Et quod dictum est de iuribus cedendis, intelligatur tantum de juribus illis pro quibus haberent pignori obligata omnia bona Episcopatus Astensis et specialiter Castagnetum. Ex adverso

dominus paganus predictus nomine dicti communis promisit dicto Thome suo nomine et suorum predictorum consanguineorum recipienti quod si Episcopus Astensis vellet solutionem dictarum librarum Septingintarum facere sibi, et dictum comune nollet ei dictum castrum restituere, Et pro inde heredes Johannis Asinarij vel Anselmus Mussus de Curia aut eorum heredes vel eorum res damnum aliquod sustinerent, dictum comune eos et res eorum inde conservabit indemnes, vel reddere ipsi Thome et Ottoni et Oberto predictum castrum illis restituentibus quicquid a comuni receperunt secundum predictam formam. Item promisit dare eis predictos denarios sine aliquo saximento vel impedimento quod possit vel debeat eis fieri pro aliquo creditore vel pro aliqua occasione. Item promisit dictus dominus paganus nomine predicti communis ipsi Thome suo nomine et predictorum consanguineorum recipienti, si contingeret quod dictum castrum Castagneti dicto comuni auferetur, quod deus avertat, quod dictum commune tunc teneatur illud castrum ipsi Thome Uberto et Ottoni restituere infra quatuor menses proximos et completos post sequentes, Alioquin teneatur eis dare dictas libras DCC. computatis illis denarijs, quos a comuni recepissent infra primos tres annos et non ultra. Item dominus paganus promisit nomine comunis ipsi Thome nomine predicto restituere eis predicta infra mensem unum postquam comune ad pacem pervenerit, Et quod in perpetuum comune iuvabit eos ad manutenendum dictum castrum cum ratione si ab aliquo vel aliquibus vellet eis vi auferri. Item dictus Paganus nomine communis Astensis promisit Thome nomine predicto sic facere, quod sequens potestas post se faciet iurare supra capitulum sui sequiminis omnia predicta attendere et observare. Hec omnia predicta ut supra determinata sunt promisit dictus Thomas attendere et observare per se bona fide et sine fraude, et facere ita quod Ubertus et Otto predicta attendent et observent pro eorum parte et sub ypoteca suorum rerum obligando specialiter omnia bona que habent et specialiter Castagnetum et illud Jus quod in eo habent. Insuper ipse Thomas promisit ipsi pagano nomine communis Astensis sic facere quod dictus Ubertus et Otto omnia predicta facient promittent et iurabunt et confirmabunt usque ad octo dies, Et proinde dictus Thomas omnia sua bona dicto domino pagano nomine dicti communis pignori obligavit, et specialiter Castagnetum et illud Jus quod in eo habet, Et hec omnia renunciando omni juri quo se inde iuvare vel tueri posset promisit et iuravit attendere et observare et firma tenere. Actum Aste in domo communis interfuerunt testes Berrardus zaconus, Obertus Guardalos, Robaldus turtus, Mussus Boviculus in publica credentia. Item eodem anno et Indictione et eodem loco die mercurij octavo Januarij coram testibus infrascriptis Otto predictus de Castagneto promisit domino Frasso Judici domini pagani nomine predicti comunis omnia predicta pro eodem precio cum omni convento supradicto et iuravit attendere et observare facere et complere et sicut scripta sunt in omnibus et per omnia pro sua parte confirmavit. Testes ibi fuerunt presentes Jacobus Cresencius, Jacobus advocatus, Jacobus Belserius, Petrus de Montibus, Mussus Boviculus. Preterea eodem anno et eadem Indictione die veneris sextodecimo kallendas Februarij, presentibus testibus ypolito ypolitorum, Jacobus zalce, Clerico Graseiverto et pellegrino notarijs, Ubertus suprascriptus de Castagneto promisit domino Frasso Judici dicti pagani nomine comunis Astensis omnia predicta pro eodem precio cum omni convento supradicto

et iuravit attendere et observare facere et complere et sicut scripta sunt in omnibus et per omnia pro sua parte confirmavit, Et proinde dictus Obertus et Otto omnia eorum bona que habent et specialiter Castagnetum et jus quod in eo habent pro predictis attendendis observandis et complendis pignori obligaverunt predicto domino Frasso nomine predicti communis. Facta fuit promissio Uberti in canonica communis, et inde duo instrumenta unius tenoris fuerunt precepta.

Et Mamfredus Carena notarius scripsit.

643. *De juramento facto per Jacobum Thomam de non reddendo Castagnetum alicui persone sine licencia comunis ast, et de observandis preceptis potestatis ast presentis et futurorum.* 1202. 8 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo indictione quinta die mercurij octavo intrantis Madij presentia infrascriptorum, Jacobus Thomas et Obertus frater eius iuraverunt supra sancta dei evangelia si recuperarent castagnetum pro comuni de Aste, quod illi non redderent illud alicui persone sine absolto potestatis Astensis scilicet domini Guidonis de piroano vel alterius potestatis vel consulum in Aste per tempora existentium et quod omnia ea precepta, que ipse Guido potestas Astensis tempore sui regiminis pro communi faceret de Castagneto, et omnia ea precepta que potestas vel consules in Aste post eum per tempora existentes de Castagneto facerent, bona fide attendent et facient, salvo eo quod turris et dominionum Castagneti, semper in eorum forcia remaneat, ita, quod ex eis non disponerentur. Actum in presens domini Guidonis de piroano potestatis Astensis supra voltam Jacobi de Stoherda, Testes Rogerius de piroano, Rollandus de Fontana et Guillelmus Scarampus.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

C. De Maglano.

(Hic pictum est Castrum. Vid. Tab. IX, n. 39).

644. *De çitaynatico Anselmi Ottonis et Rufinj de Maglano effectorum civium Astensium debendo dare fodrum in Ast de libris LXXII. et facere pacem et guerram pro comuni Ast, et similiter eorum homines.* 1198. 23 Septembris.

(Omisimus quia iam est ad Num. 317).

CI. De Gaurena.

645. *Quomodo illi de Gaurena iurare debent de salvando iuvando ac receptando Astenses, et ipsi Astenses illos de Gaurena similiter salvo Episcopo Albensi.* 1192. 11 Decembris.

In nomine domini Ad honorem dei et eius servicium et beate Marie Virginis et beatorum Martirum Secundi et Laurencij et omnium sanctorum et Sanctarum dei, et ad honorem et servicium Henrici Romanorum imperatoris Augusti et salva eius fidelitate, et ad honorem commodum utilitatem et melioramentum omnium civium Astensium et omnium amicorum eorum, et domini Ogerij Albensis Episcopi et omnium hominum de Gaurena et amicorum eorum, homines de Gorena ex precepto et voluntate

domini Ogerij Albensis Episcopi debent iurare salvare et custodire bona fide et sine fraude omnes homines de Aste et de eorum posse in personis et rebus eorum in Gorena et in toto posse Gorene et alibi ubicumque poterunt bona fide, et adiuvare eos et defendere ubicumque poterunt ab omni homine, salvo Albensi Episcopo bona fide, Et si contingerit quod homines de Aste pergant in partibus Gorene, et in eisdem partibus insultum faciant et predam ducant, homines de Gorena debent eos reducere in castro et in villa Gorene guarnitos et scaritos pro communi et pro diviso, et cum preda eorum si ipsis Astensibus necesse fuerit et eis placuerit, Et si Astenses mandaverint hominibus Gorene ut veniant in eorum auxilio et in eorum succursu, ipsi debent venire ad suas expensas. Similiter sicut homines Gorene debent iurare astensibus ita et astenses debent iurare per omnia hominibus Gorene per eorum missum in communi credentia per campanam congregata, salvis omnibus eorum sacramentis, Et hec utraque pars debet jurare observare usque ad decem annos, et tantum plus quantum inter se communiter concordaverint. Actum urbe Aste in domo Calcanei de Sancto Systo anno domini Millesimo centesimo nonagesimo secundo, Indictione decima die veneris undecimo intrante decembre. Interfuerunt testes Raynerius de Corsembraldo, Nicolaus Gardinus et plures alij.

Et ego Jacobus Boviculus notarius hanc cartam scripsi.

CII. De Sancta Victoria.

(Hic pictum est Castrum. Vid. Tab. IX, n. 40).

646. *De venditione facta communi Ast per Martinum de Revello de medietate duodecime partis castri et ville Sancte victorie cum omnibus Juribus ad ipsum spectantibus pro precio librarum XXXI Astensium.* 1199. 17 Decembris.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo nono Indictione secunda die veneris sextodecimo kallendas Januarij, Cartam venditionis fecit Martinus de Revello in manibus petri Fantini judicis domini Nicholay de foro potestatis Astensis nomine communis Astensis de medietate duodecime partis castri et ville sanctevictorie pro indiviso cum omni honore districtu et posse et curia, nichil in se retinens cum aquatico et pasquatico, rippis, rupinis ruynis et aqueductibus ierbis cultis et incultis boschis ecclesijs et capellis in militibus rusticis feudatis et infeudatis, et de toto illo quod ibi habebat vel alius pro eo pro libris XXXI. Astensibus, de quibus tenuit se pagatum. Tali modo quod ipse petrus nomine communis Astensis faciat inde quicquid voluerit sine contradictione predicti Martinj et suorum heredum, Quam venditionem predictus Martinus per se et per suos heredes predicto petro nomine communis per se et suos heredes ab omni homine defendere promisit, quod si defendere non posset vel aliquo ingenio subtrahere quesierit, tunc in duplum eandem venditionem qualiter supra legitur in integrum sicut fuerit meliorata pro tempore aut valuerit sub extimatione precij in consimili loco restituere promisit, et dedit ei pro dono nomine communis si plus valebat, quam erat precium, preterea dedit eidem nomine communis Astensis omnia iura et omnes actiones reales et personales quas habebat versus Girardum Mollum pro ista parte et exceptiones et replicationes tali modo quod ipse et sui successores nomine communis ipsius possit agere et experiri et ab alio se tueri et contra

predictum Girardum et omnes alias personas sicuti poterat ipse Martinus. Actum hoc Aste in domo Johannis Asinarij, Testes fuerunt ibi Arnaldus de platea, Nicholaus de Sancto Stephano, Otto de Barbarescho. Item die Sabbati quintodecimo kallendas Januarij In castello Sancti Stephani Testes Nicholaus de Sancto Stephano, Ogerius Carlevarius, domina Vircia uxor predicti Martinj renunciavit omni quod habebat in dicta vendictione dote vel alio modo, et juravit supra dei evangelia predictam venditionem in perpetuum habere firmam et nullo tempore removere per se nec per aliam personam.

Et Otto Bassus notarius scripsit.

647. *De promissione facta per dictum Martinum de faciendo Ubertum de Revello nepotem suum renunciare venditioni predicte.* 1199. 22 Decembris.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo nono Indictione secunda die mercurij undecimo kallendas Januarij Martinus de Revello promisit et iuravit supra dei evangelia petro Fantino judici domini Nicholai de Fodro potestati Astensi nomine communis Astensis quod faciet Ubertum de Revello nepotem suum renunciare venditioni quam fecerat de Sanctavictoria usque ad pasca proximum bona fide, et si non faceret, et Ipse Ubertus molestaret promisit deliberare in pena dupli commune Astense super omnia sua bona, et specialiter super illud quod habet in Consortito de Niveis et pro isto Uberto et pro omni persona in duplum que molestaret, Et Raynerius de Corsembrando eidem petro nomine comunis si Ubertus non renunciaret et molestaret quod expediret et faceret quod renunciaret si posset, et si non renunciaret, daret potestati qui tunc esset libras XXXI. Astenses super omnia bona sua, et cum Renunciaverit Raynerius sit absolutus. Actum Aste in solario Asinariorum testes fuerunt ibi Otto de Barbarischo, Petrus Ghislanerius, Raymondus Pallius.

Et ego Otto Bassus sacri pallatij notarius interfui rogatus et scripsi.

648. *De Investitura per comune Ast facta in Girardum Mollem de Alba pro recto feudo de eo quod olim tenebat in sancta victoria in feudum a suprascripto Martino, Et de fidelitate exinde facta dicto comuni per dictum Girardum.* 1201. 27 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo primo Indictione quarta die mercurij quinto kallendas Julij presentia infrascriptorum, Astenses consules de Communi videlicet Jacobus de Vivario, Guillelmus Ratio et Rollandus Cazo pro se et pro socijs eorum nomine communis de Aste investiverunt Girardum Mollem de Alba pro recto feudo de hoc quod ipse Girardus olim tenebat pro feudo a Martino de Revello in Sanctavictoria, quod ipse Martinus communi de Aste vendiderat, Et ibidem ipse Girardus fecit fidelitatem de hoc feudo ipsis consulibus nomine tocius communis de Aste talem qualem vasallus facit domino. In qua fidelitate apposuit et juravit ostendere eis feudum de quo eum investiverant quandocumque ipsi vellent. Actum urbe Aste in credencia per campanam congregata in ecclesia Sancti Johannis de domate, Testes Bayamondus de platea, Petrus Cicia, Nicholaus Gardinus, Opizo de Falletus, Maynfredus Cavazonus et multi alij.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

649. *De certis conventionibus factis inter comune Ast ex una parte et Bonefacium de Brayda et quosdam alios Castellanos occasione Sanctevictorie contra comune albe.* 1207. 4 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo septimo, Indictione decima die iovis quarto intrantis octubris, In nomine domini nostri Yhesu Christi amen. Hec est forma pactionis et concordie Astensium et Bonefacij de Brayda et Guillelmi pilosi et Guillelmi de pocapalea et Sismondj de Sarmatorio, et Maynfredi Bricij et Ogerij de Montefalcono et Nicholay de Montefalcono eorum nomine et nomine aliorum omnium qui cum eis in hac petitione et concordia cum comuni voluntate eorum et Astensium esse voluerint, Si occasione facti Sancte Victorie cum concordia Astensium et aliorum omnium supradictorum guerra Albensibus incepta fuerit homines de Aste et omnes alij supradicti debent facere vivam guerram hominibus de Alba unusquisque a domo sua per se et per omnes suos homines et de omnibus suis castellis et locis, et unus alium pro suo posse adiuvare de illa guerra usque in finem, Et ex illa guerra aliquis predictorum nec Astenses non debet facere pacem nec treuguam, nec guerram recreutam cum albensibus sine consilio et voluntate omnium aliorum, et unusquisque predictorum debet alium salvare et custodire in avere et in persona, ac adiuvare et defendere in sua terra et in suo posse ab omni homine, Et si albenses Astensibus guerram inceperint vel alicui supradictorum, unus teneatur adiuvare alium et facere vivam guerram ipsis albensibus usque in finem sicut superius continetur infra unum mensem si pars parti denunciaverit, si Id quod alicui eorum factum fuerit alij non possent facere ei restituere, eo, cui albenses guerram inceperint, faciente securitatem standi eis rationi, nec ex ea guerra facere postea pacem nec treuguam nec guerram recreutam sine consilio et voluntate alterius. Item unusquisque omnium supradictorum debet reducere salvare et custodire alterum in here et in persona, in omnibus suis fortijs et castellis pro comuni et pro diviso, Et Guillelmus pilosus et omnes alij non debent vetare Astensibus nec alicui supradictorum castrum Sanctevictorie pro guerra albensium. Et hoc tantum Astenses et omnes supradicti debent observare usque ad decem annos proximos et completos. Item Astenses et omnes supradicti non debent infra hunc terminum facere cum albensibus conjurationem nec societatem nec citaynaticum nec aliquod pactum nec conventum nec ex se, nec per eorum homines potestatem ullo modo accipere sine communi consilio et voluntate omnium supradictorum. Et Guillelmus pilosus et alij supradicti non debent vetare hominibus de aste guarnitis et scaritis pro comuni nec pro diviso castrum nec turrim Sancte Victorie in aliquo tempore quin faciant ex eo castro pacem et guerram cuicumque voluerint salvo Episcopo astensi in suo feudo, Et sic ut supra legitur dominus Oliverius Ysembardus potestas Astensis nomine comunis de Aste domino Bonefacio de Brayda suo nomine et nomine aliorum supradictorum, et eorum qui communi astensi consilio eorum Astensibus in hoc se associaverint stipulanti promisit et supra sancta dei evangelia iuravit attendere bona fide, Guillelmus de Beccarijs clavarius communis iuravit eidem. Item Jacobus Rohat, Rollandus Cazo, Albertus de porta, Guillelmus Bertramus, Bertramus frater eius, Petrus de Ayratio, Petrus durnasus, Bayalardus Berrardensis, et Jacobus Monacus Ita ut supra legitur iuraverunt attendere et dare forciam et virtutem ut

hec omnia prenominatis hominibus attendantur. Similiter dominus Bonefacius de Brayda, Guillelmus Pillosus, et Sismondus de Sarmatorio, Maynfredus Bricius, Ogerius de Montefalchono, Nicholaus de Montefalchono, Ardizio et henricus de pocapalea eorum nomine et nomine domini Guillelmi de pocapalea patris eorum et omnes isti eorum nomine et nomine omnium aliorum qui cum comuni consilio et voluntate eorum et Astensium in hac concordia fuerint, promiserunt domino Oliverio ysembardo potestati Astensi, et supra dei evangelia iuraverunt, excepto Sismondo de Salmatorio ita ut supra legitur et continetur bona fide attendere et observare, et Ogerius filius domini Bonefacij de Brayda iuravit idem. Actum in quodam campo iuxta Sanctum damianum. Testes dominus Raynerius abbas Savilliani dominus Guido Butigella iudex domini Oliverij ysembardi potestatis Astensis, Guillelmus Gardinus, Gandulfus de Camanianna. In eodem die et loco, dominus Oliverius ysembardus potestas Astensis et dominus Bonefacius de Brayda et omnes alij supradicti in concordia fuerunt ut hec infrascripta in hac concordia attenderentur, videlicet quod unus alteri teneatur facere iurare consules vel potestates post eum in aste intrantes hoc totum attendere et observare. Et inde Jacobo Boviculo notario potestas et alij supradicti tres vel plures cartas unius tenoris facere vel fieri facere preceperunt.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus predictis omnibus interfui et precepto potestatis et aliorum supradictorum scripsi.

Eodem Anno et eodem mense die iovis quartodecimo kallendas novembris, in urbe Ast in domo communis credendarij de Aste quorum nomina subterleguntur juraverunt suprascriptam concordiam firmam tenere bona fide et dare forciam et virtutem ut firma teneatur, Robaldus Faxolius, Bonusiohannes Villanus, Jacobus de Vivario, Petrus de Moneta, Guillelmus Bovetus, Ubertus de platea, Raymondus layolius, Jacobus poreta, Jacobus clericus, Maynfredus Cavazonus, Ypolitus, Guillelmus Sicardus, Bellengerius laurencius, henricus de Sanctoiohanne, Morellus durnasus, Ubertus palius, Raynerius Macalufus, Henricus Belserius, Jacobus de Stoharda, Otacius Graseverdus, Otto de Quaranta, Berrardus Benedictus, Jacobus Ottinus, Johannes Asinarius, Guizardus Berrardensis, Bonaventus pelleta, Jacobus Bergogninus, Anselmus de prato, Rufinus Grugnus, Obertus dogletus, Rollandus Nataboza, Jacobus donnasibona, Guillelmus Curialis, Petrus Rotarius, Raymondus damianus, Rollandus Berrardensis, Bergnus Falletus, Jacobus Mignanus, Jacobus Robba, Jacobus layolius, Bonafusus Alerdo, Petrus Apolius, Gandulfus de Aqua, Ubertus Vaca, Otto Medicus, Gualla pelleta, Raynerius de Razanno, Jacobus Malabrancha, Jacobus de Comentina, Rufinus de Sanctosisto, Duniotus de Becharijs, Guillelmus Rotarius, Petrus de Rupe, Henriacius de Teglolis, Otto gagla, Albertus Crivellus, Bayalardus Balbus, Cargia, Gandulfus Monachus, Baiamondus Careocius, Rodulfus de Camayrano et Nicholaus Gardinus.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus in credencia illa existens precepto dominj Oliverij ysembardi potestatis Astensis nomina predictorum scripsi.

650. *De restitutione turris Sanctevictorie facta comuni Ast per procuratorem dominorum dicti loci, Et de concessione dicto comuni facta de castro villa et hominibus dicti loci pro Mille Marchis argenti in quibus ipsi domini dicto comuni Astensi tenebantur, cum multis alijs conventionibus.* 1277. 29 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo Indictione quinta die sabbati vigesimonono mensis Madij. Cum Inter commune Astense ex una parte, et dominos de Sanctavictoria ex altera guerra aliquibus temporibus extitisset, Et predicti domini de Sanctavictoria vellent ad pacem et concordiam pervenire civitatis Astensis, Ecce quod domini Filippus Scarampus, Manuel Gutuarius, Bertramus de Comentina eorum nomine et nomine domini Boniohannis Abellonij socij ipsorum in officio et baylia administrationis negociorum comunis Astensis nomine et vice communis Astensis ex una parte et Bonifacius pazola nuncius et procurator domini Ansaldi, Henrici, Maynfredi et Uberti de Sanctavictoria, de qua procuratione est instrumentum factum a Jacobo de Montefalcono notario hoc eodem anno et Indictione die quarto exeunte Madio nomine et vice ipsorum dominorum ex altera, pro bono pacis et concordie taliter convenerunt. In primis enim dictus Bonefacius nomine et vice dictorum dominorum de Sanctavictoria, restituit et concessit Turrim Sanctevictorie predictis sapientibus nomine et vice dicti comunis Astensis. Item quod liceat communi Astensi ipsam turrim semper tenere munitam ad eorum voluntatem. Item volens predictus Bonefacius predicto nomine facere emendam de damnis et offensionibus datis, et illatis communi Astensi, et restitutionem de interesse quod incurrit comune Astense occasione eorum, quod interesse est ut partes confitebantur Marcharum Mille Argenti, ex causa transactionis concessit predictis sapientibus nomine et vice dicti communis recipientibus castrum et villam et homines Sanctevictorie cum omni contitu et Jurisdictione cum aquatico et pasquatico mero et mixto imperio et cum omnibus ad ipsum castrum pertinentibus, transferens predicto nomine in ipsos sapientes predicto nomine recipientes, dominium et possessionem et quasi possessionem omnium predictorum, salvo jure Episcopi et ecclesie Astensis. Insuper predicti sapientes nomine dicti communis Astensis Investiverunt predictum Bonefacium nomine dictorum dominorum in gentile feudum de castro villa et hominibus et omnibus et singulis suprascriptis, salva turri que ad dominium et doneum remaneat comuni Astensi. Et promisit dictus Bonefacius se facturum et curaturum sic quod predicti domini de Sanctavictoria facient fidelitatem communi Astensi, Et promisit nomine ipsorum quod ipsi facient pacem et guerram pro communi Astensi contra omnes personas communitates et universitates, Salvo Episcopo et ecclesia Astensi. Item actum est quod predicti domini de Sanctavictoria recipiantur in cives Astenses, Ita quod teneantur stare ipsi et familia ipsorum et habitare in civitate Astensi tempore guerre ad voluntatem potestatis et comunis Astensis. Item quod ipsi teneantur per sese et heredes suos solvere fodra taleas presta et millitias tenere et alias condiciones facere in civitate Astensi sicut alij cives Astenses de omnibus et singulis bonis et redditibus mobilibus et Immobilibus ipsorum et heredum ipsorum, Salvo eo quod non teneantur de expensis hinc retro factis. Item actum est quod presens contractus non deroget nec prejudicet comuni Astensi in juribus bonis et rebus acquisitis in

Sanctavictoria et pertinentijs ipsius per commune Astense a comuni Albe. Item actum est quod homines ipsorum dominorum de Sanctavictoria faciant fidelitatem communi Astensi et promittant et jurent se facturos et curaturos sic quod predicti domini de Sanctavictoria attendent omnia et singula supradicta. Et si dicti domini predicta non attenderent, ipsi homines teneantur juvare comune Astense contra ipsos dominos, et de fidelitate similiter in casu predicto comuni Astensi et non ipsis dominis teneantur, Et obligabunt pro predictis attendendis omnia eorum bona. Item actum est quod predicta firmentur per publica instrumenta, et ordinentur ad dictamen domini Filippi Scarampi, Et eo modo et forma, quo predicta magis obtineant roboris firmitatem. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis dictus Bonefacius nomine et vice dictorum dominorum de Sanctavictoria omnia bona ipsorum dominorum eisdem sapientibus et michi notario nomine predicto recipientibus pignori obligavit. Actum in campis Sanctevictorie prope Tanagrum ubi dicitur ad Mollandinum novum, Interfuerunt testes dominus Oddo cassenus, Oliverius de Fossato, Andreas Sartor, Ubertus layolius, Gandulfus Graverius, et inde unum et plura instrumenta fieri preceperunt. Quam pacem et concordiam Bochonotus nuncius et preco communis Astensis nomine et vice dicti communis, et Bonefacius predictus nomine dictorum dominorum attendere et observare et nullo tempore contravenire corporaliter iuraverunt.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

651. *De confirmatione omnium contentorum in suprascripto proximo contractu facta per dominos Sanctevictorie, et de restitutione dicte turris, ac de fidelitate per eos facta dicto comuni salvo Astensi Episcopo, et de ipsorum dominorum receptione in cives Astenses.* 1277. 29 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo Indictione quinta die sabbati vigesimonono mensis Madij in presentia testium infrascriptorum dominus Arnaldus de Sanctavictoria, Henricus, Ubertus et Maynfredus, omnes de Sanctavictoria in manibus dominorum philippi Scarampi, Manuelis Guttuarij et Bertrami de Comentina et mei notarij infrascripti nomine et vice communis Astensis recipientium laudaverunt approbaverunt et ratificaverunt omnia pacta et conventiones et pacem, quas et que Bonefacius pazola procurator ipsorum nomine ipsorum ex una parte et domini Manuel Guttuarius, Philippus Scarampus et Bertramus de Comentina nomine et vice comunis Astensis et nomine domini Boniohannis abellonij socij sui ex altera fecerunt, de quibus extat publicum instrumentum factum per me notarium infrascriptum, hoc eodem anno et Indictione et die in campis Sanctevictorie, promittentes predictis sapientibus et michi notario infrascripto nomine et vice comunis Astensis recipientibus attendere et observare per sese et heredes eorum omnia et singula que per ipsum Bonefacium nomine ipsorum et per predictos sapientes nomine et vice communis Astensis fuerunt tractata facta et ordinata sub obligatione omnium bonorum suorum, que pro inde ipsi omnes eisdem sapientibus et michi notario predicto nomine et vice comunis Astensis recipientibus pignori obligaverunt. Et insuper turrim predictis sapientibus predicto nomine recipientibus expeditam restituerunt, qui eam ad eorum voluntatem munierunt. Et insuper fecerunt fidelitatem predictis sapientibus

et michi notario predicto nomine recipientibus et juraverunt corporaliter ad sancta dei evangelia salvare et custodire potestatem Astensem qui nunc est vel per tempora fuerit in civitate Astensi et homines astenses, et terram quam nunc tenent vel pro tempore tenuerint eisdem manutenere et defendere promiserunt, Et dare eis succursum et reductum in Sanctavictoria et alibi ad eorum voluntatem pro posse eorum, Et facere pro eis pacem et guerram contra omnes personas ad eorum voluntatem, Salvo Episcopo et ecclesia Astensi, Et generaliter juraverunt et promiserunt pro eis facere quicquid vasallus et fidelis pro suo domino facere tenetur et debet. Ita quod in presenti fidelitate intelligantur apposita omnia et singula que vasallus et fidelis domino suo jurare debet et promittere, Renunciando condictioni sine causa, vel ex injusta causa, exceptioni doli mali et in factum et omni juri. Insuper predicti sapientes nomine et vice communis Astensis predictos dominos de Sanctavictoria pro se et heredibus ipsorum receperunt in cives communis Astensis, promittentes eis ipsos salvare et custodire bona fide et sine fraude sicut alios cives Astenses. Et insuper remiserunt nomine predicto eis et cuilibet ipsorum et hominibus ipsorum omnem injuriam et offensionem et omnia et singula que contra ipsos dici vel opponi possent occasione guerre preterite usque ad hodiernum diem. Actum in castro Sanctevictorie interfuernnt testes Ubertus de Caralio, Bartholomeus Guttuarius, Guillelmus Guttuarius, Francischus Alionus, Roffinus de Sanctoiohanne et Gayus Merzarius et plures alij.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

652. *De fidelitate communi Ast facta per homines terre Sanctevictorie de consensu et voluntate dominorum suorum.* 1277. 30 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta die dominico trigesimo mensis Madij, In presentia infrascriptorum testium, Infrascripti homines de Sanctavictoria precepto et voluntate dominorum suorum scilicet dominorum Arnaldi, Henrici, Maynfredi et Uberti de Sanctavictoria fecerunt fidelitatem dominis Filippo Scarampo et Boniohanni Abellonio et michi notario nomine et vice communis Astensis recipientibus, et iuraverunt ad sancta dei evangelia salvare et custodire ac defendere bona fide et sine fraude potestatem Astensem qui nunc est vel per tempora fuerit et homines omnes de civitate et virtute Astensi et juvare ipsos contra omnes personas, et manutenere eis pro posse terram quam nunc tenent vel pro tempore tenebunt, Et specialiter Turrim Sanctevictorie, et alia iura que in Sanctavictoria habent, Ita quod in presenti iuramento omnia intelligantur expressa facta et promissa, que vasallus domino facere et promittere tenetur, Et facere et curare sic, quod domini predicti de Sanctavictoria attendent et observabunt omnia et singula pacta et conventiones habita et habitas inter dominos Philippum Scarampum, Manuelem Gutuarium et Bertramum de Comentina nomine et vice communis Astensis ex una parte, et Bonefacium pacellam nomine dictorum dominorum ex altera. Ita quod si predicti domini non attenderent ipsi homines teneantur communi Astensi, et non ipsis dominis, sub obligatione omnium bonorum suorum, que pro inde eisdem sapientibus et michi notario recipienti nomine et vice communis Astensis pignori obligaverunt. Actum in platea ante pontem Sanctevictorie. Interfuerunt testes puycus Macochus, Bertholomeus Culorius, poncius oculuscapre, Bonefacius pacella et Jacobus

de Montefalcono notarius, Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi. Nomina autem dictorum hominum qui fecerunt fidelitatem et juraverunt sunt hec, Jacobus Meglacia, Jacobus Rayrinus, Guillelmus Abbas, Guillelmus Veolla, Obertus Meglacia, Oddo Meglacia, Guillelmus de piro, Guillelmus Blanchus, Aycardus Eustachius, Filippus Rayrinus, Ogerius Ramellus, Jacobus deatus, Oddo de Alda, Jacobus Mussus, Maynfredus Canavarius, Facius Alferius, Johannes Barberius, Ardizio Abbas, Henricus Quaquarella, Raynerius dyana, Abbas de Abbate, Marengus Audinus, Jacobus Veola, Guillelmus Bertramus, Johannes Rubeus, Jacobus de Ast, Gualfredus Cerratus, Albexanus Capellus, Henricus Mussus, Ogerius Boschus, Jacobus Arminus, Maynfredus de Ruyno, Henricus Arminus, Petrus Arminus, Obertus Heustachius, Oddo Ferrarius, Henricus Alferius, Oddo Gualfredus, Oddo lia, Nichola Alferius, Guillelmus Amedeus, Bertholotus de Crossa, Nichola Albius, Oddo pelletus, Jacobus passator, Guillelmus Gattus, Guillelmus Gualfredus, Guillelmus Mussus, Maynfredus Craverius, Guillelmus Bogla, Marengus Trachinus, Jacobus Alferius, Obertus Balista, Guiglonus passator, Petrus Villanus, Maynfredus Seraphus, Maynfredus Bulla, Guillelmus Michael, Henricus Alerius, Nichola Bulla, Rofinus Aydinus. Item eodem anno et Indictione die veneris XVI mensis Julij, Actum eodem loco presentibus testibus dicto Jacobo de Montefalcono notario, Henrico de Savilliano et Jacheto de Secusia, Et inde Jacobus Valbella precepit nomine et a parte comunis Astensis quod de fidelitate, quam infrascripti homines de Sanctavictoria fecerunt, facerem cartam, nomina quorum sunt hec, Johannes viola, petrus passator, Jordanus Viola, Ascherius abbas, Jacobus cocharella, Maynfredus passator, Ardicio passator et Obertus deatus. Item eodem anno et Indictione et die, infrascriptis testibus presentibus, In castro Sanctevictorie, Jacobino Saxoto, Jacobo Faravello et Jacobo de Boscho, Infrascripti fecerunt fidelitatem ut superius continetur, Nomina quorum sunt hec, Oddo passator, Ardicio passator, Ubertus passator, Guillelmus Arminus, Ogerius Michael, Maynfredus de Maglano, Jacobus Calvinus, Johannes Baratus, Jacobus Bonuspetrus, Tebaldus Gualfredus.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

CIII. De pauca palea.

(Hic pictus est vicus. Vid. Tab. IX, n. 41).

653. *De iuramento facto per dominos de paucapalea et dominum Guillelmum pilosum de tenendo firmam concordiam Astensium et domini Episcopi.* 1199. 28 Octobris.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimonono Indictione secunda die iovis quinto kallendas Novembris, presentia infrascriptorum dominus Guillelmus de poca palea et Guillelmus eius filius et Guillelmus pilosus iuraverunt supra dei evangelia concordiam Astensium, et domini Episcopi firmam tenere ut in carta inde facta continetur. Actum in pratis sanctevictorie sub papilione communis Testes dominus Ubertus de Rippa, Jacobus Rotarius, Henricus Soldanus, Nicholaus Gardinus, Jacobus Careocius, Baiamondus frater eius, Rollandus Cazo et plures alij.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

654. *De dono facto per comune Ast dominis de paucapalea ut sint cives Astenses dando fodrum de libris Centum et faciendo pacem et guerram etc., et comune Ast debendo eos et eorum terram defendere et adiuvare.* 1202. 15 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo, Indictione quinta die mercurij quintodecimo intrantis Madij presentia infrascriptorum, dominus Guido de pirovano potestas Astensis cum consilio credentie per campanam congregate ut fuit confessus fecit donum a parte communis de Aste in manu domini Guillelmi de pocapalea suo nomine et nomine filiorum suorum ut ipse Guillelmus et filij eius eorumque heredes decetero sint cives Astenses in perpetuum. Eapropter ipse Guillelmus suo nomine et nomine filiorum suorum promisit eidem Guidoni potestati Astensi nomine communis de Aste stipulanti emere domum in Aste precij librarum quadraginta usque ad medium mensis Septembris proximi, nisi absolto potestatis remanserit, et si terminum vel absoltum ei inde dederit quod bona fide illud sequetur, et domum emet, quam domum postea non vendet nec dabit nec obligabit nec infeudabit, nec a se ullo modo in aliquo tempore alienabit, promisitque idem Guillelmus suo nomine et nomine filiorum suorum eidem Guidoni potestati nomine communis de Aste stipulanti dare fodrum in Aste de libris Centum Astensibus quotiens civitas ad fodrum venerit, et facere per se se et per eorum homines communi de Aste exercitus succursus et cavalcatas, quotiens potestati vel consulibus in Aste per tempora existentibus placuerit et eis dixerit vel mandaverit, Et facere pacem et guerram de omnibus suis locis et de omnibus suis castellis et de omnibus suis hominibus pro comuni de Aste et cum hominibus de Aste et sine hominibus de Aste, omnibus hominibus quibuscunque homines de Aste voluerint, nec ex ea guerra facere pacem nec treuguam nec possam nec guerram recreutam absque consilio et voluntate potestatum vel Consulum in Aste per tempora existentium et eorum credendariorum omnium vel maioris partis eorum, Et reducere et ponere homines de Aste guarnitos et scaritos pro communi et pro diviso in castro pocapalee ad faciendum inde pacem et guerram cuicumque voluerint, salva persona domini Astensis Episcopi, qui nunc est vel pro tempore fuerit, Et tempore guerre stare in Aste ipse Guillelmus vel unus filiorum suorum guarnitus de millitia sine ulla equatione et sine aliquibus expensis communis, nisi absolto potestatum vel consulum in Aste per tempora existentium remanserit, Et si terminum vel absoltum semel vel pluries inde ei dederint vel produxerint, illud bona fide sequi et attendere. Item idem Guillelmus suo nomine et nomine filiorum suorum promisit eidem potestati Astensi nomine dicti communis Astensis salvare et custodire adiuvare et defendere per se se et per omnes eorum homines, omnes homines et cives de Aste et de locis et de virtute Astensi in tota eorum terra et alibi ubicumque poterunt bona fide contra omnes homines, nec capere nec capi facere nec capi permittere ab aliquo cive de Aste nec ab aliquo de locis et de virtute Astensi in tota eorum terra pedagium nec guionagium nec aliquam condictionem in aliquo tempore, Et permittere hominibus de Aste capere suum inimicum et eorum debitorem in eorum terra si ibi, illum invenerint, et eum ducere quo voluerint et in hoc eis dare forciam et virtutem consilium et auxilium bona fide, et facere iurare eorum homines ea, que in his ultimis duobus capitulis continentur, ex eorum parte attendere et observare et dare forciam

et virtutem consilium et auxilium ut cetera que supra leguntur attendantur et firma teneantur omni tempore, Et si contingeret quod ipse Guillelmus et filij eius ista non attenderent, quod eis debent deficere et homines de Aste inde contra eum adiuvare. Et sic ut supra legitur ipse Guillelmus de pocapalea iuravit attendere et observare omni tempore. Quapropter dominus Guido de piroano potestas Astensis nomine et vice communis Astensis promisit eidem Guillelmo de pocapalea suo nomine et nomine filiorum suorum stipulanti, salvare et custodire eos et eorum terram et eorum homines sicut alios cives de Aste in Aste habitantes, Salvo eo quod de aliqua robaria vel malatolta, quam ipse Guillelmus vel Filij eius facerent vel de aliqua guerra quam sine consilio et voluntate potestatis vel consulum per tempora existentium Acciperet, eos homines de Aste non teneantur adiuvare. Et sic ut supra legitur dominus Guido de Piroano potestas Astensis nomine et vice comunis Astensis promisit ipsi Guillelmo de pocapalea suo nomine et nomine filiorum suorum stipulanti attendere et observare, Et hoc idem facere iurare consules et potestatem prius in Aste intrantem vel intrantes ita ut duret sic in perpetuum. Actum in ecclesia sancti Johannis de domate in urbe Aste, Testes Henricus Soldanus, Jacobus de Vivario, Jacobus poreta, Guillelmus Sylvaticus, Robaldus de fonte, Robaldus Faxolius, Nicholaus Gardinus, Robaldus eius filius, Baiamondus Careocius, Maynfredus de Solario, Baialardus Balbus et multi alij.

Et Jacobus Boviculus notarius inde cartam fecit.

655. *De investitura facta per comune Ast in dominos Henricum et Murtum fratres de paucapalea pro se fratribus et nepote eorum de eorum parte illius feudj quod quondam eorum pater tenebat a dicto comuni in loco Castegnolarum de ultra versam, et de fidelitate per eos inde facta dicto comuni Ast.* 1216. 12 Septembris.

(Omisimus quia iam est ad Num. 92).

CIV. De Brayda.

(Hic pictum est oppidum. Vid. Tab. IX, n. 42).

656. *De donatione facta per dominum Thomam Comitem Sabaudie et Marchionem in Ytalia comuni Ast de Brayda, fontanis, Cargnani, Vigoni et Cumaviane, Et de investitura facta per dictum comune in ipsum dominum Comitem in gentile feudum de dictis Cargnano, Vigono et Cumaviana, Et quomodo ipse vel Amedeus eius filius esse debet civis Astensis et dare fodrum de libris CC. Et auxilium ad ducendum padum ad civitatem ast.* 1224. 13 Septembris.

Sancti spiritus adsit nobis gratia. Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die veneris terciodecimo intrantis Septembris. In nomine domini amen, dominus Thomas Comes Sabaudie et Marchio in Italia donavit et tradidit vel quasi tradidit domino Pagano de petrasancta potestati Astensi nomine comunis Astensis et ad partem ipsius comunis recipienti dominium et proprietatem Brayde et Fontanarum cum omni Jure, Jurisdictione contili et districtu et cum omnibus hominibus et Jurisdictionibus pertinentibus eidem Comiti et predictis locis, et maxime

fidelitates dominorum et hominum predictorum locorum quas ibi habet, nichil ibi retinendo in se, et receptum et Albergariam quam habet in Fontanis, Tali modo quod dictum comune omnia predicta teneat et possideat vel quasi possideat sine contradictione predicti Comitis vel suorum heredum, Et promisit facere fieri fidelitatem ab illis qui fecerunt fidelitatem eidem Comiti de predictis locis, Et si eas facere nollent quod dabit operam et forciam suam faciet contra eos et eis stabit contrarius donec eas fecerint comuni Astensi, ita quod predicta comuni Astensi remaneant ad donneum, nec dictum comune ipsi Comiti ea in feudum dare vel reddere teneatur. Et constituit se possessorem et quasi possessorem quousque comune Astense vel certus nuncius comunis intraverit corporalem possessionem, volens in ipsum comune transferre dominium et possessionem, Et quod faciet Gratapaleam renunciare omni juri quod habet in Fontanis. Item donavit et tradidit vel quasi tradidit dicto potestati predicto nomine recipienti dominium et proprietatem Cargnani et Vigoni et Cumaniane cum omni contili et jurisdictione et districtu et honore cum omnibus hominibus et fidelitatibus eidem Comiti occasione predictorum locorum pertinentibus et cum aquaticis et pascuaticis et cum rupibus et ruynis et cum omnibus que ad contile seu jurisdictionem pertinent constituendo se possessorem et quasi possessorem quousque comune Astense intrabit corporalem possessionem volens in ipsum transferre dominium et possessionem. Tali forma, quod Castellani vigoni qui modo sunt vel per tempora fuerint, facient fidelitatem comuni Astensi, Et comes ipsam fidelitatem facere fieri teneatur, etiam tali modo quod homines Vigoni facient fidelitatem comuni Astensi et domini de Cargnano et domini de Cumaniana et homines eiusdem loci facient fidelitatem comuni Astensi et Comes renunciabit fidelitatibus predictorum. Et Comune Astense investivit dictum Comitem de predictis locis in gentile feudum scilicet de vigono, Cargnano et Cumaniana et dominis predictorum locorum, et domini debent iurare fidelitatem Comiti, salva fidelitate comunis Astensis, et homines facient fidelitatem dominis salva fidelitate comunis Astensis, Et Comes promisit et iuravit quod usque ad tres annos faciet fieri fidelitatem vel ante si poterit ab hominibus Cargnani Comuni Astensi. Et interim, loco predictarum fidelitatum dum steterint homines, quod fidelitates predictas comuni Astensi non fecerint, faciet fieri fidelitatem dicto comuni ab hominibus suis de Cavuro, et ab hominibus Miradolij, qui teneantur fidelitate comuni Astensi quousque homines Cargnani comuni Astensi fidelitatem fecerint, et factis fidelitatibus hominum Cargnani predicti sint absoluti. Et comune de Aste tunc facta fidelitate hominum Cargnanj teneatur dominis de Cargnano, quod si aliquis homo illius loci recederet et iret stare alibi, dare forciam et virtutem predictis dominis quod teneant terram quam ille dimiserit in Cargnano et posse, Et quod non permittet locum Cargnani crescere ultra quingintos focos sine voluntate Comitis, et dominorum. Et domini de Cargnano facta fidelitate hominum Cargnani comuni Astensi, teneantur fidelitatem hominum Cargnani non recipere, nisi salva fidelitate comunis Astensis, Et quilibet Comes qui esset in illo Comitatu post eum, teneatur facere fidelitatem comuni Astensi de predictis locis. Item predictus Comes iuravit et promisit quod accipiet in feudum et pro feudo gentili a comuni Astensi totam illam terram que est de comitatu et Marchionatu, et que est vel fuit ipsius et predecessorum eius, quam ipse modo non tenet, vel de qua ipsi qui eam

tenent sibi sunt contrarij vel esse videntur, Et specialiter illi qui sunt coniurati Taurinensium citra montes, et omnes illi qui tenent suam terram citra montes, nec eam recognoscunt pro eo faciendo servicia fidelitatis. Et hoc si ipse Comes predictam terram acquireret vel recuperaret post hanc donationem factam, vel illi qui eam tenent, eam recognoscerent faciendo fidelitatem et ea que sibi facere tenentur, hec est terra Comitatus seu Marchionatus, quam modo non tenet, et que est sibi contraria, Ciriata, plozaschum, Barge, Bagnolium, Pinayrolium, et tota alia terra quam modo non tenet, et que est sibi contraria que est de Comitatu et Marchionatu, Et de qua si eam recuperaret totam vel partem teneatur Comes facere fidelitatem comuni Astensi, salva fidelitate Abbatis pinayrolj de facto pinayrolj, et facere fieri fidelitatem a dominis predicte terre comuni Astensi, nec eam recipere nisi salva fidelitate comunis. Et teneatur quod non possit se concordare cum ipsis dominis, nisi prius fecerint fidelitatem comuni Astensi. Item dominus Thomas predictus vel Amedeus filius eius erit civis Astensis et emet domum in Civitate Astensi iusto precio usque in libris ducentis infra menses sex post concordiam factam, de qua dabit fodrum comuni Astensi quotiens Civitas ad fodrum vel collectam venerit, ita tamen quod iurare non teneatur nec extimare dictam domum, sed solummodo de predicta quantitate librarum ducentarum fodrum solvere vel collectam, Tali modo quod ipsam domum non vendet nec obligabit nec alio modo a se alienabit. Item si ultra padum de versus montes dictus Comes citra montes aliquid acquiret, quod non est de Comitatu vel Marchionatu quod non teneretur pro eo in feudum voluntate seu auxilio comunis Astensis, medietas illius acquisiti sit dicti Comitis, et ipsam teneat pro predicto comuni in feudum, et alia medietas sit dicti Comunis Astensis ad donneum. Item quod Comes non possit aliquid acquirere citra padum versus civitatem Astensem et Episcopatum et terram Marchionis de Salucio, quod non teneatur pro eo sine voluntate comunis Astensis, salvo iure Comitis quod habet in Boves, et salvo iure comunis quod habet in Boves, Et comune Astense non possit aliquid acquirere in Comitatu seu Marchionatu nisi sicut superius continetur in hoc scripto absque voluntate dicti Comitis. Item teneatur dictus Comes dare stratam comuni Astensi venientem per Secusiam et Sanctum Ambrosium grossam et minutam tam peditum quam equitatorum, tali modo quod strata predicta veniat per vigonum et per Cargnanum versus Civitatem Astensem, vel per alium locum, de quibus dictus Comes et Comune Astense essent in concordia, Exceptis de Rippolis et de Taurino, tali modo quod in dicta strata pro pedagio accipiatur ab hominibus de Aste et ab extraneis tantum quantum ordinatum fuerit per dictum Comitem et comune Astense et non plus, ita tamen quod dictum pedagium dividatur per medium inter dictum Comitem et comune Astense, Et quod Castellani de dicto pedagio habeant usque in denarios decem octo secusinorum novorum pro trosello et non plus, et pro alijs oneribus per solidos et libras usque in illam quantitatem tali modo quod si alique expense fierent voluntate Comitis et Comunis Astensis pro strata custodienda solvantur per solidos et libras de dicto pedagio, de eo quod capiet Comes et comune Astense et dicti Castellani, tali modo quod pedagerius comunis Astensis esse debeat cum pedagerio Comitis ad dictum pedagium colligendum, in eo loco, de quo dictus Comes et comune Astense forent in concordia. Item castellani et homines locorum circumstantium dicte strate, vel per que dicta strata iverit debeant aptare dictam stratam ita quod gentes

et bestie bene possint ire et redire per ipsam. Item teneatur Comes omnes malas toltas novas et inconsuetas hominibus de Aste dimittere in tota sua terra, et teneatur quod non possit ponere aliquam nec permittere quod ponatur nec capere nec capi permittere per totam suam terram hominibus de Aste, Et hanc stratam dabit dictus Comes dicto comuni si fuerit de voluntate dicti communis Astensis, et totiens quotiens fuerit de voluntate ipsius comunis sicut supra dictum est. Ita tamen quod homines de Aste non teneantur ire per illam stratam nisi voluerint et quando voluerint et nisi quantum voluerint. Item quod dictus Comes teneatur non facere aliquam pacem vel concordiam vel conventionem cum Taurinensibus sine consilio et voluntate Comunis Astensis, quin strata que venit de versus segusiam et sanctum Ambrosium veniat per civitatem Astensem, vel quin veniat sicut supradictum est versus civitatem Astensem et ad illam civitatem. Item Comes non possit, facere pacem nec treuguam cum Taurinensibus quin comune de Aste sit in dicta pace et treugua. Item teneatur dictus Comes salvare custodire et defendere omnes homines de Aste et de virtute Astensi et de locis Astensibus et res eorum per totam terram, et quod non capiet nec disturbabit eos nec res eorum nec impediri permittet ab aliquo in tota sua terra preter debitorem vel fideiussorem. Item quod dictus Comes non possit capere nec capi facere nec capi permitere in tota sua terra nec alibi ad suum posse aliquem hominem de Aste vel de eius posse nec res eorum sub aliquo ingenio nec impedire nec disturbare per se nec per alium nec mercatores nec alios preter debitorem vel fideiussorem aliqua de causa, specialiter, quod comune Astense non observasset aliquid de supradictis vel infrascriptis in totum nec in parte vel quod diceretur eos non observasse. Item si aliquid amitteretur in dicta strata quod Deus avertat, dictus Comes teneatur bona fide et sine fraude illud recuperare, et si recuperare non posset de predicto pedagio emendetur, post sex menses, ponendo ipsum qui amiserit in pedagio, quod pedagium teneat tantum quod sit solutum de eo quod amiserit, nec possit ei auferri a Comite vel comuni, quousque sit solutum. Item quod homines de Aste possint capere in terra Comitis suum cambium vel principalem debitorem vel fideiussorem vel suum inimicum vel latronem seu bannitum eorum sine contradictione dicti Comitis vel suorum hominum vel alterius persone pro eo, Et Comes in terra Astensium, salvo eo, quod dictus Comes et ipsi Astenses possint illos amonere vel certificare, seu contradicere ne per terram illorum per unum mensem antea vadant. Item si acciderit quod deus avertat quod aliquis homo de Aste vel de posse Astensi moriretur seu mortuus esset in terra Comitis vel in Comitatu seu Marchionatu ipsius, quod Comes teneatur dimittere hereditatem et res ipsius mortui, que reperiretur in terra Comitis heredibus ipsius mortui seu proximis parentibus ipsius, et quod ipse Comes predictas res non impediat ipsis nec patietur impediri ab aliqua persona nisi occasione debiti, quod mortuus deberet vel debuisset, et hoc cassata omni consuetudine vel usu quantum ad homines Aste et eius posse, que hactenus fuisset in comitatu seu Marchionatu ipsius, et remisso omni Jure, quod dictus Comes hactenus iure vel usu vel consuetudine habuisset seu observasset in aliquibus hominibus extraneis, quod in sua terra dedissent. Item teneatur Comes dare forciam comuni et hominibus de Aste et consilium et auxilium ducendi padum ad civitatem Astensem, si Astenses voluerint. Item si aliquis locus novus fieret in

comitatu vel marchionatu citra montes cum voluntate comitis, quod Comes illum a comuni tenere debeat in feudum, et inde comuni Astensi facere fidelitatem, et facere fieri fidelitatem ab hominibus comuni Astensi, nec postea recipere nisi salva fidelitate comunis Astensis, et nullus locus ibi fieri possit sine voluntate Comitis et comunis Astensis. Item predictus Comes et filij eius layci maiores quindecim annis iurabunt omnia predicta attendere et observare in perpetuum et nullo tempore contravenire, et faciet jurare suos barones, qui ab Astensibus fuerint requisiti et omnes homines quos habet citra montes, quos distringat quod dabunt forciam et virtutem consilium et auxilium ut predicta dictus Comes et filij debeant attendere et observare et nullo tempore contravenire. Et qualiter supra legitur in omnibus et per omnia dictus dominus Thomas Comes et Marchio promisit dicto domino Pagano potestati nomine et vice comunis Astensis stipulanti et supra dei evangelia iuravit attendere et facere attendi et observare et nullo tempore contravenire sub aliquo ingenio. Actum in Aste in publica concione facta in mercato de Sancto Testes interfuerunt dominus Guilelmus de Juleta, Rufinus de Sarmatorio, David de Crosso, Frassus Judex potestatis Astensis, Jordanus Marcellinus miles eius et multi alij.

Ego mussus Boviculus notarius pallatinus interfui et jussu predictorum Comitis et potestatis sic scripsi. Ibidem dominus Guilelmus de vileta iuravit dare forciam et virtutem consilium et auxilium ut predicta comuni Astensi in perpetuum attendantur.

657. *De requisitione facta pro parte comunis Ast a dicto domino Comite ut faciat dicto comuni fieri fidelitatem per dominum Ottonem Boverium de toto eo quod ipse tenebat in Brayda et posse.* 1224. 3 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die iovis tercio intrantis octubris, dominus Paganus de petrasancta potestas Astensis vice et nomine comunis de Aste requisivit a domino Thoma Comite Sabaudie ut eidem nomine Comunis de Aste faceret fieri fidelitatem a domino Ottone Boverio ex toto eo quod ipse Otto Boverius a predicto Comite Sabaudie tenebat in Brayda et in posse, presente ipso Ottone Boverio, Et ibidem iandictus dominus paganus potestas Astensis nomine comunis de Aste requisivit a predicto Ottone ut sibi nomine comunis predictam faceret fidelitatem scilicet de toto eo quod supra dictum est, quod idem Otto tenebat in brayda et posse a Comite predicto, Remissa primitus fidelitate ipsi Ottoni a jandicto Comite, precipiendo et dicendo ipse Comes eidem Ottoni ut fidelitatem predictam inde faceret sicut supradictum est comuni de Aste. Et hec omnia iandictus dominus paganus potestas nomine dicti comunis paratus erat recipere sicut supra dictum est et volebat recipere. Actum Aste in domo Guielmi Cariocij et fratrum eius. Interfuerunt testes dominus Ubertus de Gorzano, Syvoletus de Caneglio, Guilelmus Cacarius iudex, Petrus de Ayratio, Bayalardus Berrardengus, Berrardus de Solario et Berrardus Berrardengus.

Ego Ruffinus Aranchaboschus notarius pallatinus interfui et iussu predicti domini pagani potestatis Astensis et Comitis Thome sic scripsi.

658. *De promissione facta per dictum dominum Amedeum filium dicti domini Comitis de observandis omnibus promissionibus et conventionibus suprascriptis factis per dictum suum patrem comuni Ast.* 1225. 6 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quinto Indictione terciadecima die martis sexto intrantis Madij coram testibus infrascriptis, dominus Amedeus filius domini Thome Comitis Sabaudie, et Marchionis in ytalia, promisit domino Nicholao de Andito potestati Astensi nomine et vice comunis Astensis, et ad sancta dei evangelia iuravit attendere et observare facere et complere omnia ea, que ipse dominus Thomas Comes Sabaudie pater eius promisit et convenit domino pagano de petrasancta potestati Astensi nomine et vice comunis Astensis sicut continetur in carta facta a Musso Boviculo notario in anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die veneris terciodecimo intrantis septembris. Actum Ast in ecclesia sancti Johannis de dom in publica credentia. Interfuerunt testes, Bertramus Berrardus, Rufinus Aranchaboschus, Robaldus Turtur, Guilelmus Bertramus.

Et ego Mainfredus Carena notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

659. *De renunciatione facta comuni Ast per dominum henricum de Careto Marchionem et dominum Gratapaleam eius generum de omnibus iuribus et hominibus quos et que habebant In villa et posse de Fontanis.* 1225. 16 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quinto Indictione terciadecima die veneris sextodecimo Intrantis Madij coram testibus subscriptis dominus Henricus de Careto Marchio et dominus Gratapalea Eius gener renunciaverunt omni iuri et actioni, quod et quam haberent et exigere possent vel habere videntur in castro et villa et posse de Fontanis in hominibus ipsius loci et in ipso loco, et in eius pertinenti et districtu modo aliquo vel aliqua occasione, Et inde fecerunt pacem finem et refutationem domino Nicholao de Andito potestati Astensi nomine et vice comunis Astensis de omni Jure et ratione et Actione quod et quam habent vel habere videntur et exigere possent tempore aliquo in predicto loco Fontanarum et districtu ipsius et hominibus ipsius loci, et eius pertinenti, Et si occasione ipsius domini Henrici et Gratapalee de predicto loco vel de iure quod comune de Aste in eo habet comune Astense appellaretur vel conveniretur et damnum aliquod vel expensas comune Astense inde faceret vel sustineret aliquo modo promiserunt domino Nicholao de Andito potestati Astensi nomine comunis Astensis restituere. Actum in campis de Taurino prope ecclesiam sancti Gosmarij. Interfuerunt testes petrus laurentius, Rollandus Cazo, Guilelmus Careocius, Rolius de Graxilio, Ubertus de villeta et Thomas de Curia.

Et ego Maynfredus Carena notarius pallatinus Interfui et sic Scripsi.

660. *De iuramento facto per Aymum de Saxello et quosdam alios de faciendo quod dictus dominus Comes et filij attendant omnia contenta in suprascripto primo capitulo et in instrumento ex inde confecto.* 1225. 16 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quinto Indictione Terciadecima die veneris sextodecimo Intrantis Madij coram testibus infrascriptis, Aymo et Ubertus de Saxello et Ubertus de villeta ad sancta dei evangelia iuraverunt bona fide et sine

fraude dare consilium auxilium forciam et virtutem et iuvamen ut dominus Thomas Comes Sabaudie et Marchio in ytalia et eius filij in perpetuum attendant et observent faciant et compleant comuni Astensi et versus comune Astense omnia ea que continentur in instrumento facto a Musso Boviculo notario in anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima, die veneris tercio decimo intrantis Septembris.

Actum in campis Taurinj prope ecclesiam sancti Gosmarij, interfuerunt testes dominus henricus de Careto Marchio, petrus laurentius, Rollandus Cazo, Guilelmus Careocius, Thomas de Curia.

Et ego Mainfredus Carena notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

CV. De Clarasco.

(Hic pictum est oppidum. Vid. Tab. VIII, n. 3).

661. *De pace facta inter comunia Ast Albe et Carij ex una parte et Comune Claraschi ex altera, cum relaxatione captivorum hinc inde, Et quomodo comune Claraschi tenere debet pro suis loca Cerveriarum et Fontanarum, Remittendo comune Astense omne Jus quod habebant in ipsis locis.* 1277. 9 Marcij [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo Septuagesimo septimo, Indictione quinta die martis nono Marcij, Infrascripta est forma pacis perpetue facte et inite inter dominos Hosmondum Solomonem potestatem et Obertum Spinolam capitaneum populi paganum Alionum, Jacobum Sylvanum, Thomam Rotarium et Jacobum pallidum quatuor sapientes civitatis Astensis, quibus est concessa atque commissa baylia negociorum omnium comunis Astensis, et dominos Anselmum de Cugliano potestatem et Guilelmum Rappam Capitaneum civitatis Albe, nec non dominos Urichum Gribaudum et Urichum pollolium ambaxiatores comunis Carij nomine et vice predictorum comunium videlicet comunis Astensis, comunis Albe et comunis Carij, et coadiuctorum et iuratorum ipsorum comunium et de parte ipsorum ex una parte, Et dominos henricum de Manzano et Guilelmum lunellum Rectores comunis Claraschi nec non dominos henricum de Numentono, Johannem turchum Cayrosium, petrum de Synfredo, Conradum de zocho, Oddinum Ferrarium et Jacobum de Montefalchono, eiusdem loci sapientes, ad hoc ellectos a generali consilio loci predicti, ac Raymondum Tuschanum sindicum predicti comunis, de sindicatu eiusdem extat publicum instrumentum factum per Frederichum Tuschanum notarium hoc eodem anno et indictione die martis nono intrante Marcio, nomine et vice ipsius comunis Claraschi, et hominum omnium predicti loci ex alia parte. In primis ordinaverunt atque firmaverunt predicti adinvicem eorum nominibus et predictis atque fecerunt inter sese pacem perpetuam atque remissionem omnimodam de omnibus damnis offensionibus et guastis,

[1] Foedus hoc summatim inseruerat in suo op. ms. *Descriz. del Piem.* cit. F. A. Ab Ecclesia pars II, cap. 12. Inde primum in lucem prodiit impressum Clarasci per Johannem Mentone; postea in *Mon. Hist. Pat. Char.* II. col. 1652, ad fidem authentici exempli clarascensis tabularii. Praeterea idem nemorarunt Voersio, *Storia di Cherasco*, *Mondovì* 1618, pag. 114 et seq. et G. B. Adriani *degli antichi sig. di Sarmatorio* etc. pag. 81, et 245.

et quibuscumque iniurijs seu malivolencijs, inter predictos seu aliquos ex eis, datis factis vel illatis seu habitis aliquo modo vel occasione quacumque. Item statuerunt atque firmaverunt et ordinaverunt predicti eorum nominibus et predictis quod comune et homines civitatis Astensis, comune et homines Albe, Comune et homines Carij perpetuo teneantur et debeant (pro) predicto comuni et hominibus Claraschi facere pacem et guerram contra omnes et quascumque personas collegia et universitates barones et castellanos et quoscunque alios, Salvis eorum vasallis et iuratis, contra quos minime teneantur, Et econverso comune et homines Claraschi teneantur et debeant perpetuo facere pacem et guerram pro predictis comunibus et hominibus ipsorum comunium contra omnes et quascumque personas collegia et universitates et contra quoscumque barones cuiuscumque condictionis et preheminentie sint, hoc intellecto quod pro parte illorum qui vocantur Grafagninj de Alba nec ad opus ipsorum pacem nec guerram minime facere teneantur, sed potius contra ipsos ad predicta teneantur, sicut contra alios tenentur, prout superius continetur. Item quod comunia predicta per se et iuratos et coadiuctores ipsorum teneantur et debeant eorum posse bona fide iuvare defendere et manutenere comune et homines Claraschi in personis et rebus contra quascunque personas cuiuscunque condictionis existant et non facere pacem vel treuguam vel guerram seu guerram recreutam absque voluntate et consensu comunis Claraschi, Salvis eorum vasallis et iuratis. Eodem modo et forma, comune et homines Claraschi teneantur et debeant defendere adiuvare et manutenere predicta comunia et homines ipsorum et res et bona ipsorum, eorum posse bona fide contra omnes et quascumque personas, Et non facere pacem vel treuguam seu guerram recreutam absque voluntate et consensu predictorum comunium. Item predicta comunia Ast et Albe et Carij teneantur et debeant manutenere et conservare omnes et singulos de dicto loco Claraschi in possessione rerum omnium quecumque sint immobilium, quas visi sunt habere et habent in poderijs et finibus ipsorum comunium a principio seu ab inceptione presentis guerre citra, et etiam ante presentem guerram a viginti annis citra, ita quod quilibet de dicto loco libere redire possit ad suas terras et possessiones quecumque sint quas habet in poderijs et finibus predictorum comunium et habere visus est, licet eas non possederit a dicto tempore citra, Et predicto modo et forma comune et homines Claraschi teneantur et debeant conservare et manutenere in possessione rerum omnium immobilium quecumque sint in poderijs et finibus Claraschi omnes et singulos de civitatibus Ast, Albe et Burgo Carij et pertinentijs eorumdem a principio seu ab inceptione presentis guerre citra, et ante etiam presentem guerram a viginti annis citra, ita quod quilibet de predidictis civitatibus et burgo Carij libere redire possit ad suas terras et possessiones quas habet et habere visus est in poderio et finibus dicti loci, licet eas non possederit a dicto tempore citra. Item quod comune et homines Claraschi habeant et teneant quieteque possideant pleno iure et quo ad dominium et proprietatem totum territorium et fines Fontanearum, et Cerveriarum, Et quod potestas et comune loci predicti Claraschi in predictis territorio et finibus habeant plenum dominium ac merum et mixtum imperium et iurisdictionem omnimodam perpetuo valeant exercere ita quod potestas et comune Ast teneantur et debeant remittere et remissionem facere comuni et hominibus Claraschi de omni iure quod haberent vel ad eos spectaret

vel pertineret seu pertinere visum est in territorijs et finibus quos tenent, et possident comune et homines Claraschi tam citra sturam, quam ultra Sturam, videlicet in Fontaneis Cerverijs Claraschoto et Clarascho. Item quod potestas et alij rectores per tempora existentes in regimine loci Claraschi et ipsum comune Claraschi in omnibus finibus et territorijs quocumque nomine censeantur et quibuscumque sitis et positis in ipsis finibus et territorijs omnium et singulorum villariorum quorum homines habitant seu habitaverunt in Clarascho habeant et habere debeant plenum et perfectum dominium contitum et iurisdictionem omnimodam et in eis ipsam valeant exercere ad voluntatem comunis et hominum dicti loci, Et compellere possint ad eorum liberam voluntatem et eo quo voluerint modo omnes et singulas personas quecumque sint et undecunque sint que in ipsis finibus et territorijs vel aliquo eorum tenent et possident seu tenebunt in posterum et possidebunt aliquas terras et possessiones vel quecumque alia quocumque nomine censeantur in predictis finibus et territorijs ad solvendum omnia fodra et omnes taleas et presta omnia omnesque alias exactiones et impositiones quecumque sint et quocumque nomine censeantur eisdem impositas et imposita per dictum comune et homines Claraschi, de illis et pro illis terris et possessionibus et quibuscumque alijs, quas et que habent in ipsis finibus et territorijs, et ad alias condictiones faciendum respectu earumdem sicut alij homines habitantes in Clarascho solvent et facient et ad modum et formam aliorum hominum de Clarascho et ibidem habitantium. Item quod quilibet homo et quelibet persona de Clarascho seu ibidem stans et habitans ex nunc sit absolutus et absoluta ab omni pena et ab omni banno et condemnatione in eum vel in eam facta vel dato seu factis per potestates seu per comunia civitatum Ast et Albe, ita quod occasionibus supradictis perpetuo appellari vel inquietari non possint, sed eis non obstantibus quilibet de loco predicto possit ire stare et redire salve et secure in here et personis in civitatibus et ad civitates predictas et per ipsas et districtus et territoria earundem, ita quod omnia statuta capitula et ordinamenta facta seu que fieri possent predictis contraria, et pene et condemnationes et banna sint cassa irrita et nullius valoris et pro cassatis et canzellatis de cartularijs seu capitulorum libris comunium predictorum Ast et Albe penitus habeantur, ita quod viribus vacuentur omnino, Et predicta in suo robore perseverent. Item quod comune et homines Claraschi teneantur et debeant singulis annis libere eligere et habere potestatem vel Rectorem ipsius loci Claraschi de civitate Astensi vel de civitate Albe, de qua ipsarum civitatum ipsum habere et eligere voluerint ad eorum arbitrium et liberam voluntatem, ita tamen quod ipse potestas quem eligerent stet et habitet cum familia sua continue in illa civitate ex qua ipsum duxerint eligendum. Ad quam quidem electionem faciendam teneantur a kallendis Madij proxime venturi in antea, perpetuo ut superius continetur. Item quod comune et homines Albe teneantur et debeant eorum debita, que debent et expensas omnes quas fecerunt usque ad presentem diem solvere, ita et tali modo quod in illis debitis et expensis seu de illis et pro illis debitis et expensis comune et homines Claraschi aliquid solvere vel pro eis dare vel facere minime teneantur, eodem modo quod comune et homines Claraschi eorum debita et expensas quas et que usque in presentem diem fecerunt et debent, solvere teneantur, ita quod Comune Albe de illis seu pro illis aliquid dare seu solvere non teneantur nec debeant ullo modo. Item quod

comune et homines Albe vel aliqui de ipsa civitate non possint vel debeant interesse aliquibus registris seu quibuscunque extimis faciendis seu que fierent in Clarascho per comune et homines Claraschi. Item et eodem modo comune et homines Claraschi non possint nec debeant interesse aliquibus extimis seu registris que fierent per Comune et homines Albe. Item quod cives Astenses qui consueverunt habere et tenere mollendina in ripatico sture ultra sturam ea possint reficere tenere et habere atque possidere ibidem sicut hinc retro habere et tenere consueverunt. Item quod Raymondus Tuschanus, libere et licenter ad suas terras pristinas et possessiones quas habet et habere consuevit in Brayda et posse possit redire, et eas habeat teneat et possideat pacifice libere et quiete. Item quod omnes et singuli carcerati de Clarascho, qui sunt et detinentur in civitate Ast et posse et in civitate Albe et posse penitus absolvantur et libere relaxentur solutis prius expensis guardiarum et comestionis ipsorum, Et eodem modo omnes et singuli carcerati de civitatibus supradictis et qualibet earum et de districtibus earundem, qui detinentur et sunt in clarascho et posse ad curiam vel comune claraschi spectantes a carceribus absolvantur et libere relaxentur salvis et solutis prius ab eis expensis guardiarum et comestionis ipsorum. Item quod relaxetur et libere absolvatur comuni et hominibus Carij daniel Gribaudus a comuni et hominibus Claraschi, Et Obertinus de Morocio qui a predictis Gribaudis detinetur, libere absolvatur relaxetur et expediatur ab eis, ita quod predicti ambo a carceribus relaxentur omnino. Que omnia et singula suprascripta in omnibus et per omnia prout superius continetur prescripti domini hosmondus Salomon potestas, Obertus Spinola Capitaneus populi, Jacobus Sylvanus, paganus Alionus, Jacobus pallidus et Thomas Rotarius quibus est commissa baylia atque concessa universorum negociorum comunis Astensis nomine et vice ipsius comunis Astensis et auctoritate ipsius baylie, et domini Anselmus de Cugliano potestas et Guilelmus Rappa Capitaneus civitatis Albe nomine et vice comunis Albe et universitatis ex una parte pro se et amicis et iuratis ipsorum, et domini Guielmus lunellus et henricus de Manzano Rectores comunis Claraschi ac domini Johannes Turchus, henricus Nimentonus, Cayrosius, Bonefacius Zignetus, Oddo Ferarius, Conradus de Zocho, henricus lunellus, petrus de Synfredo sapientes dicti loci et Raymondus Tuschanus sindicus et procurator predictorum comunis et hominum Claraschi nomine ipsius comunis et hominum Claraschi, promiserunt sibi ad invicem solemni stipulatione subnixa atque vicissim etiam corporaliter iuraverunt tactis scripturis ad sancta dei evangelia attendere et observare atque complere firma et rata perpetuo habere atque inviolabiliter observare in omnibus et per omnia prout superius continetur, et nullo tempore contrafacere vel venire per se vel alios aliquo modo vel ingenio sub bonorum predictorum comunium omnium et singulorum obbligatione, que pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis ac firmis tenendis et non contraveniendis, sibi ad invicem supradictis nominibus pignori obligaverunt, statuentes et ordinantes predicti nominibus supradictis omnia predicta et singula perpetuo rata et firma tenere et perpetuo attendi et observari debere, In hac parte capitulantes de novo auctoritate baylie eis concesse et omni iure quo melius potuerunt, Cassantes et irritantes omnia capitula statuta et ordinamenta, ac consilia publica et privata facta et facienda seu que fieri possent, que predictis vel alicui predictorum essent contraria, vel que in contrarium

loquerentur, quantum in hoc quod essent contraria predictis ex certa scientia, ita quod hjs omnibus et singulis viribus evacuatis, omnino predicta omnia et singula perpetuam obtineant roboris firmitatem, Renunciantes insuper predicti sibi ad invicem in omnibus et singulis supradictis specialiter et expresse quod non possint dicere vel opponere seu etiam allegare in omnibus supradictis predicta comunia vel aliquod eorum fore decepta vel deceptum seu lesum vel damnificatum in contractu presenti seu in predictis vel aliquo predictorum, vel inductos fore ad predicta explicanda et facienda ut supra, dolo vel metu seu compulsione vel machinatione quacumque, Et generaliter omni alij exceptioni et iuri tam publico et comuni quam speciali et privato, omnique beneficio comunibus seu universitatibus supradictis quolibet modo pertinenti, quibus predictis seu predicta comunia vel aliquod eorum contra predicta modo aliquo seu ingenio possent facere vel venire, Et de predictis attendendis et observandis ut supra fiant specialia capitula per comunia supradicta et quodlibet eorum que apponantur in libris capitulorum ipsorum comunium et cuiuslibet ipsorum, super quibus iurent potestates et rectores per tempora existentes in regiminibus ipsorum comunium et cuiuslibet eorum de predictis attendendis et observandis ut supra, que de ipsis capitulis deleri canzellari seu aboleri non possint, sed in eis perpetuo perseverent, Et si de hjs, canzellarentur vel abolirentur de facto pro non canzellatis tamen et non abolitis habeantur, Et per inde potestates et predicta comunia ac si canzellata non essent prout superius continetur, teneantur ad observanciam eorundem. Actum fuit in ecclesia sancte Marie fratrum de Sacis, que est iuxta portam Claraschi presentibus testibus domino Anselmo de Casteglono, Anselmo Beruto, Berguncio Constancio, domino Guilelmo de Cugliano, domino petro Capra Judice, domino Johanne de Cugliano et Anselmo lunello, Et inde michi notario infrascripto pro comuni Ast unum instrumentum et plura fieri precepta sunt.

Ego Jacobus Malbechus notarius pallatinus interfui hjs omnibus, et hoc instrumentum pro comuni Ast sic scripsi.

CVI. De Fontanis — De Cerverijs.

Hic pingatur locus Cerveriarum.

662. *De possessione per potestatem Ast nomine comunis Ast apprehensa de loco Fontanarum pro pena Mille Marcarum argenti commissa per dominos de Manzano quia pacta eorum et comunis Ast non observaverunt, Ac etiam ipse potestas dicto nomine idem fecit, de locis Cerveriarum Marenarum et Savilliani.* 1202. 10 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo, Indictione quinta die lune decimo intrantis Junij, presentia infrascriptorum, dominus Guido de piroano potestas Astensis nomine et vice comunis de Aste intravit in possessionem de Fontanis in castellum scilicet nomine illius castelli et ville et totius posse et districtus et honoris illius loci, Nominatim pro pena Mille Marcharum Argenti commissa ab illis dominis de Manzano, quia pacta et conventa eorum et Astensium non observaverant, pro qua pena ipsi domini omnes res suas comuni de Aste pignori obligaverant, Et de illa possessione ipse Guido potestas Astensis nomine comunis de Aste se saxivit et intromisit.

Actum in castello de Fontanis, testes Mainfredus de Anima, Baiamondus de platea, Henricus Soldanus, Gandulfus de Aqua, Jacobus Mignanus, Obertus de Stoharda et Rollandus pulsavinus. Eodem die presentia eorumdem testium, ipse Guido fecit idem de Cerverijs ut supra de Fontanis continetur. Actum in castello de Cerverijs. Eodem die presentia eorumdem testium ipse Guido fecit idem de Marenis ut supra de Fontanis continetur. Actum in Castello de Marenis. Die martis undecimo Intrantis Junij idem Guido fecit idem de Savilliano ut supra de Fontanis continetur. Actum in loco Savilliani ante domum Jacobi Surdi, Testes Rollandus Bergogninus potestas Savilliani, Bayamondus de platea, Mainfredus de Anima, Henricus Soldanus, Gandulfus de Aqua, Jacobus Mignanus et multi alij.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus hjs omnibus supradictis interfui, et precepto domini Guidonis de Piroano potestatis Astensis scripsi.

663. *De donatione in pluribus capitulis facta comuni Ast per dominos de Manzano de Sarmatorio et de Montefalcono de Castro et villa de Fontanis, Et de investitura in eos per dictum comune facta in rectum feudum facta prius fidelitate per dictos dominos ipsi comuni de predictis.* 1228 [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo octavo, Indictione prima die Mercurij Septimo [2] kallendas Octubris, coram testibus infrascriptis, domini infrascripti de Manzano de Sarmatorio et de Montefalchono quorum nomina sunt Jordanus puglanus, Tysius [3] de Caruto, Arnaldus de Anima, Sysmondus de Sinfredo [4], Nicholaus frater eius, Blanchetus de Manzano, Jacobus Murfinus, Conradus de Filippo, Fea, henricus Turchus puglanus, Robaldus frater eius, petrus de Montefalcono, Arnaldus de Montefalcono, Ardicio de Montefalcono, et Rufinus de Sarmatorio potestas Consortiti promiserunt domino Berardo de Solario et Nicholao Pirie sindicis seu actoribus comunis Astensis ad hoc constitutis ut continetur in carta inde facta a Jacobo Belserio notario hoc eodem anno et Indictione die martis sexto kallendas Octubris, nomine comunis Astensis stipulantibus attendere et observare et complere pacta et conventa concorcordiam et citaynaticum et omnia alia que dictus Rufinus eorum potestas et eorum nomine et certus nuncius et procurator ad hoc constitutus ut continetur in carta inde facta a Guilelmo notario, In eodem anno et Indictione die martis duodecimo intrante septembri, fecit consilio domini Jacobi Murfinj et Petri de Montefalcono, et ipsi similiter per se fecerunt consilio domini Uberti de Catena Astensis canonici ad hoc a domino Rufino electo [5] ut continetur in carta inde facta a predicto Jacobo Belserio notario eodem anno et Indictione die sabbati nono kallendas Octubris, Et predicti in omnibus et per omnia laudaverunt et confirmaverunt, Et eisdem Berrardo et Nicholao nomine comunis Astensis fecerunt donationem puram et irrevocabilem inter vivos et dictus Rufinus eorum potestas suo nomine et nomine aliorum omnium de sua potestaria, Nominatim de castro et villa de Fontanis [6] secundum tenorem dicti instrumenti a pre-

[1] Huius donationis instrumentum adhuc exstat in Fragm. Taur. Cod. Og. Alfer. fol. CCCVI[1], ex quo transcriptum, editum fuit in *Mon. Hist. Pat. Chart.* II. col. 1358. Utriusque exempli cum nostro collati, lectiones varias hic subiungimus. — [2] Mon. *quinto.* — [3] Fragm. *Tisius.* — [4] Id. *Syfredo.* — [5] Id. *electis.* — [6] Mon. *fontaneis.*

dicto Jacobo Belserio confecti cum omni honore et iurisdictione contilli et posse[1] eidem castro pertinentibus et Albergaria in ipso instrumento notata, Eo modo ut ipsum comune Astense illum locum et villam iure proprietario teneat et possideat et habeat et pacem et guerram et quicquid voluerit faciat, absque contradictione ipsorum et suorum consortum, Et ibidem predicti domini dictum dominum Rufinum eorum potestatem constituerunt suum certum nuncium et procuratorem ad dandum[2] possessionem dicti loci predictis Berrardo et Nicholao nomine comunis Astensis, promittentes ratum et firmum habere quicquid fecerit de predictis, Et sicut supra legitur, et[3] in carta predicta de pactis et conventis facta continetur, attendere supra dei evangelia iuraverunt. Et ibidem eisdem nomine comunis Astensis fidelitatem fecerunt, talem qualem vasalli faciunt dominis suis. Et ipsi Berrardus et Nicholaus nomine comunis eos investiverunt eorum nomine et nomine omnium aliorum qui hoc idem facient, de predictis in rectum feudum et gentile in masculis et feminis, Excepto de Albergaria potestatis vel consulum Astensium cum decem millitibus in ipso loco anuatim habenda, secundum quod in instrumento predicto continetur. Acta fuerunt predicta omnia in Cerverijs, In domo Marchi et Bone, interfuerunt testes, Arnaldus de Morocio, Jacobus de plozascho[4], Guilelmus[5] Amedeus, Filippus Corneglanus, Fredericus Bovetus, Jacobus filius Nicholai pirie, et Bonefacius filius Berrardi de Solario. Sequenti die iovis sexto[6] kallendas octubris, In villa de Fontanis presentibus testibus henrico Turcho, Fea, petro de Montefalcono et domino Rufino de Sarmatorio, Abbas de Manzano promisit et iuravit et fecit dictis Berrardo et Nicholao nomine comunis Astensis stipulantibus et recipientibus idem in omnibus et per omnia, quod predicti domini fecerunt, et eisdem similiter fidelitatem fecit ut predicti consortes eius fecerunt. Eodem die in castro de fontanis presentibus testibus[7] petro Albareto, Alberto Masuerio, henrico plebano et[8] Frederico Boviculo, dominus Rufinus predictus potestas consortiti suo nomine et nomine omnium[9] predictorum dominorum et aliorum consortum suorum, qui idem facient, quod fecerunt, tradidit et dedit dictis Berrardo et Nicholao nomine comunis Astensis corporalem possessionem castri de Fontanis, et ipsos nomine Comunis Astensis in Id[10] posuit nomine castri et ville et totius posse. Die veneris quinto[11] kallendas octubris, In villa Sarmatoris in domo Richomi[12] Cepule, presentibus testibus domino phillippo Abbate Saviglani, Guilelmo priore eiusdem loci, Anrico Albaroto[13], Jacobo Advocato et Frederico Boveto, dominus Guilelmus de Caralio[14] maior iuravit et fecit et promisit et confirmavit idem in omnibus et per omnia dictis Berrardo et Nicholao nomine comunis Astensis, quod predicti consortes eius. Eo[15] die, In villa de Narzolis, presentibus testibus Frederico Boveto et Jacobo peria[16], Idem promiserunt, fecerunt et iuraverunt in omnibus et per omnia, Enricus cignetus, Jacobus de Meanis et Aycardus de Cayrascho ambaxiatoribus supradictis. Die sabbati quarto[17] kallendas octubris, In castro de Narzolis presentibus testibus Conrado de Manzano, Frederico Boveto et Bonefacio filio Berrardi de Solario, idem in omnibus et predicto modo

[1] Fragm. add. *et.* — [2] Id. *dandam.* — [3] Id. *ut.* — [4] Id. *ploz.* — [5] Id. *Willelmus.* — [6] Mon. *quarto.* — [7] Id. Deest *testibus.* — [8] Id. Deest *et.* — [9] Fragm. Deest *omnium.* — [10] Id. *eum.* — [11] Mon. *tertio.* — [12] Id. *riconii.* — [13] Fragm. *albareco.* — [14] Id. *caharaglo.* — [15] Id. *eodem.* — [16] Id. *piria.* — [17] Mon. *secundo.*

promiserunt eisdem ambaxiatoribus et iuraverunt ulricus de Manzano et Thomas de Meanis. Eodem die in castro Caruti, presentibus testibus, Tyso[1] de Caruto domino Blancheto Abbate de Manzano, Frederico Boveto et Bonefacio filio Berrardi de Solario, Idem fecit et promisit et iuravit, dominus Guilelmus de Caruto. Et de predictis omnibus Mussus Boviculus cartam scripsit[2].

664. *De juribus Rufino Cape de Ast per dominam Mariam uxorem quondam Ottonis piole de Manzano nomine venditionis cessis contra bona dicti sui viri maxime in castro et villa Fontanarum precio librarum LXXX reforciatorum.* 1239. 25 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo trigesimo nono Indictione duodecima die dominico sexto exeunte mense Junio, In Savilliano, presentia testium quorum nomina subter leguntur, domina Maria uxor quondam domini Ottonis piole de Manziano vendidit et tradidit seu quasi tradidit domino Rufino Cappe de Ast omnia iura, et omnes rationes et actiones reales et personales utiles et directas, que et quas ipsa domina Maria habebat vel visa erat habere et habet versus dominum Ottonem pyolam quondam maritum suum et res que fuerunt quondam ipsius Ottonis, et specialiter omnia jura rationes et actiones reales et personales utiles et directas que et quas habebat in castro et villa et posse et jurisdictione contili et hominibus alijs omnibus Fontanearum, que omnia habebat et visa erat habere et habet occasione sue dotis, que est librarum octuaginta reforciatorum ut apparet in carta facta per manus Jacobi notarij currente Millesimo ducentesimo vigesimo primo, Indictione nona, die dominico sexto exeunte Aprili In loco de Barcijs pro precio librarum octuaginta reforciatorum, Cedendo ipsi Rufino Cappe ante solutionem sibi factam omnia jura et omnes actiones reales et personales utiles et directas que et quas habet et habere videtur contra dictum dominum Ottonem quondam maritum suum et res et homines et iura, que fuerunt quondam ipsius Ottonis et heredes eius, et adversus tenentes et possidentes bona et res jura et homines quondam dicti Ottonis, et specialiter omnia jura et actiones reales et personales utiles et directas que et quas habet et visa est habere in predicto castro et villa contili et jurisdictione et hominibus Fontanearum et iuribus, tali modo ut ipse Rufinus et heredes sui cuicumque dederit vel cesserit habeat et habeant teneant et possideant seu quasi possideant predicta omnia jura et actiones qualiter ipsa tenebat et possidebat seu quasi possidebat et visa erat tenere et possidere sine omni contradictione ipsius Marie et successorum suorum, et ex hjs possint facere quicquid voluerint absque predictorum contradictione, que omnia supradicta et singula dicta Maria sub ypoteca rerum suarum promisit dicto Rufino sub pena dupli defendere et disbrigare sive auctorizare ab omni persona, si pro ipsa Maria vel eius occasione supradicta jura rationes et actiones essent evicta vel impedita, Et omnes expensas damna et interesse, que et quas dictus Rufinus inde faceret, vel sustineret causa vel iudicio aut alio modo pro defensione supradictorum ipsi Rufino restituere promisit et resarcire, Credendo ei verbo ejus sine sacramento et aliqua probatione. Et domina Maria predicta fuit confessa se recepisse et in se habuisse supradictum precium videlicet librarum

[1] Fragm. *thiso.* — [2] Id. add. *Et est in libro veteri in folio* XV.

octuaginta reforciatorum, occasione predicta, Renunciando exceptioni non numerate et non tradite pecunie et in factum et doli et sine causa et metus et privillegio fori, Et quod possit ubique conveniri et sub quolibet iudice constituendo Insuper dicta domina Maria se possidere, seu quasi possidere supradictum nomen jura et actiones nomine ipsius Rufini, dando ei auctoritatem et potestatem ingrediendi et apprehendendi seu quasi apprehendendi possessionem seu quasi possessionem supradicti nominis iurium et actionum propria auctoritate et sine requisitione alicuius iudicis et contradictione ipsius Marie quandocunque dictus Rufinus voluerit hoc facere. Cui venditioni et cessioni heredes predicti dominj Ottonis pyole videlicet domina Agnes et domina Berta et Otto filius quondam dicti Ottonis piole consenserunt et approbaverunt, Et quam venditionem et cessionem dicta domina Maria fecit consilio et voluntate Aycardi fratris eiusdem Marie. Eodem Anno die lune quarto intrante mense Julio, In castro Lovazolij presentibus testibus et rogatis, Bellengerio notario de Vexemo, Oddone Corbellario, Ogerio de Biaro, de Lovazolio, domina Sybilia filia quondam dicti domini Ottonis pyole de consensu et voluntate dominj Jacobi Greci viri sui dicte venditioni et cessioni consensit et approbavit, et promisit firmam et ratam tenere et nullatenus contravenire, renunciando omni exceptioni et juri legum de quo se tueri posset. Et omnia supradicta dicte sorores et frater in integrum ad sancta dei evangelia iuraverunt attendere et observare et non contravenire. Actum sub porticu domus quondam domini Ottonis piolle de Savilliano, interfuerunt testes rogati, Ulricus potestas, Cunibertus Ogerius, Aldus de Alba, Jacobus Bovis, Guilelmus Beiamus, Girardus Ranotus, Ogerius de Ogerijs, Guilelmus ejus frater, Mainfredus Bricius.

Ego Albricus Imperialis aule Notarius rogatus hanc cartam tradidi et scripsi.

665. *Quomodo potestas Astensis dixit quibusdam quod paratus erat eis eligere curiam super eo quod postulabant terram Fontanare, Et attendere quod ipsa curia dixerit faciendum.* 1242. 10 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentessimo quadragesimo secundo Indictione quintadecima die lune decimo intrantis Marcij coram testibus infrascriptis, dominus Guido Maracius potestas Astensis dixit ex parte comunis domino Ansaldo Greco nomine matris sue et Bellengerio de Caraglio nomine uxoris sue filie quondam Ottonis piolle, et domine Berte uxori quondam Guilelmi de Revello, et Mainfredo filio ipsius Guilelmi quod paratus est pro comuni eligere eis curiam super eo quod postulabant terram fontanarum, quam potestas predictus dicebat dicto comuni esse necessariam propter inimicos ipsius comunis, hjs temporibus, ne aliquod detrimentum comuni vel ipsis possit generari, Et attendere quicquid super hjs curia dixerit faciendum. Actum Aste in curia damianorum, Testes dominus petrus laurencius, Ubertus de Caialupa, Mussus de Curia, Oddo Coglalea, petrus Armannus, Gandulfus Aycardengus, et petrus Trellus.

Ego Mussus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

666. *De dictis juribus acquisitis per dictum Rufinum Capam a dicta domina Maria, per eum postea nomine venditionis cessis dicto comuni Ast pro libris centum Astensium.* 1242. 24 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, Indictione quintadecima die lune nono kallendas Aprilis, coram testibus infrascriptis Rufinus Cappa dedit cessit atque mandavit domino Guidoni Maracio potestati Astensi recipienti nomine comunis Astensis et ad partem ipsius comunis omnes rationes et actiones reales et personales utiles et directas et omnia sua jura utilia et directa quas et que habebat vel exigere poterat in castro et villa Fontanarum et in hominibus et in terris et possessionibus contili et jurisdictione et omnibus alijs pertinentibus ad dictum castrum et villam et homines nil in se retinendo, que omnia ipse Rufinus acquisiverat a domina Maria uxore quondam Ottonis pyole de Manzano consensu et voluntate domine Agnetis et domine Berte et domine Sybilie filiarum quondam dicti domini Ottonis et consensu et voluntate Ottonis filij quondam dicti Ottonis piole prout apparet per instrumentum quondam scriptum per Albertum notarium Imperialis aule Anno domini M°CC°XXXVIIII° Indictione XII^a, die dominico sexto exeunte mense Junij, Et omnia jura et rationes que et quas habebat utiliter et directe in predictis omnibus et super predicta omnia occasione instrumenti dotalis jandicte domine Marie et occasione melioramenti, quod continet dictum instrumentum dotale, quod fecit Jacobus notarius in anno domini MCCXXI.° Indictione nona, die dominico sexto exeuntis Aprilis, qualiter in supradictis omnibus Instrumentis per omnia continetur. Eo modo per dictum Rufinum facta est predicta cessio, quod dictus dominus Guido potestas nomine comunis Astensis et dictum comune de iandictis rebus omnibus et de ipsis juribus cessis, possit se juvare et tueri realiter et personaliter utiliter et directe contra omnes personas et res et jura in predictis instrumentis contenta, prout ipse Rufinus in omnibus et per omnia integraliter facere poterat. Et fuit confessus ipse Rufinus predicta omnia tenere et possidere, vel quasi, nomine predicti comunis quousque dictus potestas nomine ipsius comunis et ipsum comune de predictis omnibus apprehenderit corporalem possessionem vel quasi, quam apprehendere ei liceat auctoritate propria sine requisitione et contradictione ipsius Rufinj, et ea apprehensa teneat et possideat et de ipsis rebus omnibus decetero quicquid voluerit faciat sine contradictione et molestatione dicti Rufini suorumque heredum, Et pro predictis omnibus juribus et rationibus et cessione facta, fuit confessus dictus Rufinus se ab ipso potestate nomine predicti comunis habuisse et recepisse libras centum Astenses pro libris LXXX refortiatorum, Renunciando exceptioni non numerate pecunie et omni alij legum auxilio de quo se tueri posset. Actum in castro Fontanarum testes rogati dominus Nicholaus de Montaldo, Jacobinus de Montaldo, Gandulfus Aycardus, oddo Coglada, Jordanus de Ranchalvengo, Rodulfus de Comentina, Baiamondus Pelleta, Jacobus de fossato Judex et Rolandus layolius.

Ego Mussus Boviculus, notarius pallatinus interfui et scripsi.

667. *De terris que fuerunt supradicti Ottonis piole.* s. a.

Iste sunt terre que fuerunt dicti Ottonis piole. In primis in cogleretis decem Jornate, In via de Marenis quatuor iornate, In Jafello iornate sex, Inter viam de Jamberardo et viam de marenis iornatam unam, Item ad cerrum de Meschalcho iornate tres, Item in via de Cavalerio, due iornate, Item in eodem loco tres iornate, Item in eodem loco due iornate, Item in eodem loco sex iornate, Item in eodem loco due iornate, Item in Vignario iornata una, Item ad ulmum de via Cavalerij quatuor iornate, Item in via de liurra, quatuor iornate, Item ad pirum Opizonis iornate I, Item in via de Cavalerio iornata una, Item iuxta villam una iornata, Item in via de Brayda una iornata, Item in valle una iornata, Item in via de Jentola, unum disnarium, Item ad vineam una iornata vinee, et una terre, Item ayralium de villa, Item in castello cellarium unum, cui coheret Anselmus Grossus.

668. *De hominibus de dicto loco Fontanarum, qui juraverunt fidelitatem comuni Astensi et manifestaverunt illud quod anuatim dabant dicto Ottoni.* s. a.

Isti juraverunt comuni Astensi fidelitatem de predicto loco et manifestaverunt ut infra legitur Nicholaus Florius dixit quod dat denarios VI debitum, et mediam spalam et quintum de terris, Aldis Mazagata mediam spallam et denarios sex et quintum de terris, Jacobus cepola spallam unam et denarios VI et quintum de terris, Nicholaus Ferrarius et tenet cellarium de castro et dat denarios VI pro debito ad sanctum Martinum et nil aliud, Guilelmus Frepus dat denarios octo, debitum, Raimondus Bovetus solidos quatuor et denarios IIII^or^ pro fictu et debito, Guilelmus Bovetus solidos quatuor et denarios quatuor pro fictu et debito, Petrus Traversa quartam partem trium denariorum, henricus frater ejus quartam partem trium denariorum, Alij fratres eius qui non juraverunt, quia sunt minores medietatem denariorum trium, Anselmus Grossus cellarium in castro et dat denarios sex, Mathelda vizia et filij solidos quatuor et denarios quatuor, pro debito, Henricus pellatus dat debitum denarios duos, pro sedimine de villa, Guilelmus pellatus pro sedimine de villa denarios sex, petrus filius Guilelmi Torinj pro patre dat denarios duos pro debito, Guilelmus Carusus et Agnes Reta dat denarios decem debitum et quintam de terris Alaxa Greca dat denarios sex, et spalam unam et quintam de terris et Raymondus ejus filius juravit fidelitatem, Andreas de Arguello denarios duos pro debito, Oliverius de Cerverijs denarios VI, spalam unam et quintam de terris, Armitanus denarios duodecim et quintam de terris, Michael Bellalex pro debito denarios quatuor, Raymondus Frepus pro debito denarios duodecim, Matilda Torrina pro debito, denarios duos, Henricus Babetus pro se et fratre denarios quatuor, heredes Bonefacij et Alexandrij Baldeti denarios quatuor, Manfredus Gulli et Matilda Castella denarios quatuor, Albertus Alboretus.

Ego Mussus Boviculus predictis confessionibus et juramentis interfui et scripsi.

669. *De sindicatu facto per Comune Ast in personas Berrardi de Solario et socij ad recipiendam donationem Castri et ville Fontanarum, et fidelitates dominorum de Manzano, de Sarmatorio et de Montefalcono et hominum ipsorum, et ad investiendum ipsos dominos, de eisdem.* 1228. 26 Septembris [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo octavo Indictione prima die Martis sexto kallendas octubris, dominus Enricus Racamus iudex et vicarius domini percivalli de Auria potestatis Astensis voluntate et consensu totius credentie per campanam congregate, et ore ad os interrogate et scripte constituit et fecit Berrardum de Solario et Nicholaum Piriam, sindicos seu auctores comunis Astensis ad recipiendum donationem possessionem et dominium Castri et ville fontanarum [2] cum omni contili et iurisdictione pertinentijs et districtu, Et ad recipiendas fidelitates et promissiones et sacramenta dominorum de Manzano, de sarmatorio et de Montefalcono, et sacramenta hominum ipsorum dominorum, Et ad reddendum et investiendum castrum et villam de Fontanis [3] ipsis dominis, in Rectum et gentile feudum in masculis et feminis, Et ad recipiendum et faciendum omnia ea [4] que, in instrumento conventionis et concordie a me Jacobo notario facto eodem anno et eadem [5] indictione die sabbati nono kallendas Octubris, continetur [6], promittendo nomine et vice comunis Astensis, quod quicquid ipsi inde fecerint ratum et firmum perpetuo habiturum, ac si ipse vel alius pro comuni Astensi illud faceret et tractaret. Actum Aste in domo comunis, testes dominus petrus Becharius, Anselmus durnaxius et petrus de Aratio.

Et Jacobus Belserius notarius [7] inde cartam scripsit [8].

CVII. De Montefalcono.

(Hic pictus est mons. Vid. Tab. IX, n. 43).

670. *De concordia facta inter comune Ast et dominos de Montefalcono et quosdam alios debendo ipsi domini esse cives Astenses, et ibidem dare fodrum et alia dicti comunis onera supportare.* 1198. 22 Aprilis [9].

In nomine domini [10], hec est forma concordie, quam domini de Manzano, de sarmatorio et de Montefalcono [11] fecerunt cum hominibus de Aste, debent siquidem ipsi domini de Manzano de Sarmatorio et de Montefalcono [11] esse cives et habitatores de Aste

[1] Instrumentum hoc adhuc exstat in Fragm. Taur. Cod. Og. Alf. fol. CCCVI. ex quo transcriptum, editum fuit in *Mon. Hist. Pat. Chart.* II. col. 1357; utriusque exempli cum nostro collati hic lectiones varias afferemus. — [2] Fragm. *de fontanis;* Mon. *de fontaneis.* — [3] Fragm. *fontaneis.* — [4] Mon. Deest *ea.* — [5] Id. Deest *eadem.* — [6] Id. *continentur.* — [7] Id. Deest *notarius.* — [8] Fragm. Add. *Et est in libro veteri in folio* XV.

[9] Particulam huius instrumenti edidit Moriondus *Mon. Aquen.* cit. pars II. col. 370, N. 132. Integrum adhuc exstat in *Fragm. Taurin.* Cod. Og. Alfer. ex quo edidit G. B. Adriani in opere cui titulus *Degli antichi sig. di Sarmatorio* etc. pag. 367, iterumque excudendum curavit in *Mon. Hist. Pat. Chart.* II. col. 1183. Praeterea documentum hoc memorarunt G. Muratori, *Storia di Fossano* p. 164; Lobera, *Delle antichità di Vico* etc. p. 98, postremus Federig. Sclopis, *Storia dell' antica legislazione del Piemonte.* p. 196. Fragmenti nec non Monum, lectiones varias hic subiungimus. — [10] Fragm. *Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo Indictione prima, die mercurij decimo kalendas Madij.* In nomine. — [11] Mon. Deest *et de Montefalcono.*

in perpetuum, Et usque ad proximum festum sancti Michaelis dare in domibus vel in terris, vel in vineis in quibus Astensis potestas voluerit libras ducentas Astenses, illi scilicet de Manzano libras centum, et illi de Sarmatorio et Montefalcono alias libras centum Astenses [1], et has domos vel terras vel vineas non debent postea vendere nec [2] permutare nec pignori obligare nec infeudare nec aliquo alio [3] modo in aliquo tempore a [4] se alienare, Et debent dare fodrum in Aste semper cum civitas ad fodrum venerit de libris quingintis Astensibus, Illi de Manzano de libris. CCL, et illi de Sarmatorio et de Montefalcono de alijs libris [5] CCL. et pro hjs libris quingintis, debent facere omnes consuetudines civitatis Astensis per pacem et per guerram sicut alij cives facient, pro libris quingintis sine ulla emendatione et equatione aliqua et debent duo eorum unus de Manzano, et alter de Sarmatorio vel de Montefalcono stare in Aste per sex menses in unoquoque anno per pacem et per guerram nisi [6] absolto potestatis vel consulum Astensium per tempora existentium eis dato cum [7] consilio credentie per campanam simul posite totius vel majoris partis remanserit. Item debent constituere et ponere ex eorum parte duos sapientes viros ex eis usque ad XV. dies qui iurent facere rationem cuilibet homini [8] de Aste et de Astensi virtute, qui de eis vel de aliquo eorum homine vel de eorum terra conquestus fuerit de debito vel de aliqua re [9], et hanc rationem teneantur facere et complere infra quadraginta dies postquam eis querimonia facta fuerit, Et si illi duo deficerent, usque ad quindecim dies alios duos ponere [10] debent, et sic semper facere ut perpetuo durent. Item debent [11] salvare et custodire adiuvare et defendere per se et per omnes homines eorum tam milites quam pedites ipsos homines de Aste et eorum homines et eorum terram in personis et avere per totam eorum terram et alibi ubicumque poterunt [12] bona fide et sine fraude, contra omnes homines et specialiter de guerra contra Marchiones Montisferrati et contra comites Blandrati. Et debent permittere ipsos [13] Astenses [14] capere suum inimicum in eorum terra [15], si ibi illum invenerint, et ducere illum quocumque voluerint, ita ut ipsi et eorum homines teneantur adiuvare ipsos homines de Aste, ad hoc facere, nec eis hoc vetare nec defendere. Item si contingeret [16] quod aliquis offenderet comune de Aste vel aliquem civem Astensem, et nollet ipsi Comuni vel [17] civi [18] emendare, predicti domini debent ponere Astenses in eorum castellis et villis in quibus ipsi Astenses voluerint ita ut faciant inde, cui voluerint [19] pacem et guerram donec comuni de Aste vel illi civi de Aste cui iniuria vel offensa facta fuerit sit emendatum et satisfactum, et ipsi domini per se et per eorum homines cum ipsis Astensibus teneantur facere vivam guerram et sine ipsis Astensibus, illi qui commune de Aste vel aliquem civem Astensem offenderit, donec comuni vel illi civi de Aste cui offensa facta fuerit sit emendatum et satisfactum sive Astenses intrare voluerint in eorum castella et villas sive non. Item non debent capere nec capi facere, nec capi permittere per se nec [20] per aliam personam ab aliquo homine de Aste nec de virtute Astensi Tholoneum nec pedagium nec curayum [21] nec guidonagium nec

[1] Fragm. Deest *Astenses.* — [2] Mon. *vel.* — [3] Fragm. Deest *alio.* — [4] Mon. *ab.* — [5] Id. Deest *libris.* — [6] Id. *in.* — [7] Fragm. *vel.* — [8] Mon. *domino.* — [9] Id. Deest *re.* — [10] Frag. *imponere.* — [11] Mon. add. *facere.* — [12] Fragm. *poterint.* — [13] Mon. *ipsi.* — [14] Fragm. *ipsis Astensibus.* — [15] Id. *terram.* — [16] Id. *contingerit.* — [17] Mon. *et.* — [18] Fragm. *ipsi civi de Aste.* — [19] Mon. Deest *ita ut faciant inde, cui voluerint.* — [20] Id. *vel.* — [21] Fragm. *curayam.*

aliquod scufium sub aliquo ingenio per totam eorum terram in aliquo tempore. Item debent facere hominibus de Aste cum omnibus hominibus eorum terre, tam militibus quam peditibus exercitus [1] et cavalcatas [2] et succursum, totiens quotiens potestati vel consulibus Astensibus per tempora existentibus placuerit et eis dixerint vel mandaverint eorum proprijs expensis et amissionibus et lucris nec derelinquere ipsos Astenses in campo nec in obsidione alicuius loci sine voluntate potestatis vel consulum Astensium per tempora existentium. Et si potestas vel consules de Aste per tempora existentes cum consilio credentie per campanam simul posite totius vel maioris partis, et predicti domini de Manzano et de Sarmatorio et de Montefalcono comuni eorum consilio in hac concordia aliquid addere vel mutare seu diminuere voluerint in aliquo tempore, ipsi domini illud attendere et observare teneantur bona fide, ita quod de addito et [3] mutato teneantur et de diminuto absolvantur. Et hoc totum quod supra legitur predicti domini videlicet Sysmondus [4] de Sarmatorio, Ogerius de Montefalcono, Conradus de Montefalcono, Guilelmus Maltallentus, Mainfredus de lanima [5], Jordanus puglanus, Oddo piolla, Bonefacius Cignetus, [6] Guilelmus pilosus, Guilelmus de caruto et Trancherius pilosus iuraverunt ad [7] sancta dei evangelia attendere et observare, salvo imperatore et salva fidelitate eorum dominorum, quos nunc habent, et salvo sacramento quod fecerunt hominibus de Romanisio et domino Bellengerio de Buscha, ita quod de hoc sacramento quod ei [8] fecerunt ipsi Belengerio non teneantur si se cum Marchione de Salucio iuraret vel associaret [9], ita tamen quod semper teneantur adiuvare homines de Aste de guerra contra Marchiones Montisferrati et contra Comites Blandrati qui nunc sunt vel pro tempore fuerint, Illis tamen ex eis exceptis, qui modo sunt homines Marchionis Montisferrati, qui non teneantur facere ei guerram pro [10] Astensibus per eorum personas, sed cetera que supra leguntur, teneantur observare [11]. Et insuper iuraverunt facere iurare eorum homines milites et pedites, hoc idem observare [11]. Et propter hoc Astenses debent salvare custodire adiuvare et defendere dominos de Manzano , de Sarmatorio et de Montefalcono, qui eis iurabunt et eorum homines et eorum terram de eorum iusticijs contra omnes homines excepto imperatore, et facere eis semel in anno si eis [12] necesse fuerit et ipsos [13] Astenses requisiverint exercitum per comune in eorum terram et facere eis [14] succursum si eis dixerint vel mandaverint et eis opus fuerit cum illis militibus quos habuerint bona fide et sine fraude si pro [15] eorum parabola non remanserit [16], expensis et lucris et amissionibus ipsorum Astensium, exceptis lignis feno palea et herba, et debent permittere ipsis dominis capere in Aste et in eius posse eorum inimicum si ibi illum invenerint et ducere eum quo voluerint, et adiuvare eos si oportuerit illum capere nec eis prohibere, Et si aliquis eorum vel aliquis homo eorum de aliquo cive Astensi [17] vel de eorum posse conquestus fuerit, Astenses debent facere ei rationem sicut civi Astensi bona fide et sine fraude, Et si potestas Astensis vel consules Astenses per [18] tempora esistentes cum consilio credentie per campanam simul posite totius vel

[1] Fragm. *exercitum.* — [2] Mon. *cavalcatam.* — [3] Id. *vel.* — [4] Id. *Gismondus.* — [5] Id. *lamma.* — [6] Id. *agnetus.* — [7] Fragm. *supra.* — [8] Mon. *ii.* — [9] Fragm. *iurare vel associare.* — [10] Id. Deest *pro.* — [11-11] Haec desunt in Mon. — [12] Id. Deest *eis.* — [13] Fragm. *ipsis.* — [14] Id. Deest *eis.* — [15] Mon. *per.* — [16] Id. *remanserint.* — [17] Id. et si aliquis eorum *vel de aliquo cive eorum aliquis homo.* — [18] Id. *pro.*

maioris partis, et predicti domini de Manzano et de Sarmatorio et de Montefalcono comuni eorum consilio in hanc concordiam [1] aliquid addere vel mutare seu diminuere voluerint in aliquo tempore, Astenses illud attendere et observare teneantur [2] bona fide, ita quod de addito et mutato teneantur [2], et de diminuto absolvantur. Et hoc totum dominus Albertus de Fontana potestas Astensis, salvo imperatore et dominis Astensibus et [3] omnibus eorum sacramentis factis pro eorum comuni usque ad hunc diem, et salvo eo quod Astenses non teneantur adiuvare aliquem predictorum dominorum contra aliquem suum dominum, contra quem ipse dominus Astenses non adiuvaret, Juravit supra dei evangelia bona fide attendere et observare [4]. Actum in urbe Aste in pallatio Surleonis de Janua [4], Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo, Indictione prima, die mercurij decimo kallendas Maij [5]. Interfuerunt testes Jacobus de [6] Rohat potestas Romanisij et Conradus de drua de Romanisio, Otto Carite [7] de Savilliano, Baiamondus de platea et Thomas Notarius. Eodem die et loco Astenses [8] credendarij per campanam congregati quorum nomina subter [9] leguntur iuraverunt supra dei evangelia hanc concordiam ex parte Astensium firmam tenere, Raynerius Machalufus, Anselmus de Curia, Jacobus Curialis [10], Appellonus Villanus, Bayamondus Careocius, Ubertus de platea, Raymondus Alferius, Jacobus de Vivario, Jacobus filius Robaldi de Vivario, Otto Rotarius, Obertus de Vivario, Raimondus layolius, Rodulfus durnasius, Guilelmus Monacus, Gandulfus de Porta [11], Oppizo de Beccarijs, Anselmus Malabrancha, Albertus de porta, Jacobus de Stoherda, Henricus de Valeriano, Ubertus de Cherio [12], Obertus oculus bovinus, Otto Grassus, Nicholaus Gardinus, Jacobus iudex, Oddo vola, Jacobus largabursa, Marchisus Cavicula, Baialardus [13] Berardensis [14], Henricus Soldanus, Rufinus de Ripa, Sorleonus de Janua, Sicardus Brandulus, Girardus Ginorius.

Ego Jacobus Boviculus [15] notarius, pallatinus notarius scripsi [16].

671. *De promissione et juramento potestati Astensi factis per quosdam dominos de Montefalcono et de Caruto et alios de observandis preceptis dicti potestatis.* 1224. 14 Junij [17].

Anno domini [18] Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die veneris quartodecimo intrantis Junij. In nomine domini presentia infrascriptorum testium, Jacobus Morfinus pro se et fratribus suis Mainfredo et henrico et Ottone piola et domino Guilelmo de Caruto, et dominus Ogerius de Montefalcono pro se et pro nepotibus suis, Ardizone et Arnaldo, et dominus Jacobus Bricius [19] pro se et fratribus suis henrico et Guilelmo et pro patre suo domino Mainfredo, et dominus Mainfredus Fea, promiserunt et juraverunt domino pagano de petrasancta potestati Astensi

[1] Fragm. *hac concordia.* — [2-2] Haec desunt in Mon. — [3] Fragm. add. *salvis.* — [4-4] Mon. Haec desunt. — [5]. Fragm. Deest temporis nota in capite documenti posita. — [6] Mon. Deest *de.* — [7] Id. *cauthe.* — [8] Id. Deest *Astenses.* — [9] Fragm. *sunt.* — [10] Mon. Deest *Jacobus Curialis.* — [11] Fragm. *poreta.* — [12] Id. *cario.* — [13] Mon. *baiolardus.* — [14] Fragm. *berardengus.* — [15] Mon. *boniculus.* — [16] Fragm. Add. *Et est in libro veteri in folio* XCV.

[17] Instrumentum hoc adhuc exstat in *Fragm. Taurin.* Cod. Og. Alfer. fol. CCCV.' ex quo transcriptum, editum fuit in *Mon. Hist. Pat. Chart.* II. col. 1319; utriusque cum nostro collati, lectiones varias hic afferemus. — [18] Mon. *dominice incarnationis.* — [19] Fragm. *brecius.*

vice et nomine comunis Astensis stare mandatis et preceptis ipsius potestatis nomine et vice comunis Astensis, et attendere observare et adimplere omnia precepta que ipse potestas predicto nomine per se vel per alium fecerit vel dixerit eis uno tempore vel diversis temporibus de facto et super facto fodri et pene et [1] citaynatici, Et presertim de securitate mille librarum eis et consortibus suis occasione predictorum quesita secundum partem que contigerit [2] eos, et predictos pro quibus promiserunt et iuraverunt, Et quod facient illos superius denotatos pro quibus caverunt predicta omnia attendere complere et observare supra omnia sua bona, que pro hjs omnibus eidem potestati vice et nomine comunis pignori obligaverunt, Et quod bona fide dabunt operam efficacem modis omnibus quibus poterunt [3] ut ceteri eorum consortes qui hic nominantur veniant et stent mandatis ipsius potestatis de predictis [4] omnibus et pro predictis omnibus in omnibus et per omnia, Et pro hjs omnibus omnia sua bona eidem potestati pignori obligaverunt, Et renunciaverunt omni iuri et rationi et ne uti vel allegare possint quod se sine causa obligaverint [5]. Actum Aste in ecclesia sancti Johannis in publica credentia, testes interfuerunt Surleonus Maronus, Guilelmus Cerrutus, Girardus Josbertus, petrus Beccarius et Guilelmus Cassanus, Rufinus de Ripa [6].

Et Guilelmus Trosellus notarius scripsit.

CVIII. De Ceva.

672. *De confessione facta potestati Ast per Johannem Aliacum quomodo stabat in domo quam dominus Guilelmus de Ceva habebat in Ast ad portam sancti Gaudencij pro solidis viginti in anno.* 1201. 23 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo primo Indictione quarta die veneris nono kallendas decembris, presentia domini Guidonis de piroano potestatis Astensis confessus fuit Johannes Aliacus quod a festo sancti Martinj infra ipse stat pro comuni in domo quam dominus Guilelmus de Ceva habebat in Aste ad portam sancti Gaudentij ad rationem ficti solidorum viginti ab illo festo sancti Martinj usque ad unum annum quos potestas nomine comunis, solvere promisit, vel partem eorum pro tanto quantum ibi steterit. Actum in domo comunis, testes Robaldus Maructus, Henricus soldanus, Petrus Becarius, Guilelmus laurencius et Maynfredus de Sanctoiohanne.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

673. *De investitura facta per comune Ast in dominum Nanum Marchionem Ceve mediante procuratore de medietate Montiscemoli et de guerra per eum facienda pro dicto comuni, de tota terra quam tenet et tenebit, debendo comune Ast defendere eum et terram suam.* 1273. 30 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo tercio Indictione prima die iovis, ultimo mensis novembris in presentia testium infrascriptorum Jacobus Medalia sindicus comunis Astensis ut patet per instrumentum factum a Berardo de Platea

[1] Fragm. Deest *et.* — [2] Id. *contingerit.* — [3] Mon. *potuerint.* — [4] Fragm. Deest *de predictis.* — [5] Id. *obligaverunt.* — [6] Id. Add. *Et est in libro veteri in folio* v.

notario hoc eodem anno et Indictione die sabbati vigesimo quarto mensis Junij, voluntate et consensu domini Bonaventure de Vegijs potestatis Astensis et dominorum Oberti de platea, Ruffinj Rotarij, Francischi Gareti et Johannis de Castellario et ipse dominus potestas una cum predictis dominis Oberto Rufino, Francisco et Johanne ex auctoritate et baylia sibi concessa a generali consilio civitatis Astensis, tenor cujus baylie inferius denotatur, nomine et vice comunis Astensis Investivit per ensem quem in manu tenebat Johannem de Cugliano procuratorem domini Nanni Marchionis Ceve ut patet per instrumentum factum a Tadeo de Montealto imperiali notario hoc eodem anno et Indictione die veneris vigesimoquarto novembris, nomine et vice ipsius domini Nanni de Medietate castri et ville Montiscemolj, et de omni eo quod reperiretur dictum Nannum tenere a comuni Astensi cum omnibus pertinentibus ad dictam medietatem et ad dictum feudum Ita generaliter et nobiliter et secundum quod dictus dominus Nannus et antecessores eius tenebant seu tenere consueverunt a comuni Astensi. Qui procurator predicto nomine et in animam ipsius Nanni fecit fidelitatem in Manibus predictorum nomine et vice comunis Astensis, et juravit ad sancta dei evangelia quod dictus Nannus per se et heredes suos erit perpetuo fidelis comuni Astensi, Et quod non erit in auxilio vel in facto ubi ipse dominus potestas qui nunc est vel alij potestates et Rectores in regimine civitatis Astensis per tempora existentes vel comune seu homines de Ast amittant honorem seu terram vel membrum, vel detineantur mala captione, Et si sciret aliquid fieri vel tractari contra predictos, disturbabit bona fide si poterit, et si non poterit disturbare seu prohibere, denunciabit per se vel per alium quam citius poterit comuni Astensi et Rectoribus dicte Civitatis per tempora existentibus, Consilium si ei a predictis postulatum fuerit bona fide dabit quod comuni Astensi crediderit expedire, quod sibi preceptum fuerit per Rectores dicte civitatis sive per comune Astense vel alium vice eius, nemini pandet vel aliquid faciet cur pandatur in preiudicium comunis Astensis predicti, honorem terram et jura de quibus dictum comune est saxitum vel investitum, iuvabit ipsum comune ad manutenendum, et si aliqua amiserit, ad recuperandum nec aliquid faciet ad contumeliam lesionem vel detrimentum dicti comunis et hominum de Ast seu Rectorum dicte civitatis, dictum comune et homines iuvabit contra omnes personas, hec et alia que continentur in sacramento fidelitatis juravit in animam dicti domini Nannj ipsum Nannum attendere et observare, si deus adiuvet ipsum Nannum et sancta dei evangelia. Insuper dictus procurator nomine dicti Nannj promisit suprascriptis et cuilibet suprascriptorum stipulantibus nomine et vice comunis Astensis quod dictus dominus Nannus faciet pro comuni Astensi pacem treuguam et guerram de tota terra quam nunc tenet vel in futurum acquirere poterit contra omnem personam ad voluntatem et mandatum comunis Astensis, Et non faciet pacem treuguam vel guerram recreutam cum inimicis comunis Astensis sine voluntate dicti comunis. Ex adverso dictus potestas et dicti domini Obertus, Rufinus, Francischus et Johannes et dictus sindicus nomine dicti comunis promiserunt dicto procuratori nomine dicti domini Nannj, quod dictum comune juvabit manutenebit et defendet dictum dominum Nannum et terram ipsius contra omnem personam salva convencione societate et jura Januensium papiensium et Marchionis Montisferrati, hoc acto quod aliqua partium non possit facere pacem vel treuguam vel guerram recreutam cum inimicis alterius partis sine voluntate illius

cujus essent. Eo salvo quod Astenses non teneantur incipere guerram nec predicta facere usque ad sex menses proxime venturos. Qui sindicus potestas et quatuor prescripti promiserunt nomine et vice comunis eidem procuratori predicto nomine stipulanti curare et facere pro posse bona fide, quod dictus dominus Nannus recipiatur in societate fraternitate et conventione facta inter Januenses, Papienses, Astenses et Marchionem Montisferrati. Que omnia et singula dictus sindicus nomine et vice comunis Astensis et predicti Potestas et Obertus, Rufinus, Francischus et Johannes ex licentia et facultate sibi concessa a consilio generali civitatis Astensis, nomine et vice comunis Astensis ex una parte, et dictus procurator nomine dicti Nannj ex altera ad invicem stipulantes attendere et observare, complere et non contravenire promiserunt sub bonorum dicti comunis et dicti domini Nannj obligatione, que pro inde sibi adinvicem pignori obligaverunt. Insuper dictus Sindicus nomine comunis Astensis et hominum de Ast in manibus ipsorum, Et dictus procurator dicti domini Nannj attendere observare et complere et non contravenire tactis sacrosanctis evangelijs corporaliter juraverunt. Actum Ast in domo Gariorum ubi moratur potestas, testes interfuerunt vocati et rogati, Oddo Boracius de Moresino, vivaldus Rangla, et Jacobus Boviculus notarius. Et ego Berthollinus Situlariis notarius pallatinus interfui et rogatus sic scripsi. Tenor autem dicte Baylie talis est, Anno domini MCCLXXII Indictione quintadecima die martis vigesimotercio Augusti dominus potestas celebravit consilium etc.

674. *De vendictione facta comuni Ast per dominum Odonem Marchionem de Careto procuratorio nomine domini Nannj Marchionis Ceve, de terris et castris Ceve et alijs omnibus que habebat dictus dominus Nannus pro precio librarum Centummillium Astensium.* 1295. 22 Octobris [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto Indictione octava die sabbati vigesimo secundo mensis octubris, Actum Ast in domo filiorum quondam Uberti prevenghi, in qua moratur dominus Raynaldus de pontirolo potestas Astensis, testes interfuerunt dominj Raymondus Cacayranus, Guilelmus Brunus, Berrardus layolius omnes iudices, paganus de Rocheta et Guilelmus de poncio notarius, Quorum presentia apparebat per cartam unam scriptam per Jacobum pictorem notarium in anno domini MCCLXXXXV, Indictione octava die Veneris XIIII° intrantis mensis octubris, quod Illustris vir dominus Nanus Marchio Ceve fecit constituit et ordinavit dominum Oddonem Marchionem de Careto presentem et mandatum suscipientem suum certum nuncium actorem procuratorem et sindicum ad omnia sua et singula ac universa negocia et facta gerenda tractanda facienda et administranda, Et ad paciscendum et omnem contractum faciendum, Et ad vendendum et alienationem faciendum, precium ipsius venditionis Recipiendum et confitendum et ad ipsum et eius bona obligandum quibus voluerit et ei placuerit, et ad promittendum et promissiones faciendum nomine ipsius domini Nanni prout hec et alia in dicta carta plenius continentur. Ecce quod dictus dominus Oddonus procuratorio nomine pro dicto domino Nano et nomine et vice ipsius domini Nani vendidit et ex causa venditionis confessus fuit se tradidisse et quasi tradidisse domino Raynaldo de pontirolio potestati Astensi, et discretis viris

[1] Instrumentum hoc edidit Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars II. col. 708. N. 204.

dominis Jacobo de Gorzano, Thome de Alfiano notario, Francisco Sbarato, Rogerio de Curia vicarijs seu tenentibus locum domini Capitanei populi Astensis seu rectoribus populi Astensis, et Facino Ysnardo, Thome Cassano, Sandrino Malbecho, Rigaudo pellete quatuor sapientibus civitatis Astensis habentibus una cum dicto domino potestate Astensi et vicarijs seu Rectoribus populi Astensis bayliam generalem super universis negocijs comunis Astensis et acquirendo terram et amicos nomine dicti Comunis Ast eis concessam per consilium ducentorum et Rectorum minutorum populi Astensis habentium bayliam et auctoritatem generalem super universis factis et negocijs comunis Astensis, eis concessam per generale consilium jandicte civitatis Astensis, Recipientibus nomine et vice communis Astensis Castra, Villas, loca et jura et actiones infrascriptas et infrascripta, In primis castrum et villam Ceve, Item villam Roasij, Item Rivum frigidum, Item castrum Castellinj, Item villam Yglani, Item castrum ville Torexelle, Item medietatem Nielle, Item castrum sancti Michaelis salvis juribus domini Episcopi Astensis, Item castrum Pamparati salvis juribus dicti domini Episcopi Astensis, Item castrum Ventapanicie, Item castrum et villam veolle, Item castrum et villam Lissi, Item castrum et villam Monasteyrolij, Item medietatem hominum Batifollj et ville salvis juribus Episcopi Albensis, Item castrum sive Bastitam Montisguardie, Item castrum et villam Noxeti, Item castrum et villam Bagnaschi, Item castrum et villam Prohenche, Item villam Murischi, Item castrum et villam Garexij, Item castrum et villam Malpotrenj, Item castrum et villam prierij, Item medietatem castri et ville Montiscemolj, cum omni mero et mixto imperio et omnimoda jurisdictione, et cum vasallis et hominibus feudatis et non feudatis fidelitatibus et juribus fidelitatum et cum omnibus terris et possessionibus domibus sediminibus, hedificijs, pratis, vineis, gerbis nemoribus, pascuis et juribus pascuorum, ruppibus et ruynis, furnis molendinjs et molegijs et iure molendj et capiendi multuram, pedagijs curays, dacitis exactionibus quibuscumque, Revis et Maletoltis et Vetigalibus omnibus, venationibus, piscationibus, aquis, aquarum decursibus, clusis decimis, primicijs ecclesijs, capellis et iuribus patronatus et cum omnibus Juribus habendi et percipiendi predicta et quodlibet predictorum et cum omnibus fodris dacitis talijs et collectis et quibuscumque muneribus, successionibus et juribus succedendi et aconczamentis et omnibus et singulis iuribus et actionibus eidem domino Nanno competentibus, Ad habendum et percipiendum et exigendum predicta et quodlibet predictorum, et cum omnibus fictis, drictis, rosijs et caregijs spiayrolijs fugacijs et caponibus et quibuscumque alijs debituris atque redditibus fructibus et obventionibus quibuscumque, et cum omnibus iuribus et actionibus eidem domino Nanno competentibus ad habendum percipiendum et exigendum predicta et quodlibet predictorum, Et generaliter omnia alia et singula, que dictus dominus Nannus habet tenet vel possidet vel quasi possidet, habere tenere possidere vel quasi possidere videtur, et que sibi competunt vel competere videntur aliqua occasione iure vel modo in predictis castris, villis, locis et in quolibet eorum, et in territorijs vel districtu ipsorum vel alicuius eorum, Pro precio librarum Centummillium bonorum denariorum Astensium, quod precium sive quos denarios dictus dominus Oddonus procuratorio nomine pro dicto domino Nanno et nomine ipsius domini Nanni confessus fuit se integraliter habuisse et recepisse, Et sibi nomine dicti domini Nanni integre et

complete satisfactum esse a predictis dominis potestate et Sapientibus civitatis Astensis dantibus et solventibus nomine et vice comunis Astensis, et de precio supradicto, Renunciando exceptioni non numerate pecunie, et precij predicti non habiti et non recepti, exceptioni doli mali et in factum, condictioni sine causa et ex iniusta causa, Et ne possit dicere vel opponere se fore deceptum in presenti venditione ultra dimidiam iusti precij, et ne possit dicere vel opponere dolum dedisse causam huic contractui vel in ipsum incidisse, et generaliter omni et cuilibet alij exceptioni et iuri. Tali modo et forma facta est predicta vendicio quod dicti domini potestas, vicarij tenentes locum Capitanei et quatuor Sapientes nomine et vice comunis Astensis, et ipsum comune predicta omnia et singula vendita habeat teneat et possideat et quasi possideat, et ex eis quicquid voluerit faciat non obstante contradictione dicti domini Nani et heredum et successorum ipsius et cuiuslibet alterius persone cum omnibus et singulis que supra se et infra se habent, et cum omnibus juribus rationibus actionibus et accessionibus et servitutibus realibus et personalibus ingressionibus et egressionibus usibus publicis et privatis. Et volens dictus dominus Oddonus procuratorio nomine dicti domini Nanni et pro ipso domino Nanno transferre dominium et possessionem et quasi possessionem de predictis omnibus et singulis rebus venditis in dictos potestatem, vicarios et sapientes nomine et vice comunis Astensis et per eos in dictum comune Astense, Constituit se dictus dominus Oddonus procuratorio nomine dicti domini Nanni et pro ipso domino Nanno tenere et possidere et quasi possidere omnia et singula suprascripta vendita nomine et vice comunis Astensis, volens ipsum comune predicto nomine, suo ministerio facere possessorem et quasi de predictis rebus venditis, dans et concedens dictus dominus Oddonus procuratorio nomine dicti dominj Nanni et pro ipso domino Nanno predictis dominis Potestati vicario et sapientibus plenam licenciam et liberam facultatem ingrediendi et apprehendendi corporalem possessionem et quasi de predictis omnibus et singulis rebus venditis per sese, vel per alium, quotienscumque placuerit dictis potestati vicarijs et sapientibus vel alijs pro comuni ad eorum liberam voluntatem non obstante contradictione dicti domini Nanni et heredum et successorum suorum et cuiuslibet alterius persone, et sine requisitione cuiuslibet potestatis, Judicis, domini, magistratus et presidis cuiuscumque, Ad quam apprehendendam dictus dominus Oddonus procuratorio nomine dicti domini Nanni et pro ipso domino Nanno constituit dictos dominos potestatem vicarios et sapientes nomine et vice comunis Astensis et per eos dictum comune Astense procuratorem ut in rem suam seu in rem dicti comunis Astensis. Insuper dictus dominus Oddonus predicto nomine ex causa vendictionis predicte et precio supradicto dedit cessit atque mandavit dictis potestati et Sapientibus recipientibus nomine et vice comunis Astensis omnia Jura et omnes actiones reales et personales utiles et directas, realia et personalia, utilia et directa, dicto domino Nanno competentes et competentia quacumque causa obligationis, iure vel modo in predictis rebus venditis vel pro predictis rebus venditis habendis et percipiendis vel exigendis a quibuscumque personis et contra quascumque personas et a quacunque universitate et contra quancunque universitatem et in quibuscumque et pro quibuscumque rebus, Tali modo quod dicti potestas et sapientes nomine et vice comunis Astensis, et ipsum comune ita uti possit in iudicio et extra agendo defendendo, excipiendo replicando, habendo tenendo et possidendo et quasi possidendo predictas

res venditas et vendicando et petendo et exigendo et percipiendo predicta omnia et singula, Quemadmodum dictus dominus Nannus facere poterat vel posse facere videbatur vel facere potuisset ante presentem venditionem factam per dictum dominum Oddonem, si facta non fuisset, In quibus iuribus et actionibus dictus dominus Oddonus predicto nomine constituit dictos potestatem et sapientes nomine et vice comunis Astensis et per eos dictum comune procuratorem ut in rem suam seu in rem dicti comunis. Quas res et singulas et que iura et quas actiones dictus dominus Oddonus predicto nomine solemni stipulatione promisit predictis potestati et sapientibus recipientibus et stipulantibus nomine et vice comunis astensis defendere disbrigare auctorizare et expedire ab omni persona et personis Collegio et Universitate sub pena dupli, Et insuper restituere dictis dominis potestati et sapientibus omne damnum expensas et Interesse, Que et quas dictum comune Astense pro inde faceret incureret vel sustineret eundo redeundo, stando litigando mutuo premio vel alio quovis modo, Credendo eis de damnis expensis seu interesse in ipsorum verbo simplici sine sacramento et sine probatione aliqua. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis dictus dominus Oddonus predicto nomine omnia bona predicti domini Nanni dictis potestati sapientibus et Rectoribus nomine et vice comunis Astensis et per eos dicto comuni Astensi pignori obligavit, Et fuit confessus dictus dominus Oddonus predicto nomine ad postulationem et requisitionem predictorum potestatis, vicariorum et sapientum nomine et vice comunis Astensis quod dictus dominus Nannus nullam vendicionem vel donacionem fecit de predictis rebus venditis vel aliqua earum alicui persone preter quam comuni Astensi, Et delato eidem domino Oddoni sacramento per me notarium infrascriptum, ipse dominus Oddonus predicto nomine corporaliter tactis scripturis iuravit predicta vera esse et dictam venditionem et omnia et singula suprascripta rata et firma habere et tenere et attendere et observare et nullo tempore contrafacere vel venire, et nullo modo revocare vel removere seu retractare aliqua occasione iure vel modo. Insuper dictus dominus Oddonus promisit solemni stipulatione interveniente predicto nomine dictis potestati vicario et sapientibus recipientibus et stipulantibus nomine et vice comunis Astensis se facturum et curaturum, quod dictus dominus Nannus et eius filij Georgius et Guilelminus solemniter et cum sacramento ad postulationem sindici comunis Astensis ratificabunt et approbabunt omnia et singula suprascripta et omnibus et singulis suprascriptis expresse consencient, et omni iuri quod haberent in predictis rebus venditis renunciabunt, Et quod fidelitatem facient comuni Astensi seu sindico comunis, quotienscunque inde fuerint requisiti de tota terra, quam ipsi vel aliquis ipsorum haberent tenerent vel possiderent vel habere tenere vel possidere videntur, et etiam de tota terra quam ipsi vel aliquis ipsorum in futurum aliqua causa iure vel modo acquirerent, et omnia iurabunt facere et attendere que in sacramento fidelitatis continentur. Que si non facerent promisit idem dominus Oddonus predicto nomine predictis potestatis, vicarijs et Sapientibus stipulantibus et recipientibus nomine et vice comunis Astensis restituere omnes expensas damnum et interesse, que et quas dictum comune proinde faceret incurreret vel sustineret eundo redeundo, stando litigando, mutuo premio vel alio quovis modo, Credendo de damnis expensis et interesse in sindici comunis Astensis verbo simplici sine sacramento et sine probatione aliqua. Et pro predictis

omnibus et singulis attendendis et observandis, idem dominus Oddonus nomine et vice ipsius domini Nanni et pro ipso domino Nanno omnia bona dicti domini Nanni ipsis potestati vicarijs et sapientibus pignori obligavit, Renunciando in omnibus et singulis supradictis exceptioni doli et in factum condictioni sine causa, vel ex iniusta causa, Et generaliter omni et cuilibet alij exceptioni et defensioni.

Ego Vivaldus de Ava notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guilelmum de Gregorio notarium, iussu ipsius sic scripsi, et de protocolo ipsius extraxi et signum meum inferius apposui et me subscripsi in testimonium premissorum.

675. *De concessione per comune Ast facta in personam dicti domini Odonis procuratoris dicti domini Nanni de loco Ceve et de omnibus in dicta vendicione contentis in nobile et rectum feudum, et de fidelitate per dictum procuratorem facta dicto nomine predicto comuni de omnibus predictis cum multis conventionibus.* 1295. 22 Octobris [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto Indictione octava die sabbati vigesimo secundo mensis octubris, In presentia testium infrascriptorum. Apparebat per cartam unam factam per Jacobum pinctorem notarium in Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimoquinto, Indictione octava die veneris quartodecimo mensis octubris, quod Illustris vir dominus Nannus Marchio Ceve fecit constituit et ordinavit dominum Oddonem Marchionem de Careto presentem et mandatum sponte suscipientem suum certum nuncium auctorem procuratorem et Sindicum ad omnia et singula sua ac universa negocia et facta gerenda tractanda et facienda et administranda et ad paciscendum et omnem contractum faciendum et ad vendendum et vendictionem et venditiones faciendum, precium ipsius venditionis recipiendum et confitendum, et ad ipsum et eius bona obligandum cui et quibus voluerit, et quibus modis voluerit et ei placuerit et quocumque genere contractus voluerit, Et ad promitendum et promissiones faciendum nomine ipsius domini Nanni, prout hec et alia in dicta carta plenius continentur. Item apparebat per aliam cartam scriptam per me notarium infrascriptum, hoc eodem Anno et Indictione die Sabbati XXII° mensis octubris, quod dictus dominus Oddonus procuratorio nomine pro dicto domino Nanno et nomine et vice ipsius domini Nanni ex causa venditionis confessus fuit se tradidisse et quasi tradidisse domino Raynaldo de pontirolio potestati Astensi et discretis viris dominis Jacobo de Gorzano, Thome de Alfiano notario, Francisco Sbarato, Rogerio de Curia vicarijs seu tenentibus locum domini Capitanei populi Astensis et Facino Ysnardo, Thome Cassano, Sandrino Malbecho et Rigaudo pellete quatuor Sapientibus civitatis Astensis habentibus una cum dicto domino potestate et vicarijs sive Rectoribus populi Astensis bayliam generalem super universis negocijs comunis Astensis, Et in acquirendo terram et amicos nomine et vice dicti comunis Astensis, eis concessam per consilium CC et rectorum minutorum populi Astensis habentium bayliam et auctoritatem generalem super universis factis et negocijs comunis Astensis, eis

[1] Huius concessionis instrumentum per compendium edidit Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars II. col. 710. N. 205.

concessam per generale consilium iandicte civitatis recipientibus nomine et vice dicti comunis Astensis, castra, villas et loca et iura et actiones infrascriptas et infrascripta. In primis castrum et villam Ceve, Item villam Roaxi, Item Rivumfrigidum, Item castrum castellinj, Item villam Yglani, Item castrum ville Torexelle, Item medietatem Nielle, Item castrum sancti Michaelis salvis juribus domini Episcopi Astensis, Item castrum Pamparati salvis juribus dicti domini Episcopi Astensis, Item castrum Ventepanicie, Item castrum et villam Veolle, Item castrum et villam Lissi, Item castrum et villam Monastayrolj, Item medietatem hominum Batifollj et ville salvis Juribus..... Albe, Item castrum sive bastitam Montisguardie, Item castrum et villam Noxeti, Item castrum et villam bagnaschi, Item castrum et villam proheuche, Item villam Murischi, Item castrum et villam Garexi, Item castrum et villam Malpotreni, Item castrum et villam prierij, Item medietatem castri et ville Montiscemulj pro precio librarum Centummillium Astensium, prout hec et alia in dicta carta venditionis facte per dictum dominum Oddonem procuratorem ipsius domini Nanni plenius continentur. Ecce igitur quod predicti domini potestas, vicarius et Sapientes nomine et vice dicti comunis Astensis et pro ipso comuni dictam terram venditam et traditam per dictum dominum Oddonem nomine forma et modo predictis prout in instrumentis superius memoratis plenius continetur, Concesserunt in rectum nobile et gentile feudum dicto domino Oddoni procuratorio nomine ipsius dominj Nanni pro se et filijs ipsius dominj Nanni Georgio et Guilelmo et alijs eorum heredibus seu successoribus tam masculis quam feminis fratribus collateralibus et alijs descendentibus ab eis usque in gradum, quem jura permittunt, Et de ea dictum dominum Oddonem predicto nomine investiverunt per quemdam baculum quem dictus potestas in manu tenebat et ad osculum pacis dictus dominus potestas, Vicarius sapientes ipsum dominum Oddonem receperunt nomine et vice dicti domini Nanni filiorum heredum et successorum sub pactis et conventionibus stipulationibus et modis infrascriptis. Qui dominus Oddonus procuratorio nomine dicti domini Nanni juravit corporaliter ad sancta dei evangelia dicto domino potestati vicarijs et sapientibus nomine et vice comunis Astensis recipientibus quod dictus dominus Nannus et ejus filij predicti et successores erunt fideles ipsis potestati et alijs qui per tempora existent in regimine Civitatis Astensis et alijs magistratibus, et presidibus quibuscumque comunis Astensis et ipsi comuni Astensi, Et quod ipse dominus Nannus filij heredes et successores seu aliquis ipsorum non erunt in facto seu in consilio seu in loco quod potestas Astensis, seu qui per tempora fuerint in regimine civitatis Astensis, seu aliquis rector magistratus seu preses comunis Astensis, comune seu homines dicti comunis vel aliquis ipsorum persoram aut vitam aut membrum perdant aut honorem suum seu ipsius comunis Astensis vel mala captione detineantur ipsi vel aliquis ipsorum, aut terram comunis Astensis seu quam possidet vel tenet dictum comune Astense vel partem ipsius seu tenebit vel acquiret perdat seu in alium perveniat. Et si comune Astense aliquo casu quod deus avertat caderet a possessione seu tenuta alicuius terre vel loci in totum vel pro parte, ipsum comune iuvabunt toto eorum posse, bona fide, ad eam habendam et recuperandam, et ut eam habeat et recuperet ipsum comune. Et si ad noticiam ipsorum vel alicuius ipsorum pervenerit quod aliquis aliquid predictorum seu aliquod contra dictum comune seu in preiudicium ipsius comunis Astensis committere vellet pro

posse ipsorum disturbabunt, vel quam citius poterunt per se vel per alium nuncium suum vel per suas literas manifestabunt et nunciabunt potestati et Rectoribus comunis Astensis quam citius poterunt bona fide, Et credenciam sibi commissam nomine comunis Astensis seu pro comuni Astensi tenebunt ipsi et quilibet ipsorum secretam, et eam non manifestabunt sine voluntate comunis Astensis seu in preiudicium ipsius comunis Astensis, Et si consilium fuerit ab eis vel ab aliquo ipsorum postulatum pro comuni Astensi seu nomine ipsius comunis Astensis, ipsum dabunt in eorum conscientia bonum et utile ad utilitatem comunis Astensis bona fide. Hec omnia iuravit et promisit dictus dominus Oddonus predicto nomine et omnia alia que in sacramento fidelitatis continentur. Tenor autem pactorum et conventionum, quibus et ad que tenetur dictus dominus Nannus pro se et filijs suis heredibus et successoribus ipsorum dicto comuni Astensi, et quibus et ad que tenetur dictum comune Astense dicto domino Nanno pro se filijs et heredibus et successoribus, talis est, videlicet quod predictus dominus Nannus et filij eius suprascripti per sese eorum heredes et successores masculos et feminas, tenent et tenere debent in comuni Astensi, in feudum nobile et gentile totam et universam eorum terram castra, villas loca comunitates que denotantur et specificantur in instrumento venditionis facte de predictis per predictum dominum Oddonem procuratorem dicti domini Nanni, nomine ipsius, que videlicet dictus dominus Nannus tenebat tempore dicte venditionis, et que habet seu habere videtur in quacumque parte et loco, Excepto castro Salarum et villa et hominibus et iurisdictione dicti castri et omnem et universam terram Castra, villas et communitates que et quas acquireret ipse dominus Nannus et eius filij vel eorum aliquis, Faciendo ipse dominus Nannus et ejus filij heredes et successores de ipsa terra et hominibus pro comuni Astensi pacem guerram exercitus et cavalcatas itinera et succursus ad voluntatem dicti comunis Astensis contra quascumque personas collegium et universitates comunitates et Loca castellanos Comites et Marchiones et ceteras alias personas. Item quod dictus dominus Nannus seu filij heredes et successores seu aliquis ipsorum non possint ipsam terram castra, villas loca comunitates vel aliqua alia de predictis in totum vel in partem vendere seu alienare sine voluntate et consensu comunis Astensis. Et versa vice dictum comune Astense tenetur et debet, teneatur et debeat, ipsum dominum Nannum et filios et heredes et universam et totam terram castra et villas, quam que et quas nunc habent tenent vel possident seu detinent vel habebunt seu tenebunt vel acquirent ipse dominus Nannus filij heredes seu successores vel aliquis ipsorum iuvare defendere et manutenere pacem et guerram exercitus et cavalcatas facere contra quascumque personas collegium universitates communitates et loca castellanos Comites et Marchiones et ceteras alias personas qui et que offenderent in predicto feudo. Item quod comune Astense iuvabit predictum dominum Nannum filios et heredes suos in omni iure eorum quod habent vel habebunt vel acquirent in omni loco ut supra continetur. Item quod comune Astense non possit dictum feudum vendere donare vel permutare alicui persone collegio vel universitati sine voluntate dicti domini Nanni filiorum heredum et successorum, Et si contrafaceret, quod tunc dictus dominus Nannus filij et heredes seu successores ipsorum non teneantur in aliquo dicto comuni Astensi, nec etiam illi vel illis quibus dictum feudum venderetur, vel alienaretur per dictum comune Astense. Item teneatur comune Astense

si aliquis vasallus vel homo dicti domini Nanni filiorum heredum vel successorum eorum post confectionem presentis instrumenti et post venditionem et feudationem superius nominatas foret vel fuerit bannitus per dictum dominum Nannum filios et heredes, sive successores, sive aliquis fuerit proditor dicti domini Nanni filiorum heredum sive successorum, Et post ipsum bannum datum et proditionem factam se reduceret ipse malefactor seu bannitus vel proditor in civitate Astensi vel districtu castris vel villis dicte civitatis Astensis, quod potestas et Rectores comunis Astensis postquam eis denunciatum fuerit per dictum dominum Nanum vel nuncium ipsius teneantur potestas et ipsi rectores comunis Astensis, ipsos banitos et prodictores infra quindecim dies expellere de civitate Astensi et posse et districtu ipsius civitatis Astensis, Et eis et cuilibet ipsorum post dictum terminum xv dierum dare seu dari facere bannum maleficij sive de maleficio, Quo transacto si dictus bannitus vel proditor repertus seu inventus fuerit in civitate seu posse Astensi personaliter capiatur et puniatur secundum formam iuris. Item quod comune Astense non possit seu debeat ullo modo sub aliquo ingenio recipere vel secum associare pro civibus et habitatoribus vasalis, pro amicis iuratis vel socijs aliquem inimicum vel aliquos inimicos publicos vel publicum, cum quibus haberet predictus dominus Nanus publicam guerram seu discordiam, ipse seu eius filij heredes et successores nisi pace facta et concordia inter comune Astense et dictum dominum Nannum filios heredes sive successores ex una parte, et predictos inimicos ex altera, et nisi de voluntate dicti comunis Astensis et dicti domini Nanni vel eius heredum ..... Et eodem modo et forma predictus dominus Nannus filij, heredes sive successores non possint Seu debeant ullo modo sub aliquo ingenio recipere vel secum associare pro civibus habitatoribus, vasallis pro amicis iuratis vel socijs aliquem inimicum vel inimicos publicos vel publicum, cum quibus comune Ast haberet guerram sive discordiam nisi pace facta et concordia inter comune Astense et dictum dominum Nannum filios heredes sive successores ex una parte et predictos inimicos ex altera ut supra continetur. Item Actum est quod si aliqua persona collegium seu universitas castellanus Marchio vel Comes vel quicunque alius cuiuslibet condictionis vel gradus existat aliqua occasione seu actione reali vel personali directa vel utili civili vel preconia pecuniaria vel criminalj vel quoquo alio modo acquirere vellent contra dictum dominum Nannum filios vel heredes sive successores, non possint seu debeant ullo modo compelli seu distringi per potestatem Astensem vel aliquos Capitaneos seu Rectores magistratus seu presides comunis Astensis seu pro comuni Astensi vel nomine et vice comunis Astensis, parere seu stare iuri seu respondere de iure in civitate Astensi sive in aliquo castro villa vel loco comunis Astensis, Sed tantum racione futuri contractus quem facerent seu contraherent ipsi vel aliquis ipsorum in civitate Astensi vel posse, et ratione delicti quod comitteretur in civitate Astensi vel posse, et delictorum commissorum in civitate Astensi districtu vel posse, et racione domicilij quod ipsi vel aliquis ipsorum haberent seu constituerent in civitate Astensi seu districtu Astensi, Et ratione rei seu rerum site seu sitarum in posse et territorio seu districtu Astensi, teneantur iuri et rationi stare et parere In civitate Astensi, Et de ipso feudo respondere et iuri parere in civitate Astensi secundum iura feudalia et aliter non. Que omnia et singula dicti potestas, Capitaneus sindicus et credendarij nomine et vice comunis Astensis et pro ipso comuni ex una parte,

Et dictus dominus Nannus suo proprio nomine et nomine et vice prescriptorum filiorum filiorum (sic) suorum heredum et successorum ex altera, sibi adinvicem et vicissim una pars alteri et altera alteri solemnibus stipulationibus intervenientibus promiserunt attendere et attendi facere, et facere et curare, et nullo tempore contravenire, et quod nullo tempore contraventum seu factum erit, et quod predicta omnia et singula attendentur complebuntur et observabuntur, Et si contrafactum seu ventum esset per aliquam ipsarum partium promiserunt dicte partes sibi ad invicem stipulantibus et recipientibus una pars alteri et altera alteri, videlicet pars non observans parti observanti et observare volenti restituere et resarcire omnia damna expensas et interesse, que pars observans et observare volens faceret incurreret seu sustineret in causa iudicio mutuo premio vel alio modo, Credendo de damnis expensis et interesse in verbo simplici partis attendentis sine sacramento et qualibet testium probatione. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis complendis observandis, firmis tenendis, curandis, faciendis, ad effectum perducendis et non contraveniendis fiat capitulum speciale et capitula specialia super quo et quibus presens potestas, Capitaneus populi et alij Rectores magistratus et presides quicumque tam presentes quam qui per tempora fuerint in regimine civitatis Astensis, teneantur iurare speciali sacramento predicta omnia et singula attendere et observare et complere prout supra continetur, Et quod presens instrumentum et omnia et singula que in ipso continentur et omnia pertinentia ad predicta sint capitulum speciale, quod apponatur et apponi debeat in libro capitulorum civitatis, et in capitulo societatis populi, et maxime quatuor societatum populi Astensis, Et quod inde removeri canzellari mutari vacuari seu aboleri non possit, et si esset abolitum canzellatum mutatum seu minutum sed nichilominus pro non canzellato, abolito seu mutato habeatur et teneatur, et semper in sua permaneat roboris firmitate, ita quod omnia instrumenta superius nominata pro speciali capitulo habeantur teneantur et sint, Et si non esset appositum seu apposita in capitulis suprascriptis, semper pro appositis et scriptis habeantur et teneantur ac si ibi scripta et apposita essent de verbo ad verbum. Et predicta et singula teneantur et debeant iurare singulis annis et per annos singulos omnes potestates Capitanei, Rectores, magistratus et quicumque presidentes negocijs seu factis comunis Astensis attendere et observare et attendi et observari facere et non contravenire, sed ad effectum perducere quandocumque inde fuerint requisiti per prescriptum dominum Nanum, filios et heredes sive successores vel aliquem ipsorum. Et versa vice dictus dominus Nannus et heredes et successores et quilibet ipsorum, teneantur et debeant iurare et renovare prescriptam fidelitatem et prescripta omnia et singula attendere et observare et attendi et observari facere et non contravenire, sed ad effectum perducere, quandocumque inde fuerint requisiti per comune Astense vel alium pro ipso comuni Astensi. Et predicta omnia et singula facta tractata ordinata contracta firmata capitulata statuta sunt ex certa scientia pro bono et utilitate comunis Astensis, non obstante capitulo, ut iusticia fiat, et capitulo de maiore pena de solidis xx. Astensibus non imponenda, et capitulo ne baylia concedatur, nisi prius lecta et scripta fuerit, et non obstante capitulo de emendatoribus brevis, Et generaliter non obstante aliquo capitulo statuto vel ordinamento, et non obstantibus aliquibus capitulis statutis seu ordinamentis factis seu faciendis vel que fieri possent, et non obstantibus aliquibus

consilijs publicis vel privatis que fierent vel fieri possent, Et si aliquod fieret quod esset seu esse in aliquo videretur contra predicta vel aliquod predictorum, seu in aliquo videretur obviare, pro infecto non habito et non recepto habeatur et teneatur, et sit omnino cassum irritum et nullius valoris, Et ex nunc prout ex tunc omnia et singula que essent fierent seu venirent contra predicta vel aliquod predictorum predicti domini potestas, Capitaneus, quatuor Sapientes et credendarij ex certa scientia cassaverunt annullaverunt et irritaverunt, et nullius momenti esse penitus voluerunt. Et predicta omnia et singula acta facta et gesta sunt interveniente solemni decreto dicti domini potestatis Astensis et voluntate possessorum et curialium sive consiliariorum civitatis Astensis sacrosanctis evangelijs prepositis. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis omnia eorum bona una pars alteri pignori obligaverunt. Actum Ast in domo filiorum quondam Uberti prevenghi, In qua moratur dominus Raynaldus de pontirolio potestas Astensis. interfuerunt testes domini Raymondus Cacayranus, Guilelmus Brunus, Berrardus Layolius omnes iudices, Paganus de Rocheta et Guilelmus de poncio notarius.

Ego Vivaldus de Ava notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guilelmum de Gregorio notarium, iussu et de protocolo ipsius extraxi et sic scripsi, et signum meum inferius apposui, et ideo me subscripsi in testimonium premissorum.

676. *De ratificatione facta personaliter per dictum dominum Nannum de dicta venditione facta per dictum suum procuratorem, de ceva et alijs omnibus supradictis, et de venditione de novo facta dicto comuni, per ipsum dominum Nannum de predictis omnibus pro dicto precio librarum centumM.* 1295. 21 Novembris[1].

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto Indictione octava die lune vigesimo primo mensis Novembris. Actum Ast super voltis de Sancto Secundo de mercato Astensi. Testes interfuerunt dominus paganus de Rocheta, Jacobus Belustus notarius et Jordanus de platea notarius, Quorum presentia apparebat per cartam unam scriptam per Jacobum pinctorem notarium, in anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto Indictione octava die veneris Terciodecimo intrantis octubris, quod Illustris vir dominus Nannus Marchio Ceve fecit constituit et ordinavit dominum Oddonem Marchionem de Careto presentem et mandatum suscipientem suum certum nuncium actorem procuratorem et sindicum ad omnia et singula sua ac universa negocia et facta gerenda facienda et administranda et ad paciscendum et omnem contractum faciendum, et ad vendendum, venditionem et venditiones faciendum precium ipsius venditionis recipiendum et confitendum, et ad ipsum et eius bona obligandum, cui voluerit et quibus voluerit et qualitercumque ei placuerit, et quocumque genere contractus voluerit et quibuscumque modis voluerit, et ei placuerit, et ad promittendum et promissiones faciendum nomine ipsius domini Nanni prout hec et alia in dicta carta plenius continentur. Item apparebat per aliam cartam factam per me notarium infrascriptum hoc eodem anno et Indictione die sabbati XXII.° mensis

[1] Instrumentum hoc, priori parte omissa, edidit Moriondus *Monum. Aquen.* pars II. col. 714. N. 206.

cotubris, quod dictus dominus Oddonus procuratorio nomine pro dicto domino Nanno et nomine et vice ipsius domini Nanni vendidit et ex causa venditionis confessus fuit se tradidisse et quasi tradidisse domino Raynaldo de Pontirolio potestati Astensi et discretis viris dominis Jacobo de Gorzano, Thome de Alfiano notario, Francischo Sbarato et Rogerio de Curia vicarijs sive tenentibus locum Capitanei populi Astensis, seu Rectoribus populi Astensis et Facino Ysnardo, Thome Cassano, Sandrino Malbecho, Rigaudo pellete quatuor sapientibus habentibus una cum dicto domino potestate Astensi et vicarijs seu Rectoribus populi bayliam generalem super universis negocijs comunis Astensis, et in acquirendo terram et amicos nomine dicti comunis Astensis, eis concessam per consilium ducentorum et rectorum minutorum populi Astensis, habentium bayliam generalem super universis factis et negocijs comunis Astensis, eis concessam per generale consilium iandicte civitatis recipientibus nomine et vice comunis Astensis, Castra villas loca et res et iura et actiones infrascripta et infrascriptas, In primis castrum et villam Ceve, Item villam Roaxi, Item Rivum frigidum, Item castrum Castellinj, Item villam Yglani, Item castrum et villam Torexelle, Item medietatem Nielle, Item castrum sancti Michaelis salvis juribus domini Episcopi Astensis, Item castrum Pamparati salvis iuribus dicti domini Episcopi Astensis, Item castrum Ventepanicie, Item castrum et villam Veole, Item castrum et villam lisij, Item castrum et villam Monasteyrolij, Item medietatem hominum batifolj et ville salvis iuribus Episcopi Albe, Item castrum sive bastitam Montisguardie, Item castrum et Villam Noxeti, Item castrum et villam Bagnaschi, Item castrum et villam proenche, Item villam Murischi, Item castrum et villam Garexj, Item castrum et villam Malpotreni, Item castrum et villam prierij, Item medietatem castri et ville Montiscemoli cum omni mero et mixto imperio et omnimoda iurisdictione et cum vasallis et hominibus feudatis et non feudatis, fidelitatibus et juribus fidelitatum, et cum omnibus terris et possessionibus domibus sediminibus, hedificijs, pratis, vineis, gerbis, nemoribus, pascuis et iuribus pascuorum, ruppibus et ruynis furnis molandinis, molegijs et iure molendi et capiendi Molturam, pedagijs, curays dacitis et exactionibus quibuscumque revis et malatoltis et vetigalibus omnibus, venationibus piscationibus aquis, aquarum decursibus, clusis, decimis primicijs, ecclesijs et capellis, et iuribus patronatus, et cum omnibus iuribus habendi et percipiendi predicta et quodlibet predictorum, et cum omnibus fodris dacitis, taleis et collectis et quibuscumque muneribus successionibus et iuribus succedendi et aconzamentis omnibus et omnibus et singulis iuribus et actionibus eidem domino Nanno competentibus ad habendum percipiendum et exigendum predicta et quodlibet predictorum, et cum omnibus fictis dritis, rosijs et caregijs spiayrolijs et caponibus et quibuscumque alijs debituris atque redditibus fructibus et obventionibus quibuscumque, et cum omnibus iuribus et actionibus eidem domino Nanno competentibus ad habendum percipiendum et exigendum predicta, et quodlibet predictorum, Et generaliter ea omnia et singula que dictus dominus habet tenet vel possidet, vel quasi possidet habere tenere et possidere vel quasi possidere videtur, et que sibi competunt vel competere videntur aliqua occasione iure vel modo in predictis castris villis vel locis et in quolibet eorum, et in territorijs posse vel districtu ipsorum vel alicuius eorum pro precio librarum centum millium bonorum denariorum Astensium.

Quod precium dictus dominus Oddo procuratorio nomine pro dicto domino Nanno, et nomine ipsius domini Nanni confessus fuit se integraliter habuisse et recepisse, et sibi nomine dicti domini Nanni integre et complete satisfactum esse a predictis dominis potestate et Sapientibus civitatis Astensis, dantibus et solventibus nomine et vice comunis Astensis de precio supradicto, Renunciando exceptioni non numerate pecunie et precij predicti non habiti sive non recepti exceptioni doli et in factum condictioni et exceptioni sine causa, vel ex iniusta causa, et ne possit dicere vel opponere se fore deceptum in dicta venditione ultra dimidiam iusti precij vel in aliqua parte ipsius, et ne possit dicere vel opponere dolum dedisse causam huic contractui vel in ipsum incidisse, Et generaliter omni et cuilibet alij exceptioni et iurj. Tali modo et forma, facta est predicta venditio, quod dicti potestas Capitaneus et sapientes nomine et vice comunis Astensis, et ipsum comune Astense predicta omnia et singula vendita habeat teneat et possideat et quasi possideat, et ex eis quicquid voluerit faciat non obstante contradictione dicti domini Nanni et heredum et successorum ipsius et cuiuslibet alterius persone cum omnibus et singulis supra se et infra se habentibus, et cum omnibus iuribus rationibus et actionibus accessibus et servitutibus realibus et personalibus egressionibus et ingressionibus usibus publicis et privatis, Et volens dictus dominus Nannus transferre dominium et possessionem et quasi possessionem de predictis omnibus et singulis venditis in dictos potestatem, Capitaneum et Sapientes, nomine et vice comunis Astensis et per eos in dictum comune, Constituit se dictus dominus Nannus tenere et possidere et quasi possidere omnia et singula suprascripta vendita nomine et vice comunis Astensis, volens ipsum comune suo ministerio facere possessorem et quasi de predictis rebus venditis, dans et concedens eis plenam licentiam et liberam facultatem ingrediendi et apprehendendi corporalem possessionem et quasi de predictis omnibus et singulis rebus venditis per sese vel per alium quotiescumque placuerit dictis potestati capitaneo et sapientibus vel alijs pro comuni ad eorum liberam voluntatem, non obstante contradictione dicti domini Nanni et heredum et successorum suorum et cuiuslibet alterius persone, et sine requisitione cuiuslibet potestatis, Judicis, domini magistratus et presidis cuiuscumque, Ad quam apprehendendam dictus dominus Nannus constituit dictos potestatem Capitaneum, Rectores et sapientes et credendarios nomine et vice comunis Astensis et per eos dictum comune Astense procuratorem ut in rem suam et dicti comunis. Insuper dictus dominus Nannus ex causa venditionis predicte et precio supradicto dedit cessit atque mandavit dictis potestati, Capitaneo et sapientibus, Rectoribus et credendarijs recipientibus nomine et vice comunis Astensis omnia iura et omnes actiones reales et personales utiles et directas, realia et personalia utilia et directa sibi competentia et competentes quacumque causa obligatione iure vel modo in predictis rebus venditis vel pro predictis rebus venditis, habendis percipiendis vel exigendis a quibuscumque personis et contra quascumque personas et a quacumque universitate, et contra quancumque universitatem, et in quibuscumque rebus et pro quibuscumque rebus, tali modo, quod dicti potestas Capitaneus, Rectores et sapientes et credendarij nomine et vice comunis Astensis et ipsum comune ita uti possit in iudicio et extra agendo et defendendo excipiendo et replicando, habendo, tenendo et possidendo et quasi possidendo predictas res venditas et vendicando et petendo,

exigendo et percipiendo predicta omnia et singula, quemadmodum dictus dominus Nannus facere poterat vel facere posse videbatur vel facere potuisset ante presentem venditionem factam per dictum dominum Oddonem, et si presens venditio facta per dictum dominum Oddonem facta non fuisset. In quibus iuribus et actionibus dictus dominus Nannus constituit dictos potestatem, Capitaneum, Rectores sapientes et credendarios nomine et vice comunis Astensis et per eos dictum comune procuratorem ut in rem suam seu in rem dicti comunis, Quas res omnes et singulas et que iura et quas actiones dictus dominus Nanus solemni stipulatione interveniente promisit dictis potestati, Capitaneo, Rectoribus, sapientibus et credendarijs recipientibus et stipulantibus nomine et vice comunis Astensis defendere disbrigare auctorizare et expedire ab omni persona et personis collegio et universitate et contra omnes personas et universitates sub pena dupli, Et insuper restituere dicto comuni Astensi omne damnum expensas et interesse que et quas dictum comune Astense pro inde faceret incurreret vel sustineret, eundo, redeundo, stando, litigando mutuo premio vel alio quovis modo, credendo eis seu sindico comunis Astensis, de damnis et expensis seu interesse, in ipsorum vel sindici comunis Astensis, verbo simplici sine sacramento et sine probatione aliqua. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis, dictus dominus Nannus omnia sua bona, dictis dominis potestati Capitaneo, Rectoribus, sapientibus et credendarijs nomine et vice comunis Astensis et per eos dicto comuni Astensi pignori obligavit, Et fuit confessus dictus dominus Nannus ad postulationem predictorum dominorum potestatis, Capitanei, Rectorum, sapientium et credendariorum nomine et vice comunis Astensis, quod nullam venditionem, donationem, vel alienationem fecit de predictis rebus venditis vel aliqua earum alicui persone preter quam comuni Astensi. Et delato eidem domino Nanno sacramento per me notarium infrascriptum, Ipse dominus Nannus corporaliter tactis scripturis iuravit predicta vera esse, Et dictam venditionem et omnia et singula rata et firma habere et tenere, et attendere et observare et nullo tempore contrafacere vel venire et nullo modo revocare vel retractare aliqua occasione iure vel modo. Insuper dictus dominus Nannus promisit solemni stipulatione interveniente dictis potestati, Capitaneo, Rectoribus, Sapientibus et credendarijs recipientibus et stipulantibus nomine et vice comunis Astensis, se facturum et curaturum quod Georgius, et Guilelmus eius filij solemniter et cum iuramento ad postulationem Sindici comunis Astensis ratificabunt et approbabunt omnia et singula supradicta et omnibus et singulis supradictis expresse consencient et omni iuri quod haberent in predictis rebus venditis renunciabunt, et quod fidelitatem facient comuni Astensi seu sindico comunis Astensis, quotienscumque inde fuerint requisiti de tota terra quam ipsi vel aliquis eorum haberent, tenerent vel possiderent vel habere tenere vel possidere viderentur, Et etiam de tota terra, quam ipsi vel aliquis ipsorum in futurum aliqua causa iure vel modo acquirerent, et omnia iurabunt facere et attendere que in sacramento fidelitatis continentur. Que si non facerent promisit dictus dominus Nannus predictis potestati, Capitaneo, Rectoribus, Sapientibus et credendarijs stipulantibus et recipientibus nomine et vice comunis Astensis, restituere omnes expensas damna et interesse, que et quas dictum comune Astense proinde faceret incurreret vel sustineret eundo redeundo stando litigando mutuo premio vel alio quovis modo, Credendo de damnis expensis et interesse in sindici

comunis Astensis verbo simplici sine sacramento et sine probatione aliqua, et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis, Idem dominus Nannus omnia sua bona, dictis potestati, Capitaneo, Rectoribus sapientibus et credendarijs, recipientibus nomine et vice comunis Astensis pignori obligavit, Renunciando in omnibus et singulis Supradictis exceptioni doli et in factum condictioni et exceptioni sine causa, vel ex iniusta causa, Et generaliter omni et cuilibet alij exceptioni et defensioni prout hec et alia in dicta carta venditionis plenius continentur. Ecce quod predictus dominus Nannus Marchio Ceve in pleno et generali consilio civitatis Astensis voce preconis et sono campanarum more solito congregato super voltis sancti Secundi de Mercato Astensi ad instantiam et postulationem domini Raynaldi de pontirolio potestatis et domini Lambe Aurie Capitanei populi civitatis Astensis et petri de Solario loco Persavalli de Solario cui dicitur Vespa Rectoris societatis militum, Berrardj layoli doctoris legum et Philippi de Platea, Francischi de Gorzano et Martinj Mignanj, quatuor sapientum, quibus sunt commissa negocia civitatis Astensis, et credendarij prime et secunde credencie et totius consilij generalis iandicte civitatis in quo consilio interfuerunt plusquam trecenti viri, et Sandrini Malbechi sindici comunis Astensis, de quo sindicatu apparet per publicum instrumentum scriptum per me notarium infrascriptum, hoc eodem anno Indictione et die nomine et vice comunis Astensis recipientium ratificavit et approbavit venditionem predictam factam per dictum dominum Oddonem nomine ipsius domini Nanni et obligationes et promissiones predictas factas per predictum dominum Oddonem nomine ipsius domini Nanni, Et omnia ea et singula que in dicto vendictionis instrumento facte per dictum dominum Oddonem nomine dicti domini Nanni et scripto per me notarium infrascriptum continentur, Et omnibus hijs et singulis que in dicto venditionis instrumento continentur In presentia dictorum dominorum ..... Capitanei, Rectorum societatis militum, Sapientum et credendariorum et totius consilij generalis recipientium nomine et vice comunis Astensis ex certa scientia et expresse consensit, Et insuper ad cautelam et maioris roboris firmitatem omnia et singula supradicta vendita per ipsum dominum Oddonem nomine ipsius domini Nanni, idem dominus Nannus vendidit et ex causa venditionis confessus fuit se tradidisse cum omnibus iuribus et pertinencijs rerum predictarum et omni plenitudine iuris earum dictis dominis potestati, Capitaneo, Rectoribus, sapientibus et credendarijs et consilio civitatis Astensis recipientibus nomine et vice comunis Astensis, nichil in se penitus retinendo, sed in ipsos nomine dicti comunis et per eos in dictum comune totaliter transferendo pro predicto precio librarum Centummillium Astensium, de quo precio idem dominus Nannus se vocavit et tenuit tacitum et contentum, et confessus fuit sibi esse de dicto precio a dictis potestate Capitaneo Rectoribus sapientibus, credendarijs et consilio nomine et vice comunis Astensis integre satisfactum, Et iandictum precium quod dictus dominus Oddonus nomine ipsius domini Nanni confessus fuit se habuisse et recepisse a dictis potestate vicarijs sive Rectoribus et Sapientibus nomine et vice comunis Astensis, confessus fuit et recognovit dictus dominus Nannus ad postulationem predictorum potestatis, Capitanei, Rectorum sapientum et credendariorum et totius consilij generalis recipientium nomine et vice comunis Astensis, in ipsum integre pervenisse et in utilitatem suam conversum et errogatum esse etc.

Et ego Vivaldus de Ava notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guillelmum de Gregorio notarium, iussu ipsius sic scripsi, et de protocolo ipsius extraxi, et signum meum apposui et ideo me subscripsi in testimonium premissorum.

677. *De investitura in feudum nobile per comune Astense dicto domino Nano personaliter facta de Ceva et omnibus predictis, Et de fidelitate per dictum dominum Nannum dicto comuni facta de eisdem.* 1295. 21 Novembris [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo, nonagesimo quinto Indictione octava die lune vigesimo primo mensis Novembris. Actum Ast super voltas de Sancto secundo de mercato Astensi, Testes interfuerunt dominus paganus de Rocheta, Jacobus Besustus et Jordanus de platea notarius, quorum presentia apparebat per cartam unam factam per Jacobum Pinctorem notarium in Anno domini MCC°XXXX° quinto, Indictione VIII.ª die veneris quartodecimo mensis octubris, quod Illustris vir dominus Nannus Marchio Ceve fecit constituit et ordinavit dominum Oddonem Marchionem de Careto presentem et mandatum suscipientem suum certum nuncium actorem procuratorem et sindicum ad omnia et singula sua negocia et facta gerenda tractanda facienda et administranda et ad paciscendum et omnem contractum faciendum, et ad vendendum et vendictiones faciendum precium vendictionis recipiendum et confitendum, et ad ipsum et eius bona obligandum cui et quibus voluerit et qualitercumque ei placuerit, et quocunque genere contractus voluerit, et quibuscunque modis voluerit et ei placuerit, Et ad promittendum et promissiones faciendum nomine ipsius domini Nanni prout hec et alia in dicta carta plenius continentur. Item apparebat per aliam cartam factam per me notarium infrascriptum hoc eodem Anno et Indictione die sabbati XXII.° mensis octubris, quod dictus dominus Oddonus procuratorio nomine pro dicto domino Nanno et nomine et iure ipsius vendidit et ex causa venditionis confessus fuit se tradidisse et quasi tradidisse domino Rainaldo de pontirolio potestati Astensi et discretis viris dominis Jacobo de Gorzano, Thome de Alfiano notario, Francischo Sbarato, Rogerio de Curia vicarijs sive tenentibus locum Capitanei populi Astensis et Facino Ysnardo, Thome Cassano, Sandrino Malbecho notario, Rigaudo pellete quatuor Sapientibus civitatis Astensis, habentibus una cum dicto domino potestate et vicarijs sive Rectoribus populi Astensis bayliam generalem super universis negocijs comunis Astensis, et in acquirendo terram et amicos nomine dicti comunis Astensis eis concessam per consilium ducentorum et Rectorum minutorum populi Astensis, habentium bayliam et auctoritatem generalem super universis factis et negocijs comunis Astensis eis concessam per generale consilium civitatis predicte recipientibus nomine et vice comunis Astensis castra villas loca et iura et actiones infrascriptas et infrascripta. Inprimis castrum et villam Ceve, Item villam Roaxi, Item Rivumfrigidum, Item castrum Castellinj, Item villam Yglani, Item castrum ville toreselle, Item medietatem Nielle, Item castrum Sancti Michaelis salvis iuribus domini Episcopi Astensis, Item castrum pamparati salvis iuribus dicti domini Episcopi Astensis, Item castrum ventepanicie, Item castrum et villam veolle, Item castrum

[1] Huius investiturae instrumentum, omissis quae in superioribus describuntur, edidit Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars. II. col. 715. N. 207.

et villam lissij, Item castrum et villam Monastayroli, Item medietatem hominum Batifollj et ville salvis iuribus Episcopi Albe, Item castrum sive bastitam Montisguardie, Item castrum et villam Noxeti, Item castrum et villam Bagnaschi, Item castrum et villam Prohenche, Item villam Murischi, Item castrum et villam Garexij, Item castrum et villam Malpotreni, Item castrum et villam prierij, Item medietatem castri et ville Montiscemulj precio librarum centummillium Astensium, Quam vendictionem predictam factam per dictum dominum Oddonem nomine ipsius domini Nanni, et obligationes et promissiones predictas factas per predictum dominum Oddonem nomine dicti domini Nanni, et omnia ea et singula que in dicto instrumento vendictionis facte per dictum dominum Oddonem nomine dicti domini Nanni et scripto per me notarium infrascriptum continentur, Et omnibus hjs et singulis que in dicto venditionis instrumento continentur, dictus dominus Nannus ratificavit approbavit et confirmavit in presentia dominorum potestatis, Capitanei, Rectorum Sapientum credendariorum et totius consilij generalis civitatis Astensis recipientium nomine et vice comunis Astensis, Et hjs omnibus et singulis suprascriptis ex certa scientia et expresse consensit. Et insuper ad cautelam et ad maiorem negocij firmitatem omnia et singula supradicta vendita per ipsum dominum Oddonem nomine ipsius domini Nanni, idem dominus Nannus vendidit et ex causa vendictionis confessus fuit se tradidisse predicta cum omnibus iuribus et pertinentijs rerum predictarum prout hec et plura alia continentur et denotantur in carta inde facta per me notarium infrascriptum hoc eodem anno, Indictione et die. Ecce igitur quod dictus dominus Raynaldus de Pontirolio potestas Astensis et Lamba Aurie Capitaneus populi Astensis, et domini Berrardus layolius doctor legum, Philippus de platea, Francischus de Gorzano et Martinus Mignanus, quibus commissa sunt facta et negocia comunis Astensis et dominus Petrus de Solario loco persavalli de Solario Rectoris societatis baronie millitum civitatis Astensis, et Sandrinus Malbechus sindicus et procurator comunis Astensis de quo sindicatu apparet publicum instrumentum factum per me notarium infrascriptum hoc eodem anno Indictione et die, Constituti super voltis sancti Secundi de Mercato Astensi in pleno et generali consilio more solito et loco consueto per nuncios et campanam congregato, et voluntate et consensu ipsius consilij nomine et vice comunis Astensis dictam terram venditam et traditam per dictum dominum Oddonem nomine et forma et modo predictis, Et postea per ipsum dominum Nanum prout in instrumentis superius memoratis plenius continetur, concesserunt in rectum nobile et gentile feudum dicto domino Nanno pro se et filijs suis Georgio et Guilelmo et alijs eorum heredibus seu successoribus tam masculis quam feminis fratribus collateralibus, Et de ea dictum dominum Nannum corporaliter et alios descendentes ab eo usque in gradum, quem iura permittunt suo et predictorum nomine investiverunt per quendam baculum quem dictus dominus potestas Astensis tenebat in manu, et ad osculum pacis dictus dominus potestas Astensis ipsum dominum Nanum pro se et filijs suis heredibus et successoribus recepit sub pactis conventionibus stipulationibus et modis infrascriptis. Qui dominus Nanus suo proprio nomine et nomine filiorum suorum suprascriptorum juravit corporaliter ad Sancta dei evangelia dicto domino potestati, Capitaneo, Sapientibus, Rectoribus, sindico et credendarijs nomine et vice totius comunis Astensis recipientibus se et filios suos predictos et successores ipsorum esse

fidelem et fideles ipsi potestati et alijs per tempora existentibus in regimine civitatis Astensis et alijs magistratibus et presidibus quibuscumque comunis Astensis, et ipsi comuni Astensi, Et quod ipse dominus Nannus et filij heredes et successores seu aliquis ipsorum non erunt in facto seu consilio seu loco, quod potestas Astensis seu qui per tempora fuerint in regimine civitatis Astensis seu aliquis Rector, magistratus seu preses comunis Astensis, ipsum comune seu homines dicti comunis vel aliquis ipsorum personam aut vitam aut membrum perdant seu perdat aut honorem suum seu ipsius comunis Astensis, vel mala captione detineantur ipsi vel aliquis ipsorum, aut terram comunis Astensis seu quam tenet vel possidet dictum comune Astense vel partem ipsius seu tenebit vel acquiret perdat seu in alium perveniat, Et si comune Astense aliquo casu quod deus avertat, caderet a possessione seu tenuta alicuius terre vel loci in totum vel pro parte, ipsum comune iuvabunt toto eorum posse ad recuperandam et habendam eam bona fide, et ut eam habeat et recuperet ipsum comune Astense, Et si ad noticiam ipsorum vel alicuius ipsorum pervenerit quod aliquis aliquid predictorum seu aliud contra dictum comune seu in prejudicium comunis Astensis committere vellet, pro posse ipsorum et cuiuslibet eorum disturbabunt vel quam citius poterunt per se vel per suum nuncium vel per suas literas manifestabunt et nunciabunt potestati et Rectoribus comunis Astensis bona fide, Et credenciam sibi commissam nomine comunis Astensis seu pro comuni Astensi, tenebunt ipsi et quilibet ipsorum, et eam non manifestabunt sine voluntate comunis Astensis seu in preiudicium ipsius comunis Astensis, Et si consilium ab eis vel ab aliquo eorum postulatum fuerit pro comuni Astensi seu nomine comunis Astensis, ipsum dabunt in eorum conscientia bonum et utile ad utilitatem comunis Astensis bona fide. Hec omnia iuravit et promisit dictus dominus Nannus suo et predictorum nomine et omnia alia que in sacramento fidelitatis continentur. Tenor autem pactorum et conventionum quibus et ad que tenetur dictus dominus Nannus pro se et filijs suis heredibus et successoribus ipsorum dicto comuni Astensi, et quibus et ad que tenetur dictum comune Astense dicto domino Nanno pro se filijs heredibus et successoribus, Talis est videlicet quod dictus dominus Nannus et filij eius suprascripti per se se eorum heredes et successores masculos et feminas teneant et tenere debeant a comuni Astensi in feudum Nobile et gentile totam et universam eorum terram, castra, villas loca que denotantur et specificantur in instrumento venditionis facte de predictis per predictum dominum Oddonem procuratorem dicti domini Nanni nomine ipsius, Que videlicet dictus dominus Nannus tenebat tempore dicte vendictionis, et que habet seu habere videtur in quacumque parte et loco, excepto castro Sallarum, et villa et jurisdicione et hominibus dicti castri, et quas acquirent ipse dominus Nannus et filij sui vel aliquis ipsorum, faciendo ipse dominus Nannus et eius filij heredes et successores de ipsa terra et hominibus pro comuni Astensi pacem guerram exercitus et cavalcatas itinera et succursus ad voluntatem dicti comunis Astensis contra quascumque personas collegia et universitates, civitates loca et castellanos Comites et Marchiones et ceteras alias personas. Item quod dictus dominus Nannus seu filij heredes et successores seu aliquis ipsorum non possint ipsam terram castra villas, loca, comunitates vel aliqua alia de predictis in totum vel in partem vendere seu alienare sine voluntate et consensu comunis Astensis. Et versa vice dictum comune Astense

tenetur et debet, teneatur et debeat dictum dominum Nannum filios et heredes suos et universam et totam terram castra et villas quam que et quas nunc habent tenent vel possident seu detinent, vel habebunt seu tenebunt vel acquirent, ipse dominus Nannus filij et heredes seu successores vel aliquis ipsorum, Juvare defendere et manutenere et pacem et guerram exercitus et cavalcatas facere contra quascumque personas collegia et universitates communitates et loca, castellanos comites et Marchiones et ceteras alias personas, qui et que offenderent in predicto feudo. Item quod comune Astense iuvabit predictum dominum Nannum filios et heredes suos in omni iure eorum quod habent vel habebunt vel acquirent in omni loco, prout supra continetur. Item quod comune Astense, non possit dictum feudum vendere donare vel permutare alicui persone collegio vel universitati sine voluntate dicti domini Nanni filiorum heredum et successorum, Et si contrafaceret quod tunc dictus dominus Nannus filij et heredes seu successores ipsorum non teneantur in aliquo dicto comuni Astensi, nec etiam Illi vel illis, quibus dictum feudum venderetur seu alienaretur per dictum comune Astense. Item teneatur dictum comune Astense quod si aliquis vasallus vel homo dicti domini Nanni filiorum heredum vel successorem eorum post confectionem presentis instrumenti et feudaciones superius nomininatas foret vel fuerit bannitus per dictum dominum Nanum filios heredes sive successores sive aliquis fuerit proditor dicti domini Nanni filiorum heredum sive successorum, et post ipsum bannum datum seu prodictionem factam, se reduceret ipse malefactor, seu bannitus vel proditor in civitate Astensi seu districtu castris vel villis dicte civitatis Astensis, quod potestas et Rectores comunis Astensis, postquam eis denunciatum fuerit per dictum dominum Nannum vel nuncios ipsius, seu Rectoribus vel sapientibus gerentibus et administrantibus negocia comunis Astensis, ipsos bannitos et prodictores infra xv. dies postquam ipsi potestati fuerit denunciatum seu rectoribus comunis Astensis expellere de civitate Astensi posse et districtu ipsius civitatis Astensis, Et eis et cuilibet ipsorum post dictum terminum quindecim dierum dare seu dari facere banum maleficij seu de maleficio, Quo transacto si dictus bannitus vel proditor repertus seu inventus fuerit in civitate vel posse Astensi, personaliter capiatur et puniatur secundum formam iuris. Item quod comune Astense non possit seu debeat ullo modo sub aliquo ingenio recipere vel secum associare pro civibus habitatoribus vasallis, pro amicis iuratis vel socijs aliquem inimicum vel aliquos inimicos publicos vel publicum cum quibus haberet dictus dominus Nannus publicam guerram sive discordiam ipse seu eius filij heredes et successores, nisi prius pace facta et concordia inter dictum comune Astense et dictum dominum Nannum filios heredes et successores ex una parte, et predictos inimicos ex altera, et nisi de voluntate fuerit dicti comunis Astensis et dicti domini Nanni vel eius heredum, Et eodem modo et forma predictus dominus Nannus filij heredes sive successores non possint seu debeant ullo modo sub aliquo ingenio recipere vel secum associare pro civibus habitatoribus vasallis, pro amicis iuratis vel socijs aliquem inimicum vel aliquos inimicos publicum vel publicos, cum quibus comune Astense haberet guerram sive discordiam nisi prius pace facta et concordia inter comune Astense et dictum dominum Nannum filios et heredes sive successores ex una parte et predictos inimicos ex altera. Item actum est quod si aliqua persona collegium comune seu universitas castellanus Marchio vel Comes vel quicumque alius

cuiuscumque condictionis vel gradus existat aliqua occasione actione reali vel personali directa vel utili, civili vel preconia, pecuniaria vel criminalj vel quovis alio modo agere vellent contra dictum dominum Nannum filios vel heredes sive successores vel aliquem ipsorum, vel ab eis seu aliquo ipsorum rem aliquam seu res aliquas petere, quod dictus dominus Nannus filij heredes sive successores non possint seu debeant ullo modo compelli seu distringi per potestatem Astensem vel per aliquos Capitaneum seu Rectores magistratum presidem seu presides comunis Astensi seu pro comuni Astensi vel nomine et vice comunis Astensis parere seu stare iuri seu respondere de iure in civitate Astensi sive in aliquo castro villa vel loco comunis Astensis, Sed tantum ratione futuri contractus quem facerent seu contraherent ipsi vel aliquis ipsorum in civitate Astensi vel posse, Et ratione delicti quod committeretur in civitate Astensi vel posse, Et delictorum commissorum in civitate Astensi, districtu, vel posse, et ratione domicilij quod ipsi vel aliquis ipsorum haberent seu constituerent ipsi vel aliquis ipsorum in civitate posse vel districtu Astensi, Et ratione rei seu rerum site vel sitarum in posse territorio sive districtu Astensi teneantur iuri et rationi stare et parere In civitate Astensi, Et de ipso feudo respondere et iuri parere in civitate Astensi, comuni Astensi secundum iura feudalia et aliter non. Que omnia et singula dicti potestas Capitaneus Sapientes sindicus et credendarij nomine et vice comunis Astensis et pro ipso comuni Astensi ex una parte, Et dictus dominus Nannus suo proprio nomine et nomine et vice prescriptorum filiorum heredum et successorum ex altera, sibi ad invicem et vicissim una pars alteri et altera alteri solemnibus stipulationibus intervenientibus promiserunt attendere et attendi facere et curare et nullo tempore contravenire, et quod nullo tempore contraventum erit seu factum, Et quod predicta omnia et singula attendentur complebuntur et observabuntur, Et si contrafactum seu ventum esset per aliquam ipsarum partium promiserunt dicte partes sibi ad invicem stipulantibus et recipientibus et una pars alteri et altera alteri, videlicet pars non observans parti observanti et observare volenti restituere et resarcire omnia damna expensas et interesse, que pars observans et observare volens faceret incurreret vel sustineret, in causa iudicio mutuo premio vel alio modo, credendo de damnis expensis et interesse in suo simplici verbo partis attendentis sine sacramento et qualibet testium probatione. Et de predictis omnibus et singulis attendendis complendis observandis firmis tenendis curandis faciendis ad effectum perducendis et non contraveniendis fiat capitulum speciale et capitula specialia super quo et quibus presens potestas, capitaneus populi Astensis et alij Rectores, magistratus presides quicumque tam presentes, quam qui per tempora fuerint in civitate Astensi teneantur iurare speciali sacramento predicta omnia et singula attendere observare et complere prout supra continetur, Et quod presens instrumentum et omnia et singula, que in ipso continentur et etiam pertinentia ad predicta sit capitulum speciale, quod apponatur et apponi debeat in libro capitulorum civitatis Astensis, et in capitulo societatis populi, et maxime quatuor societatum populi Astensis, Et quod inde removeri, canzellari, mutari, vacuari seu aboleri non possit, Et si esset abolitum canzellatum mutatum seu minutum semper nichilominus pro non canzellato, abolito seu mutato habeatur et teneatur et semper in sua permaneat roboris firmitate, ita quod omnia instrumenta superius nominata pro speciali capitulo habeantur, teneantur et sint, Et

si non esset appositum seu apposita in capitulis suprascriptis, semper pro appositis et scriptis habeantur et teneantur, Ac si ibi scripta et apposita essent de verbo ad verbum, Et predicta omnia et singula teneantur et debeant iurare singulis annis et per annos singulos omnes potestates Capitaneus Rectores Magistratus et quicumque presidentes negocijs seu factis comunis Astensis, attendere et observare seu attendi et observari facere et non contravenire ad effectum perducere quandocumque inde fuerint requisiti per prescriptum dominum Nanum filios heredes vel successores vel aliquem ipsorum. Et versa vice dictus dominus Nannus heredes et successores et quilibet ipsorum teneantur et debeant iurare et renovare prescriptam fidelitatem et prescripta omnia et singula attendere et observare et attendi et observari facere et non contravenire ad effectum perducere quandocumque fuerint requisiti per comune Astense vel alium pro ipso comuni Astensi. Et predicta omnia et singula facta tractata ordinata firmata capitulata et statuta sunt ex certa scientia et pro bono et utilitate comunis Astensis, non obstante capitulo ut iusticia fiat, et capitulo de maiore pena solidorum viginti Astensium non imponenda, et capitulo ne baylia concedatur nisi prius scripta et lecta fuerit, et non obstante capitulo de emendatoribus brevis, Et generaliter non obstante aliquo capitulo statuto vel ordinamento, et non obstantibus aliquibus capitulis statutis vel ordinamentis factis seu faciendis vel que fieri possent, et non obstantibus aliquibus consilijs publicis vel privatis que fierent seu fieri possent, Et si aliquid fieret quod esset seu esse in aliquo videretur, contra predicta vel aliquod predictorum seu in aliquo obviare videretur, pro non facto habito seu recepto habeatur et teneatur, Et sit omnino cassum irritum et nullius valoris, Et ex nunc prout ex tunc omnia et singula que essent fierent seu venirent contra predicta vel aliquod predictorum, predicti domini potestas, Capitaneus IIII^or^ et credendarij ex certa scientia cassaverunt annullaverunt et irritaverunt et nullius momenti esse penitus voluerunt. Et predicta omnia et singula acta facta et gesta sunt interveniente solemni decreto dicti domini potestatis Astensis, et voluntate possessorum et curialium sive consiliariorum civitatis Astensis sacrosanctis evangelijs propositis. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis omnia eorum bona una pars alteri pignori obligaverunt.

Et ego Vivaldus de Ava notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guilelmum de Gregorio notarium iussu ipsius sic scripsi, Ac ipsius prothocolo extraxj et sic scripsi et signum meum apposui, et ideo me subscripsi, in testimonium premissorum.

678. *De ratificatione facta per Georgium et Guilelmum fratres et filios dicti domini Nanni parabola dicti sui patris de dicta venditione facta comuni Ast ut prefertur, Et de venditione per eos facta dicto comuni de predictis omnibus.* 1296. 16 Februarij [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo sexto Indictione nona die iovis XVI mensis februarij. Actum in burgo Ceve in domo Baxani de Baxanis, Testes interfuerunt Jacomellus Scarella de Garexio, dominus Conradus Marchio de Careto

[1] Instrumentum hoc memoravit Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars II. col. 716. N. 208.

et Jacobus pinctor notarius quorum presentia apparebat per cartam unam factam per me Guilelmum de Gregorio notarium Anno domini MCCLXXXXV°. Indictione octava, die lune XXI° mensis novembris, quod Illustris vir dominus Nannus honorabilis Marchio Ceve vendidit et ex causa venditionis fuit confessus se tradidisse et quasi tradidisse domino Raynaldo de pontirolio potestati Astensi et discretis viris dominis Jacobo de Gorzano, Thome de Alfiano notario, Francischo Sbarato, Rogerio de Curia vicarijs sive tenentibus locum Capitanei populi Astensis, Et Facino Ysnardo, Thome Casseno, Sandrino Malbecho notario, Rigaudo pellete, quatuor sapientibus civitatis Astensis habentibus una cum dicto domino potestate et vicarijs sive Rectoribus populi Astensis bayliam generalem super universis negocijs comunis Astensis et in acquirendo terram et amicos nomine dicti comunis Astensis eis concessam per consilium ducentorum et rectorum minutorum populi Astensis habentium bayliam et auctoritatem generalem super universis factis et negocijs comunis Astensis eis concessam per generale consilium civitatis Astensis predicte recipientibus nomine et vice comunis Astensis castra villas loca et iura et actiones contenta et contentas in dicto instrumento venditionis pro precio librarnm centum millium bonorum denariorum Astensium, In quo instrumento venditionis facte a dicto domino Nanno inter cetera continetur, quod dictus dominus Nannus tenetur et debet facere et curare cum effectu quod Georgius et Guilelmus eius filij ratificabunt et approbabunt predictam venditionem factam per dictum dominum Nanum vel alium eius nomine et omnia ea et singula que continentur in dicta carta venditionis totiens quotiens inde fuerint requisiti a Sindico comunis Astensis prout hec et plura alia in dicta carta venditionis plenius continentur. Ecce igitur quod dictus dominus Nannus una cum filijs suis predictis Georgio et Guilelmo volens observare comuni Astensi ea que promisit dicto comuni, et predicti Georgius et Guilelmus precepto iussu et mandato ac auctoritate dicti domini Nanni eorum patris ibi presentis in manibus Sandrinj Malbechi sindici comunis Astensis, recipientis nomine et vice comunis Astensis iuraverunt corporaliter ad sancta dei evangelia predictam venditionem factam per dictum dominum Nannum vel alium eius nomine et omnia ea et singula que in dicta venditione continentur attendere et observare perpetuo et nullo tempore contra facere vel venire, Ratificantes approbantes et confirmantes in presentia dicti sindici nomine et vice dicti comunis recipientis omnia ea et singula que continentur in dicta venditione, et hjs omnibus et singulis suprascriptis contentis in dicta carta venditionis ex certa scientia et expresse consenserunt, Et insuper ad cautelam et maiorem negocij firmitatem omnia et singula supradicta vendita per ipsum dominum Nanum eorum patrem predicti Georgius et Guilelminus precepto voluntate et auctoritate dicti patris eorum vendiderunt et ex causa venditionis fuerunt confessi sese tradidisse predicta cum omnibus iuribus et pertinentijs rerum predictarum in manibus dicti sindici comunis Astensis, promittentes predicta omnia et singula predicto sindico nomine et vice comunis Astensis attendere et observare et nullo tempore contrafacere vel venire, Et si contrafacerent vel venirent promiserunt eidem sindico nomine et vice comunis Astensis, restituere omnes expensas damna et interesse, que et quas pro inde facerent incurrerent vel sustinerent ullo modo occasionibus predictis causa iudicio mutuo premio vel alio modo quocumque, Credendo in verbo sindici comunis Astensis de

damnis expensis et interesse sine sacramento et qualibet testium probatione. Insuper quia dictus Guilelmus minor videbatur etatis annorum xxv tamen decem et octo annorum corporaliter tactis scripturis iuravit ad sancta dei evangelia predicta omnia et singula attendere et observare prout superius continetur et nullo tempore contrafacere vel venire ratione minoris etatis vel alia ratione, Renunciando beneficio minoris etatis et omni alij iuri. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis omnia bona sua eidem sindico predicto nomine recipienti pignori obligaverunt. Item eodem anno et Indictione die martis vigesimo primo mensis februarij, Actum in villa sancti Michaelis in vinea donnea dicti domini Nanni Marchionis Ceve, Testes interfuerunt Jacobus Besustus, Rollandus Guardeta, Carnotus et Francischus Vacha, quorum presentia Petrus Almengerda sindicus et procurator comunis et hominum sancti Michaelis ut patet per cartam unam dicti sindicatus factam per Jacobum Stopetum notarium Anno domini M°CCLXXXX° sexto Indictione Nona die martis XXI° mensis februarij, iuravit nomine et vice dicti comunis et hominum sancti Michaelis in manibus dicti sindici recipientis nomine et vice comunis Astensis quod dictus dominus Nannus et eius filij predicti attendent et observabunt omnia ea et singula que promiserunt comuni Astensi vel alteri pro ipso comuni Astensi. Item eodem anno et Indictione die mercurij XXII^a^ mensis Februarij. Actum in Burgo Ceve in mercato dicti loci, Testes interfuerunt Jacobus Becharius cui dicitur bestialis, Oppizo pelleta et Jacobus pinctor notarius, quorum presentia Guilelmus Bassus sindicus comunis et hominum Ceve ut patet per cartam unam dicti sindicatus factam per dictum Jacobum pinctorem notarium anno domini M°CCLXXXX° sexto, Indictione nona, die predicta mercurij XXII° mensis februarij nomine et vice comunis et hominum Ceve iuravit in manibus dicti sindici recipientis nomine et vice comunis Astensis, quod dictus dominus Nanus et eius filij attendent et observabunt omnia ea et singula que promiserunt comuni Astensi vel alteri pro ipso comunj Astensi etc.

Et ego Vivaldus de Ava notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guilelmum de Gregorio notarium iussu ipsius sic scripsi et extraxj de prothocolo ipsius et signum meum apposui et ideo me subscripsj in testimonium premissorum.

CIX. De Caballariomaiori.

679. *De donatione comuni Ast facta per dominum Bellengerium Marchionem de Buscha de Castello villa et hominibus Caballarij maioris.* 1202. 4 Marcij.

In nomine domini nostri yhesu Christi, et ad honorem et servicium ipsius et gloriose Marie virginis et beati Secundi martiris et omnium sanctorum et sanctarum dei et ad honorem servicium utilitatem et comodum totius comunis de Aste dominus Bellengerius Marchio de Buscha, Renunciando omnibus iuribus quibus donationes revocari possunt fecit puram et simplicem donationem et irrevocabilem in manu domini Guidonis de piroano potestatis Astensis nomine et vice comunis et universitatis Astensis ad proprium communis Astensis nominatim de Cavalariomaiore scilicet de omni eo quod ipse Belengerius vel alius pro eo habet tenet et possidet iuste vel iniuste et hactenus visus est tenere et possidere in castello et in villa et in iurisdicione et posse

Cavalarij maioris in militibus et ceteris hominibus feudatis et infeudatis in ecclesijs et capellis in terris cultis et incultis in nemoribus et in silvis in ruynis et pascuis in rupibus et in rivis in aquatico et in molendinis in piscationibus et in venationibus et in omnibus alijs rebus ad predictum locum quoquo modo pertinentibus cum omni iure et omni honore ibi pertinente ad supradicta nichil in se retinendo, eo modo ut ipse Guido de piroano potestas Astensis et successores eius nomine et vice communis et universitatis Astensis et comune de Aste a modo predictum locum Cavalarij cum supra nominatis ad proprietatem et dominium communis Astensis teneant et possideant et de eo et de omnibus supradictis sine omni ipsius Bellengerij et heredum eius et omnium personarum pro eis contradictione quicquid voluerint faciant. Quam donationem predictus dominus Bellengerius pro se et pro suis heredibus pretitulato Guidoni de piroano potestati Astensi nomine comunis de Aste stipulanti sibi suisque in regimine civitatis de Aste successoribus et comuni de Aste ab omni homine sub dupli pena defendere promisit, promittens illi facere uxorem suam et nurus suas abrenunciare ypotecario earum iuri senatus consulto veleyano et omni alij legum auxilio quod in predicta donatione per se vel per aliam personam in presentiarum habent vel exigere possent vel in aliquo tempore haberent vel exigere possent, et quod iurabunt donationem istam firmam tenere nec per se nec per aliam personam in aliquo molestare tempore nec removere, promisit etiam ipsi potestati refutare fidelitatem militum et omnium hominum predicti loci et eas fieri facere communi de Aste. Insuper dominus Guido de piroano potestas Astensis et dominus Bellengerius ibidem dixerunt quod volebant hanc donationem esse in scriptis redactam quia sic actum est inter eos. Preterea idem Bellengerius fuit confessus se predicta omnia nomine communis de Aste possidere et esse in possessionem earum omnium rerum nomine communis Astensis. Ad hoc dominus Bellengerius iuravit predicta attendere et ille et Guillelmus eius filius iuraverunt hanc supradictam donationem in perpetuum firmam tenere nec per se nec per aliam personam molestare contradicere impedire nec removere si deus illos adiuvet ad sancta dei evangelia. Actum in urbe Aste in communi credentia in domo communis per campanam et per nuncios congregata Anno domini Millesimo ducentesimo secundo indictione quinta die lune quarto intrantis Martij Interfuerunt testes Rollandus Bergogninus potestas Savilliani, Otto saracenus, Otto Karite, henricus Beiamus omnes de Savilliano, Conradus de drua, dominus Guilelmus pillosus de manzano, Mainfredus de Anima de Manzano, Ubertus de Revello, Albertonus Savoritus Judex potestatis, Rofinus de vespolato de Novaria et plures alij.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et precepto domini Guidonis de pirovano potestatis Astensis et domini Bellengerij Marchionis de Buscha scripsi.

680. *De investitura facta per comune Ast in dictum dominum Marchionem de predictis, et de medietate sancti Stephani de Valle Belbi Et de fidelitate per eum dicto comuni ex predictis omnibus facta.* 1202. 4 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo indictione quinta die lune quarto intrantis Martij presentia testium infrascriptorum dominus Guido de pirovano potestas Astensis nomine et vice communis et totius universitatis Astensis investivit dominum Bellengerium Marchionem de Buscha nomine recti feudi in filios et in filias de castro

et de villa et de posse Cavalarij maioris cum omni honore et districtu in augumento sui feudi quod tenet a comuni de Aste quod est medietas sancti Stephani sicut in carta inde facta a Thoma notario continetur. Quapropter ipse Bellengerius Marchio de busca de hoc novo feudo et de veteri feudo quod est medietas sancti Stephani de valle belbi fecit fidelitatem domino Guidoni potestati Astensi nomine et vice sui successorumque suorum in regimine civitatis Astensis per tempora existentium et tocius communis et universitatis de Aste sicut vasallus facit domino suo. Actum Urbe Aste in publica concione apud Sanctum Secundum de mercato celebrata. Interfuerunt testes Ubertus de Revello, Conradus de drua, Guilelmus Scarampus, Rollandus de fontana, Ubetus de platea, Mussus Trosellus, magister Petrus Becharius, Thomas notarius, Albertus Cicia, Ubertus Palius, Jacobus iudex, petrus Cicia, Surleonus de Ianua, Arnaldus de platea, homodeus Trosellus, Otto de Montebersario, Gandulfus donaschus et multi alij in concione illa existentes.

Ego Jacobus Boviculus notarius palatinus interfui et scripsi.

681. *De renunciatione facta per uxorem et nurus dicti donatoris de omnibus iuribus occasione dotium suarum eis conpetentibus (in) bonis de Caballario donatis ut supra.* 1202. 11 Marcij.

Ànno domini Millesimo ducentesimo secundo indictione quinta die lune undecimo intrantis Marcij presentia infrascriptorum, domina ymilia uxor domini Bellengerij Marchionis de Buscha et domina Aldis uxor domini Guilelmi filij sui et domina Mathelda uxor domini Ottonis filij eiusdem domini Bellengerij abrenunciantes earum iuri ypotecario senatui consulto veleyano et omni alij legum auxilio quod per se vel per aliam personam in presentiarum vel in aliquo tempore in predicta donatione quam dominus Bellengerius fecerat comuni de Aste de Cavallariomaiori ut in superiori instrumento continetur haberent vel exigere possent iuraverunt ad dei evangelia illam donationem et hanc abrenunciationem firmam tenere nec per se nec per aliam personam in aliquo tempore molestare impedire nec removere. Actum in dominiono Cavalarijmaioris, Testes Albertus Cicia, Robaldus Faxolius, Conradus de drua, Johannes de Boves, Jacobus de Montèbasilio, Guilelmus Filius Jacobi de Mezadio, Obertinus decanus et plures alij.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

682. *De interdicto facto per comune Ast comuni Savilliani ne capiant aliquem hominem de Caballario ad habitandum in Savilliano.* 1224. 25 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die dominico octavo kallendas Septembris in Savilliano in domo comunis eiusdem loci Thomas de solario et Obertus de Stoherda ambaxiatores communis Astensis ad hoc constituti interdixerunt a parte communis Astensis et pro ipso comuni Alberto Crivello potestati Savilliani et credentie eiusdem loci per campanam congregate nomine communis Savilliani ne decetero capiant aliquem seu aliquos homines de Cavalario causa habitandi seu standi in loco Savilliani et si quem vel aliquos receperunt a duobus mensibus citra quod eos absolvant et eos redire faciant ad habitandum in Cavallario. Item eis dixerunt dicti ambaxatores et nomine prescripto si fecerunt

aliquam coniurationem vel aliquod pactum cum aliquo vel cum aliquibus de Cavalario causa habitandi in loco Savilliani, quod eos absolvant, Item quod caveant se se a damnis guastis et offensionibus hominum de Cavalario, et si quod damnum eis dederunt, illud eis restituant vel taliter faciant cum eis quod coram comuni Astensi deinde non sit querimonia Et inde dicti ambaxiatores hanc cartam fieri iusserunt ut supra. Interfuerunt testes rogati Astesanus de pollencio Guilelmus vi et alij quamplures.

Et ego Guilelmus de Tana notarius hanc cartam scripsi.

683. *De juribus que Jacobus Bricius et eius uxor habebant in Caballario maiori occasione certorum debitorum per eos ex causa venditionis cessis comuni Astensi pro precio librarum Mille reforciatorum.* 1251. 15 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo primo indictione nona die lune quintodecimo intrante Madio presentia testium infrascriptorum dominus Jacobus Bricius suo nomine et nomine domine Aluysie uxoris sue et que fuit Amaxia sua et ipsa Aluysia quilibet eorum dederunt cesserunt atque mandaverunt ex causa venditionis domino Ottoni de Canevanova iudici et vicario domini Osse de canevanova potestatis astensis nomine et vice communis astensis omnia sua jura actiones et rationes utiles et directas utilia et directa reales et personales et mixtas realia et personalia et mixta, quas et que ipsi vel aliquis eorum habent vel habere videntur seu habere possent in Cavalario maiori et in pallatio seu castro et in villa, in hominibus feudatis et non feudatis in contili iurisdictione in fictis drictis Rosijs caregijs, in terris, pratis ierbis nemoribus pascuis in aquatico et pasquatico in furnis et molendinis pedagijs et in omnibus alijs iuribus que predicti vel aliquis ipsorum habent in dicto castro pallacio seu villa posse vel districtu eiusdem quacumque occasione et specialiter occasione unius debiti librarum quingentarum reforciatorum de quo est factum instrumentum ab Albrico imperialis aule notario Anno domini M°CC°XXX Indictione tercia die quintodecimo kallendas Madij, Item occasione alterius debiti librarum Mille reforciatorum de quo est factum instrumentum ab eodem Albrico notario Anno domini MCCXXXIIII Indictione VII die lune XII°, exeuntis mensis Julij, pro precio librarum mille reforciatorum quas fuerunt confessi quilibet eorum habuisse et recepisse a dicto domino Ottone nomine dicti communis astensis, Renunciantes exceptioni non numerate pecunie et omni alij exceptioni, tali modo quod dictus dominus Otto nomine et vice dicti communis et ipsum commune per se vel per alium de dictis iuribus faciat quicquid facere voluerit sine contradictione dictorum Jacobi et Aluysie et eorum heredum et omnium aliarum personarum pro eis. Que iura predicti et quilibet eorum insolidum promiserunt predicto Ottoni nomine et vice communis predicti ab omni persona pro eis et eorum occasione defendere et disbrigare et auctorizare, quod si facere nollent aut non possent aut sub quovis ingenio subtrahere quererent, tunc omne damnum expensas et interesse, quas et que dictum commune faceret incureret vel sustineret occasione predicta restituere promiserunt denunciandi necessitate expresse remissa per pactum, tali forma est facta dicta cessio venditio et concessio quod dictum commune vel alius pro eo comuni ita possit agere causari excipere replicare se defendere et modis omnibus uti et experiri realiter et personaliter utiliter et directe de dictis iuribus quemadmodum predicti Jacobus et Aluysia vel aliquis ipsorum facere poterat.

Et constituerunt ipsum dominum Ottonem nomine et vice dicti communis et dictum comune procuratorem ut in rem suam, sive in rem dicti comunis. Renunciantes novis constitutionibus epistole divi Adriani condictioni sine causa et ex iniusta causa et omni alij exceptioni et iuri, quo vel quibus se tueri possent contra predicta vel aliquod predictorum. Pro quibus attendendis observandis et complendis omnia eorum bona eidem domino Ottoni nomine dicti communis pignori obligaverunt. Actum est in Cabalario maiori in curia pallacij Caballarij, Testes ibi interfuerunt, dominus Obertus de platea, Berardus Garretus, Rollandus filius Bonefacij Garreti, Guilelmus de Brina, Oddo de vexemis, Guilelmus Zufus, Jacobus notarius filius quondam Maynfredi de Marcenascho, et Guilelmus notarius filius presbiteri papagrilli et henricus Rosanus de Cabalario.

Et ego Thomas Aycardengus notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

684. *De juribus que domini Petrus Marchio de Buscha et Maynfredus eius frater habebant in Caballario predicto ex causa venditionis cessis comuni Ast pro precio librarum CCXXV reforciatorum.* 1251. 19 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo primo indictione nona die veneris decimonono intrante Madio presentia testium infrascriptorum, dominus Petrus Marchio de Buscha et dominus Maynfredus eius frater filij quondam domini Raymondi de Busca, quilibet eorum insolidum dederunt cesserunt atque mandaverunt ex causa venditionis domino Ottoni de Canevanova Judici et vicario domini Osse de Canevanova potestatis astensis nomine et vice communis omnia sua iura actiones et rationes utiles et directas utilia et directa reales et personales et mixtas realia et personalia et mixta quas et que ipsi vel aliquis eorum habent vel habere videntur seu habere possent in Cavalariomaiori in pallatio seu castro et in villa in hominibus feudatis et non feudatis in contili iurisdictione in fictis drictis Rosijs, caregijs, in terris pratis, ierbis nemoribus pascuis in aquatico et pasquatico in furnis et molendinis, pedagijs et in omnibus alijs iuribus que predicti vel aliquis ipsorum habent in dicto castro pallacio seu villa vel posse vel districtu eiusdem occasione medietatis unius debiti librarum quadringentarum quinqueginta reforciatorum de quo est factum instrumentum a Jacobo sacri palatij notario Anno domini MCCXXXVIII° Indictione XII^a die veneris quarto kalendas Augusti. Item occasione cuiusdam concordie seu transactionis pactionis seu conventionis habite inter dominum Raymondum Marchionem de Buscha et dominum Jacobum Bricium, de quo est factum instrumentum ab Albrico imperialis aule notario anno domini M°CC°XXXIIII° Indictione VII^a die lune XII° exeunte mense Julij pro precio librarum ducentarum vigintiquinque reforciatorum quas fuerunt confessi quilibet eorum insolidum habuisse et recepisse a dicto domino Ottone iudice et vicario dicti potestatis nomine et vice dicti communis astensis Renunciando exceptioni non numerate pecunie et omni alij iuri et exceptioni Tali modo quod dictus dominus Otto nomine et vice dicti communis astensis et ipsum commune per se vel per alium de dictis iuribus faciat quicquid facere voluerit sine contradictione predictorum Petri et Mainfredi et eorum heredum et omnium aliarum personarum pro eis que iura predicti et quilibet eorum insolidum promiserunt predicto domino Ottoni nomine dicti communis ab omni persona pro ipsis et eorum

occasione defendere disbrigare et actorizare, quod si facere nollent aut non possent aut sub quovis ingenio subtrahere quererent tunc omne damnum omnes expensas et interesse quas et que dictum commune faceret incureret vel sustineret occasione predicta restituere promiserunt, denunciandi necessitate expressim remissa per pactum. Tali forma est facta dicta cessio venditio et concessio quod dictum commune vel alius pro ipso communi ita possit agere causari excipere replicare se defendere et modis omnibus uti et experiri realiter et personaliter utiliter et directe de dictis iuribus quemadmodum predicti domini Petrus et Maynfredus vel aliquis ipsorum facere poterant Et constituerunt ipsum dominum Ottonem nomine et vice dicti Communis et dictum comune procuratorem ut in rem suam, sive in rem dicti communis, Renunciantes novis constitutionibus epistole divi Adriani condictioni sine causa et ex iniusta causa et omni alij exceptioni et iuri quo vel quibus se tueri possent contra predicta vel aliquod predictorum pro quibus attendendis et observandis et complendis omnia eorum bona dicto domino Ottoni nomine dicti comunis pignori obligaverunt. Insuper Guilelmus de Brina promisit stipulanti predicto domino Ottoni nomine et vice dicti comunis se ita facturum et curaturum quod dominus Jacobus Marchio de Buscha et dominus Oddo eius frater filij quondam domini Raymondi Marchionis de Buscha dabunt et cedent et mandabunt dicto communi astensi vel alij pro ipso communi nomine dicti communis omnia eorum iura que habent vel habere videntur in Cabalario maiori occasione alterius medietatis supradicti debiti librarum quadragintarum quinqueginta reforciatorum et occasione cuiusdam concordie seu transactionis pactionis seu conventionis habite inter predictum dominum Raymondum de Buscha et predictum dominum Jacobum Bricium prout in instrumentis superius notatis continetur, Eodem modo et forma ut predicti domini Petrus et Mainfredus predicto domino Ottoni nomine dicti comunis dederunt cesserunt atque mandaverunt nomine venditionis prout superius continetur, Et si predictus dominus Jacobus et dictus dominus Oddo eius frater predicta non facerent vel si dictus Guilelmus de Brina predicta eis fieri non faceret Et proinde dictum comune astense vel alius pro comuni astensi damnum expensas et interesse faceret sustineret vel incurreret occasione supradicta illud et illas eidem domino Ottoni nomine dicti comunis restituere promisit, Credendo de damnis expensis et interesse dicto comuni vel alij pro comuni suo verbo sine sacramento et probatione qualibet, Et proinde predictus Guilelmus predicto domino Ottoni nomine dicti communis omnia sua bona pignori obligavit. Actum Aste in pallatio novo communis Astensis, testes dominus Guilelmus Cacayranus, Oddo Albricus, Ubertus de Sanctoiohane, Berrardus, Garretus et Bordane parumsanguis.

Et ego Thomas Aycardengus notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

685. *De restitutione facta per comune Ast domino Ottoni Boverio de Castro et de pallacio dicti loci Caballarijmaioris.* 1227. 29 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo septimo indictione quintadecima, die dominico quarto kallendas Septembris in castro Cavalarij in Caminata bassa de Ruata longa dominus Barocius de Burgo potestas Astensis nomine et vice comunis de Aste reddidit et restituit domino Ottoni Boverio castrum et palatium de Cavalario

maiori quod ipse dominus Otto dederat et deliberaverat eidem potestati nomine communis ad muniendum pro communi de aste secundum voluntatem potestatis prout dominus Otto confitebatur, de quo similiter castro dictus Otto confitebatur fidelitatem fecisse communi de Aste et ipsum pro dicto communi tenere promittendo ipse Otto predicto potestati nomine communis de Aste pro se et pro heredibus suis reddere et deliberare comuni astensi totiens quotiens communi de aste placuerit nec illud communi vetare varnitum nec scaritum ullo tempore. Interfuerunt testes Philippus Ferrandus, Simbaldus de Manzano, Jacobus merzarius, Arnaldus Sperenderius, Ubertinus Alexander, Rodulfus de Monexilio, Aycardus Soldanus, Rolandus Cazo, Petrus durnasius, Guilelmus Cargida, Guilelmus Cassanus, Otto de Cario, Robaldus Cicia, Aymonetus Scutifer Rolandi Cazo. Item eodem die postea in villa Cavalarij ubi dicitur in Ruata longa ante domum henrici de Valgrano, dominus Bellengerius filius predicti domini Ottonis eidem potestati nomine comunis astensis promisit de Castrocavalarij sicut pater ejus fecerat, Testes interfuerunt Jacobus Morfinus, Rollandus Cazo, Petrus durnasius, Guilelmus Cassanus, Robaldus Cicia, Aymonetus Scuterius Rollandi Cazo.

Et Rufinus Arancaboschus notarius inde cartam fecit.

CX. De Fossano.

686. *De hominibus Fossani qui fecerunt fidelitatem comuni Ast.* s. a.

Isti sunt homines Foxani qui fecerunt fidelitatem communi Astensi in manibus domini Osse de canevanova potestatis Astensis et domini Guilelmi Cacayrani Jordani de Realvengo, Gualle Macalufi et Balduyni de solario ambaxiatorum dicti communis recipientium nomine et vice dicti comunis, Porcellus de drua, Guilelmus Foacia, Guilelmus de Burgo, Guilelmus de Aste, Bonefacius de Meannis, Robaldus Guerra, Segnoracius, Ubertus Caluxus, Guilelmus de veximo, henricus Grassus, Mainfredus daniellus, Guilelmus de dulcia, Mainfredus Moronus, Jacobus guitonus, Jacobus de Rosaleto, Henricus de Sancto iohanne, Petrus de Calvenzana, Petrus vivianus, Jacobus Maior, Ambrosius Pallastre, Jacobus vernasinus, henricus Rivayra, Johannes Bellonus, Gandulfus Costafortis, Bergognus notarius, Guilelmus mazavaca, Petrus spina, Facius Ververius, Bonefacius Baldinus, Robaldus Mantegnus, Alricus Guerra, Guilelmus Costa, Jacobus Badinus, Guilelmus Richicius, Oddo ponga, Cantator Jacobus de Momprevelero, Guilelmus Aquila, henricus de Niella, Nicholaus de Roncalio, Gamba Nicholaus Scapita, Jacobus Baldoynus, Maynfredus Borinus, Petrus Vivianus, hugo Niellus, Baldicio paglerius, Vitonus Opicio, Jacobus de Turre, Jacobus vivianus, Petrus de Villamayrana, Guilelmus Ferarius, Guilelmus de Beali, Pacella de drua, henricus paonus, Petrus Marengus, Anselmus de Roncalio, Petrus dentus, henricus sinistra, Guilelmus de lera, Ambrosius peolotus, Gandulfus Scribanus, Jacotus Truchus, Jacobus Rocca, peruncius Mazavaca, Albertacius Becarius, Ulricus de Millesimo, Jacobus Fantinus, Matheus de Sarmatore, Petrus Maguglarius, daniellus Vegla, Andreas de Gorena, Otto Judeus, Robaldus de Turno, Anselmus de Alexandria, Johannes lapieus, Amedeus lanus, Maynfredus Clerichus, Guilelmus pallaster, Guido de Formayra, Anselmus de Fauxolio, Sellanus, Mussus de Turre, henricus Contus, Ghisolfus Judex, Obertus de doglaneis,

Gandulfus Advocatus, Jacobus de Manzano, Jacobus de Centallo, Jacobus Barlotus, Jacobus filius Magistri petri, Jacobus de Scagnellis, Pacella de Busca, Guilelmus de panzoleo, Amionus filius quondam Guilelmi Amici, Obertus Bencius, Guilelmus Fea, Guilelmus Payo, Johannes de Narzolis, Rusus Barberius, Guilelmus de Pohornays, Johannes de Romana, Mainfredus de Fauxolio, Gandulfus Grassus, Oddo Rohoronus, Jacobus Suppa, Obertinus de Cantanio, Bonefacius Marchisius, Thomas de Marcellengo, Guilelmus Renaynus, Nicholaus de Fauxolio, henricus Opicius, Johannes de Fauxolio, Petrinus filius magistri Petri, Jacobus Rebufatus, Guilelmus de summano, Oddinus Bellinus, Jacobus Richizanus, Oddinus Morenus, Obertus de Carpaneto, Nicholaus Barberius, Johannes Vitelinus, Oddo de Ceresolis, Ogerius Bosia, Nicholaus de Bestagno, Guitonus de Rodino, petrinus pelliparius, Richetus Quarterius, Guilelmus Crivellus, Ciglonus filius Sardi, Jacobus de Marenis, Oddonus de Costeglolis, Petrinus filius henghimelli, Marchus de Sarmatorio, Rolandus Capellarius, Johannes de Radina, henricus Ansaldus, Oddinus Stoperius, David de Monteforte, Guilelmus de Morocio, Julianus de Gatinaria, Guilelmus Costafortis, Oddo Fantinus, Andreas de Gorena, Arnaldus de Rochaevrano, Jacobus de Fantis, Oddo Nigrinus, Rodulfus Schina, Guilelmus Fea, Nicholaus de Gorzelio, henricus de preliola, Petrus Baldoerius, Jacobus de Garesio, Jacobus de Arguello, Johannes Caramellus, Jacobus vegla, Michael Maior, laurencius de Cavatore, henricus Gualletus, Salladinus de Brayda, Gualfredus de Sarmatorio, Guilelmus calcaneus, Petrus de Musa, Jacobus Richicia, Manfredus Randanus, Rufinus pelliparius, Mainfredus de Monticello, henricus Romanus, Jordanus Callegarius, Petrus, Petinarius, Robaldus de sancto Michaele, Guilelmus Ysembaldus, Petrus Circellus, Marchus Mainar, Michael de Meanis, Anselmus de Ravenna, Guilelmus pallonus, Petrus de Rivino, Rodulfus Bellinus, Caramellus, Guilelmus de Calocio, Jacobus Caramellus, stephanus ysoardus, henricus Bessus, Guilelmus Fuglarinus, Arnaldus Ferarius, Robaldus de Castro iohanne, Anselmus Falletus, Petrus de Gorzelio, Albricus Brachus, Rofinus Roba, Guilelmus de Ancisa, Petrus de Jordano, Jacobus Calcaneus, Johannes de loesio, Guilelmus de Cereto, Oddo Baldus, Bonefacius filius Oddonis Clerici, Ogerius de Monrecemola, Oddonus de Sommano, Albertus de Veximo, Anselmus lancerius, Guilelmus de Sagona, Petrus de Rocha, Jacobus Brevus de Romanisio, Jacobinus de sancto Albano, Bonus iohannes de Vigheria, Guilelmus Gualla, henricus filiaster Johannis Callegarij, Guilelmus Gorinus, Johannes clericus, Rodulfus, Russus de Rivalta, Obertus de Salixeto, Ramaldus de levexo, Amedeus Canevarius, Maynfredus de Monredandono, Guilelmus de Rochaevrani, Johannes de Stevenago, Guilelmus de Fossato, Oddo Niger, Dianaseus de Romano, Brunus de finis, Spricardus de Romanisio, Guilelmus Gisolfus, henricus de leguio, Nicholaus de Vercellis, Bascherius Guilelmus, Nicholaus filius Guilelmi Millani, Anselmus de preocha, Andreas Jula, Guilelmus de Albingano, Jacobus Vacherius, Obertus de Govono, Gandulfus de Oddello, Jacobus Briguolius, Guilelmus de Ardellina, Petrus de donnis, Guilelmus pennacius, Guilelmus Marchesanus, Guilelmus Berrutus, Obertus Niger, henricus de Castro novo, henricus Ferarius de Novis, Russus de sancto Albano, Johannes de Sanctaiulia, Johannes de Jordano de loesio, Soz Richellinus, Mussus Navonus, Borgesanus de Rocha, Jacobus de deo, Oddonus de Callizano, Obertinus de Oliva, henverardus de Bronia, Obertus de Varchio, Ogerius de Castagnolis, Jacobus

de Tresobio, Guilelmus de Mucia, Petrus Morenus, Bonefacius de Genevolis, Mamfredus Spicardus, Guido de Castellario, Guilelmus de Monforte, Jacobus de Ceva, Maynfredus de Cruceferia, Oddinus brachus, Guilelmus Coppa, Guilelmus Bochonus, Petrus Callegarius, Albricus heregius, Guilelmus Carlevarius, Guilelmus Mayretus, Martinus Reviglus, Alricus Abbanus, Guilelmus de Famoria, Johanes de Monte, Jacobus Avundus, Jacobus Bota, Petrus de Rocha evrano, Guilelmus de Rovere, Henricus de Mullanzano, Arnaldus de sancto dalmacio, Oddonus de Monteforte, Petrus Maldangna, Oddo berardus, Berardus Carbonus, Aycardus de bozolascho, Rollandus de Passigliano, Robaldus Callegarius, Vivaldus de deo, Nicolaus de Montixello, Aynaldus Fiairaldus, Obertus de Spigno, henricus de ulmo, Jacobus de lequio, Ugo de ponzano, Johaninus de duxtevexo, Aycardus Turta, Guilelmus de Brovia, Petrus Servisius, Guido de valle, Girardus de deo, Guilelmus de lovazolio, Bernardus de Rovino, Martinus Brignolius, Cassanus de Sorleis, Bovus de Riturbo, Anselmus Gadanus, Guilelmus de Terascho, Bernardus Textor, Aycardus de Incisia, Amedeus de Ast, Johannes dalelma, Lanfranchus de Casalegio, Guilelmus de lequio, Constancius Sabainus, Petrus panzonus, Bergognus frater Jacobi Boche, petrus provincialis de Mayranna, henricus lavazanis, Petrus Moyolius, Girardus de Alba, Michael de Cavatorio, Jacobus de Fauzolio, Obertus de Rocha evrano, Guilelmus de levex, Nicholaus de Crespavolo, Johannes Saracenus, Fachetus de Romanx, Johannes Corgarius, Petrus Testa, Jacobus de loysio, Johannes de Gueria, Albertinus de Caxinis, Albertus de petronigro, Burionus duvoria, Homodeus de pallodo, Oddinus de Mombarcherio, Guilelmus de Arguello, Henricus calcaneus, Raymondus de Niella, Anselmus de Ardegla, Johannes de Montelupo, Caresomus lancea, Johannes de Brevezio, Barnabeus Bulia, Anselmus de Scagnello, Anselmus de Turre, Mainfredus de Terzobio, Petrus Fuxerius, Petrus de lavezolio, Ayraldinus de Viverra, Azo de Montauto, Raynerius de Castellis, Mainfredus de Serravalle, Johannes de dezeno, Mainfredus de Rocheta, Arnaldus de Cangna, Mainfredus de Ciglario, Jacobus de Molerijs, Oddinus de Monforte, Ubertus doneus, Guilelmus Bergongnius, Petrus villanus, Trencherius Frenarius, Petrus de Fina, Mainfredus de Aymo, Ogerius de somano, Facius Juvenis, Ubertus de petro nigro, Henricus de Novello, Albertus de Nubiolio, Jacobus de Montebarcherio, Jacobus de summaripa paerni, Jacobus papiensis, Albertus Gramaticus, Rufinus de Retorbio, Bertraminus Peolerius, Andreas de Arguello, Jacobus Ferarius, Henricus de primeto, Jacobus Ysembardus, Robaldus de Gorena, Jacobus Niella, Guilelmus de Rozolascho, Raymondus Anriolius, Robaldus de Castellino, Albertus Capra, Guielmus Millanus, Raynaldus de Monteforte, Guilelmus de Monbaruccio, Guitonus de puteo, Blanchus de Moarano, Trencherius Paonus, Monacus de Summarippa, Jacobus Bazana, Johannes Ferrarius, Marchus Ferrarius, Jacobus Toschanus, Mainfredus dintabono, Guilelmus de Cavatorio, Salvetus de Rochaevranno, Obertinus de Cornagliano, Albertus de Bozolascho, Gandulfus picus, Jordanus Morenus, Nicholaus Bracinus, Henricus de Fauxolio, Petrus uxa, Guilelmus de Montaldo, Petrus bonus de vado, Henricus de Monte, Guilelmus Malonus, Rufinus de Magliano, Servideus Campana, Mussus de Retorbio, Guilelmus de Cherio, Albertus de Vercellis, Ubertus Aynaldus, Guilelmus de Castelerio piscator, Henricus de Ciglerio, Armanus de Vigheria, Johannes Maritanus, Jacobus Barellus, Henricus de Brovia, Berardus

Caculius, Rofinus Bozulus, Oddo Aramus, Jacobus Rolfus, Johannes ochetus, Ottonus de dea, Petrus Secundus, Guilelmus palearius, Raymondus Murator, Pagla de laude, Jacobus de Manzano, Guilelmus de Genevola, Macochus de leveis, Anfusus de Mairana, Jacobus Capellus, Ogerius boconus, Albertus de diano, Remitus, Guilelmus de deo, Raymondus de Salexeto, Thomas de Algarda, Albertus de Rochaevrano, Jacobus Aquiglanus, Brunus de Sancto nicholao, Oddo Spricardus, Henricus de Melexino, Oddinus de Monteforte, Guilelmus Favardus, Aycardinus Caglardus, Raymondus de Castagnolis, Guilelmus Roba, paparatus de Taglolis, Girardus de Mayrano, Guilelmus Bergognus, Guilelmus Ubertus, Petrus Salvaticus, Abbas de crastono, Sicardus de doglaneis, Henricus de planna, Jordanus Capra, Raymondus delemalerijs, Guilelmus Facius de Mairana, Anselmus de veximo, Andreas de Carasono, Jacobus Curtus, Guilelmus de Montaldo, Guilelmus Niger, Petrus Governatus, Boninus de doglaneis, Bonefacius dalmacius, Guilelmus de Novello, Bonusiohannes de doglaneis, Martinus de preorio, Rogerius de Seregleto, Johannes Calvinus, Ambrosius de pereto, Bonanatus de Cenglo, Ghisolfus de Rocheta Cayri, Andreas de Guarnerio, petrus Corterius, Guilelmus de Castellario, Mainfredus Marchixius, Oddo vitelinus, Guilelmus de loeis, Nicholaus Bombardus, Andreas de Sancto angelo, Johannes de Rodino, Guaschetus de Villamayrana, Raynaldus de orsayrola, Raymondus de Boza, Guilelmus picus, Petrus Bechus, Rodulfus de Bonanato, Oddinus pelliparius, Girardinus de Terdona, Petrus de Novaria, Michael Calegarius, Guilelmus opicius, Johannes de Fareglano, Guilelmus Guitonus, Novellus de piasanno, Albertus de portis, Charion de Rodino, Otto Caferus, Henricus de laude, Jacobus Tellegardus, Jacobus de Crosa, Mainfredus Macellator, Jacobus Berinus, Pepinus de Trinitate, Petrus de loco salvo, Guilelmus de Monte, Anselmus Suppa, Johannes Mayalius, Joveninus de Niella, Guilelmus Guerra, Joannes Tavernarius, Guilelmus de Camayrana, Henricus henavantus, Jacobus Marsagla, Andreas de Overa, Andreas Apostolus, Homodeus Guilelmus de Cortemillia, Girardus de Rocha, Catanius de Castronovo, Petrus de Sole, Garmondus de Monte, Obertus de Sommano, Bonamanus Oppicius, Bertramus Callegarius, Anselmus Forvarius, Anselmus de Ulmo, Amedeus de Alba, Petrus Murator, Gandulfus Menaboves, Johannes de Salexeto, Oddo Brignolus, Mainfredus Mascharellus, Gandulfus de Castroblancho, Aymericus Derameis, Jacobus jametus, Rodulfus Montaldi, Jacobus Corterius, Obertus Vivianus, Stefanus Troya, Guilelmus de Ancisa, Oddo Raviza, Jacobus de Marcellengo, Johannes Martinus, Romanisius lupus, Gervaxetus, Henricus de Madio, Henricus de deo, Anselmus de deo, Marchexius Ferarius, Guilelmus de Genevola, Jacobus Figlola, Jacobus de Verduno, Henricus Ferarius, Obertus de plebe, Jacobinus de Gaudina, Jacobus de Ameis, Petrus vinaverus, Jacobus Ayrolius, Guilelmus de Agra, Johannes de herbex, Henricus de pocapalea, Mainfredus de Salexeto, Guilelmus de Cucarello, Johannes Bulfus, Johannes Ricolfus, Rolandus de Casellis, Ayraldus de deo, Petrus Restus, Obertus Brina, Nicholaus iura, Ogerius de Cavatore, Raymondus Scrima, Oddo Becarius, Guilelmus Gervaxius, Guilelmus vagrola, Mainfredus Resta, Stephanus Bernardus, Rodulfus Recubaldus, Petrinus de Robba, Cerrinus Spagna, Gerardus de Monte, Johannes de deo, Guilelmus pellatus, Romanus Maguglatus, Obertus Boconus, Michael vivianus, Albertus de Caugna, Guarnerius Ferarius, Guilelmus Judeus, Johannes de Calicano, Jacobus

pectinarius, Jacobus de Coxano, Nicholaus de doglaneis, Guilelmus de Sarmatorio, Petrus de Manda, Mainfredus Ruxignolus, Panisetvinus, Guilelmus de Gabo, Rogerius de Rotorbio, Bonefacius de Barrotto, Reus, Vetus, Henricus Cederellus, Petrus Judex, Petrinus jordalengus, Oddonus de Albuzola, Johannes de Aquila, Petrus Tabaria, Rodulfus Botta, Hugo Millanus, Rofinus de Cerro, Johannes Vaca, Romanisius Gattus, Genexius Maritanus, Nicholaus Ronzonus, Obertus Mola, Ubertus Guagleta, Jacobus Capra, Aycardus Mullinarius, Rocha de drua, Filippus de drua, Guilelmus lambertus, Petrus Aleyta, Bonefacius pacella, Guilelmus Suppa, Oddo de Verduno, Guilelmus Marutus Aycardus Marchisius, Gervaxius Ysembardus, Obertus de Sancta victoria, Oppicius de Varena, Gilius pectinarius, Johannes Rusus de Rocha, Guyetus de Burga, Anselmus de Reali, Nicholaus de Bonvesino, Bartholomeus de Salexeto, Ardicio Testor, Jacobinus de Gervasio, Jacobus de levex, Jacobus de Ceresolis, Petrus de ymilia, Henricus de drua, Nicholaus secundus, Thomas Truchus, Anselmus Ferarius, Martinus pecolotus, Jacobus Murator, Pitonus, Robaldus Balduynus, Henricus Botta, Robaldus Maior, Henricus Vallandrus, Guilelmus caulus, Petrus de Barcellonia, Audricus de Bolerio, Guietus Nastalonus, Petrus Alsaxius, Michael vegla, Jacobus Bellonus, Jacobus Mafonus, Johannes Morrus, Hengelerius de Bagnaria, Andreas de Plana, Sarlus de drua, Auri de drua, Rebecus Maxellarius, Petrus Costafortis, Bruxa, Obertus de Rosa, Jacobus Gorinus, Guilelmus Saxus, Guilelmus Naxius, Petrus de Marenis, Jacobus daniel, Guilelmus Figloglatus, Sicardus Ferarius, Jacobus Vurencius, Symon de lequio, Ghisolfus Textor, Anselmus de Romanisio, Petrus de Sinis, Cerdanus de Melacio, Marchus Barbierius, Oddo pellatus de Romanisio, Anselmus de Cornaxo, Petrus Feta, Michael lombardus, Guilelmus Rebufatus, Odeconus oppicius, Jacobus de Alexandria, Oppizo de pallodo, Johannes de Scina, Marchus Morenus, Petrus Guarnerius, Guilelmus Vage, Folchus Rocha, Oddinus de unia, Guilelmus Aquiglata, Oddo Maritanus, Oddo polla, Jacobus de Sancto Gregorio, Johannes Peiardus, Liprandus de laude, Nicholaus Baydanus, Obertus de Gatto, Mainfredus pellacia, Bartholomeus de Maglano, Oddo Olerius, Rufinus pacinus, Rolandus de Castronovo, Girardus lombardus, Rodulfus de Roassio, Ubertus de Guimenzano, Guilelmus Gareglus, Oddinus maritanus, Mainfredus Saviglanus, Ugo de Capriata, Ghisembertus, Jacobus de Reali, Nicholaus Scina, Jacobus paglarius, Guitonus Mentardus, Romanus Alsaxus, Romanus Omnishomo, Jacobus de Crasa, Astexanus de Montecemulo, Petrus Caverius, Henricus Allus, filius Alli, Ugo de Sagona, Henricus David, Ubertus Spicardus, Albertinus peaydus, Guilelmus de Verduno, Guilelmus de Sarmatorio, Gilius Ferarius, Guido de laude, Faciolus de Melesino, Johannes Berrardus, Guilelmus Restus et Guilelmus Unaglus.

CXI. De Cargnano.

687. *De Communi et hominibus Cargnani receptis in cives astenses debendo solvere fodrum in communi ast de libris Mille et facere pacem et guerram exercitus et cavalcatas et multa alia pro dicto communi Ast.* 1235. 20 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo trigesimo quinto Indictione octava die dominico terciodecimo kallendas Junij presentia infrascriptorum testium Aycardus de

Baldiseto sindicus et procurator seu actor communis et hominum Cargnani ad faciendum et constituendum dictum commune Cargnani et homines illius loci cives astenses, Et ad promittendum de facienda pace et guerra exercitus et cavalcatas succursus et reductus, et ad obligandum ipsum commune et homines Cargnani versus commune de Aste, et ad faciendum omnia predicta et ad solvendum fodrum de libris Mille de Mobili quotiens civitas Astensis ad fodrum seu taglam pervenerit, Et ad promissiones et obligationes faciendas communi Astensi secundum quod est tractatum et ordinatum inter dictum commune astense et dictum Aycardum sicut apparet per publicum instrumentum factum a Jacobo notario anno domini MCC°XXXV° die iovis XIII° intrantis Madij Indictione octava fecit et constituit in manibus domini Ferarij Canis Astensis potestatis recipientis nomine et vice comunis Astensis, comune et homines Cargnani cives Astenses per se et Successores suos in perpetuum, Et promisit nomine comunis Cargnani et hominum Cargnani facere pacem et guerram exercitus et cavalcatas ac succursus, dare que reductum pro communi et diviso hominibus de Aste ad voluntatem communis Astensis contra omnes homines salvo Comite Sabaudie, et salvis dominis suis, et hoc quotiens inde fuerint requisiti a communi Astensi vel ab alio pro communi, Et promisit nomine ipsorum emere domum unam in Ast in qua dabunt libras ducentas astenses ad minus usque ad sanctum Michaelem proximum, Item promisit nomine dicti communis et hominum de Cargnano dare fodrum de libris Mille de mobili et hoc totiens quotiens civitas Astensis ad fodrum seu taglam pervenerit et facere mores et consuetudines civitatis Astensis ad modum et formam aliorum civium civitatis Astensis, et munitiones pro ipso communi Astensi tam peditum quam militum bona fide et sine fraude pro eorum posse. Item promisit nomine communis et hominum Cargnani, quod ipsum commune et homines de Cargnano non facient de terra et loco de Cargnano pacem vel treuguam vel possam fraudolentam seu guerram recreutam sine licentia et voluntate communis de Aste et sine parabola eis data consilio maioris partis Astensis credencie per campanam congregate. Item promisit nomine dicti communis et hominum de Cargnano manutenere et defendere commune et homines de Aste, Et omnia supradicta facere ut supra legitur suis proprijs expensis, Et quod non dimittent quin omnia supradicta faciant sicut supradictum est pro aliqua persona speciali vel pro aliqua universitate immo non obstante contradictione dominorum suorum vel alicuius persone omnia predicta et infrascripta attendent et observabunt in perpetuum. Item promisit nomine dicti communis et hominum Cargnanj eligere et habere potestatem de Ast ad regendum et pro regendo commune et homines Cargnani omni anno usque ad decem annos proximos, et si post decem annos per potestatem regi voluerint similiter teneantur habere de Ast. Item promisit nomine communis et hominum Cargnani facere pontem vivum supra padum usque ad festum omnium sanctorum proximum. Item quod eum non vetabunt communi Astensi vel diviso quod ipsi non vadant et transeant per eum cum carro et carrossa pede et equo et eum manutenere expensis communis Cargnani. Item promisit quod homines Cargnani iurabunt sequimen potestati Astensi omni anno sicut alij cives Astenses facient. Pro quibus omnibus attendendis et observandis omnia bona communis et hominum Cargnani predicto domino Ferrario Cani potestati Astensi nomine ipsius communis Astensis recipienti pignori obligavit, Et promisit quod omnes homines de Cargnano

omnia predicta promittent et jurabunt attendere et observare in perpetuum, Et juravit supra sancta dei evangelia omnia predicta attendere et observare et dare forciam et virtutem bona fide et sine fraude ut omnia predicta attendantur et observentur, Eapropter dictus dominus Ferarius Canis Astensis potestas nomine et vice communis Astensis consilio et voluntate Astensis credentie per campanam congregate et ore ad os interogate et scripte recepit commune et homines Cargnani in cives communis Astensis Et promisit predicto Aycardo recipienti nomine communis et hominum Cargnani salvare et manutenere commune et homines Cargnani et habitantes in dicto loco in avere et personis expensis communis Astensis sicut alios cives communis Astensis salvo Comite Sabaudie Et promisit quod non imponet nec imponi permittet alias condictiones in dicta terra nec in hominibus dicte terre preter supradictas. Item quod ponet capitulum speciale supra quod potestas vel consules civitatis astensis jurabunt omnia predicta attendere et observare in perpetuum et non contravenire, Et hec omnia facta sunt salvis sacramentis communis Astensis et juravit dictus potestas et predicti credendarij per manum Bruneti nuncij communis omnia predicta attendere et observare in perpetuum. Et inde plura instrumenta uno tenore fieri precepta sunt quorum hoc est communis Astensis. Actum est supra voltas Sancte Marie de dom. Interfuerunt testes dominus Nicholaus de Tenghinzo iudex dicti potestatis, Rollandus Cacayranus clavarius communis, dominus Jacobus de viallo, Anselmus de Antegnano, Bonus iohannes Robertus.

Et ego pellegrinus de ponte notarius pallatinus interfui et precepto dicti potestatis et consilij predicti sic scripsi.

De donatione facta per dominum Comitem Sabaudie communi astensi de Cargnano, et de investitura facta per dictum commune in dictum dominum Comitem de dicto loco in feudum, et de fidelitate per ipsum Comitem ex inde facta dicto comuni habetur superius sub rubrica de Brayda primo capitulo.

CXII. De Vigono.

688. *De Investitura facta per comune Ast in dominum Thomam Comitem Sabaudie et Marchionem in ytalia de Vigono, Cargnano et Cumaviana in gentile feudum, Et de fidelitate quam dictus dominus Comes et Marchio juravit dicto communi Ast de predictis.* 1224. 13 Septembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto indictione duodecima die veneris terciodecimo intrantis Septembris dominus Paganus de Petrasancta potestas Astensis nomine communis astensis voluntate totius credentie per campanam congregate et ore ad os interogate et scripte investivit dominum Thomam Comitem Sabaudie et Marchionem in ytalia in gentile feudum et nomine feudi gentilis, Nominatim de Vigono et Cargnano et Cumaniana, de castris et villis eorumdem cum omni contili honore et iurisdictione et dominis et hominibus eorumdem locorum pro donatione quam de predictis fecerat communi Astensi ut in carta inde facta per me Mussum Boviculum notarium eodem anno et die continetur. Qua investitura facta predictus dominus Thomas fecit inde et pro inde fidelitatem dicto potestati nomine

et vice communis ut infra continetur. Juro ad dei evangelia a modo in perpetuum esse fidelis comuni et hominibus de Aste sicut vasallus domino, nec ero in consilio vel in facto quod potestas astensis vel consules de Aste vel homines de Aste perdant vitam vel membrum mentem vel sensum vel quod capiantur vel disturbentur contra suam voluntatem, Et si sciero quod malum eorum tractetur vel fiat ad meum posse disturbabo, et si disturbare non potero, potestati vel Rectoribus qui in Aste per tempora fuerint per me vel per alium manifestabo, totam terram de qua commune et homines de ast saxiti sunt et investiti vel de qua se saxierint vel investierint decetero eos adiuvabo ad tenendum et defendendum contra omnes homines, et si eam perderent, quod deus nolit adiuvabo ad recuperandum et recuperatam adiuvabo ad tenendum et specialiter Vigonum et Cargnanum et Cumavianam, Et ex eis faciam pacem et guerram cum communi Astensi et sine ipso communi, cui voluerit et ubi voluerit et quotiens voluerit, predicta loca dicto communi non vetabo nec alicui pro communi varnita vel scarita sed ea dicto communi reddam et liberabo vel alij pro communi quandocumque et quotienscumque voluerit vel postulaverit ea. Hec iuro attendere et tantum plus quantum continetur in fidelitate quam gentilis Vasalus facit domino suo. Actum Aste in publica concione facta in mercato de sancto. Testes interfuerunt dominus Guilelmus de Villeta, Rufinus de Sarmatorio, Frassus iudex potestatis Astensis et Jordanus Marcellinus miles eius, et multi alij.

Ego Mussus Boviculus notarius pallatinus interfui et iussu ditti potestatis hanc cartam scripsi.

689. *De fidelitate quam dicto comuni Ast fecit Nicholaus de Brenecio Castellanus Vigoni voluntate et presentia dicti domini Comitis de dicto loco Vigoni.* 1225. 27 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vicesimo quinto, Indictione Terciadecima die iovis sexto kalendas Aprilis Urbe Aste in publica credentia intus ecclesiam Sancti Johannis coram presentia domini Thome Comitis Sabaudie et ipsius voluntate, dominus Nicholaus de Brenecio castellanus de Vigono iuravit esse fidelis et fidelitatem fecit de loco Vigoni domino Nicholao de Andito potestati Astensi pro se et nomine successorum eius in regimine civitatis Astensis existentium talem qualem nobilis Vasallus facit gentili domino suo. Interfuerunt testes Rufinus de Sarmatorio, Aymericus de Rondonis miles potestatis, Bertramus Berardus.

Rufinus Arancaboschus notarius Inde cartam scripsit.

De donatione facta per dominum Comitem Sabaudie communi ast de Vigono et de investitura facta per dictum comune in dictum dominum Comitem in feudum de dicto loco, Et de fidelitate per ipsum dominum Comitem facta ex inde dicto communi habetur superius sub Rubrica de Brayda primo capitulo anno domini MCC°XX°IIII°.

CXIII. De Salucijs.

690. *De remissione et concessione factis comuni Ast per dominum Maynfredum Marchionem Saluciarum de Romanisio, Et de dono per eum dicto comuni facto de omni iure quod habebat in Romanisio et Salucio, Et quod acquisiverit in eisdem, Et dono per eum similiter facto de omni iure quod habet in Casteglono et quomodo dictorum locorum comunia solvere debent fodrum in Ast.* 1191. 28 Maij.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo primo Indictione nona die martis quinto kalendas Junij Ad honorem dei et beate Marie semper virginis et beati Secundi Martiris et omnium sanctorum eius et ad honorem et servicium henrici Romanorum imperatoris ac semper Augusti et ad honorem et commodum urbis Astensis et universorum civium in ea habitantium et omnium amicorum eorum dominus Manfredus de Salucio Marchio fecit finem refutationem remissionem atque concessionem Astensibus consulibus de communi quorum nomina sunt henricus Soldanus, Girardus ginorius et homodeus Trosellus, ac consulibus populi quorum nomina sunt Berardus Bertramus, Jacobus palius, Girbaldus de porta, et Arnaldus de platea vice et nomine totius communis Astensis nominative de universo iure et omni ratione quod vel quam habebat in Romanisio et in castro et in villa et in eius posse et districtu. Et insuper idem Mainfredus Marchio fecit donum et investituram supranominatis Astensibus consulibus nomine communis Astensis nominatim de omni eo quod ipse habet tenet et possidet iuste vel iniuste per se vel per submissam personam nichil in se retinens in Romanisio et in Salucio in castris scilicet et in vilis in hominibus feudatis et infeudatis in militibus et rusticis et in ecclesijs et capellis in molendinis furnis et puteis in aquaticis pascuis in fluminibus et ripatibus in silvis et nemoribus in venationibus et piscationibus in vineis pratis et ierbis et terris cultis et incultis in rupibus et ruynis in fictis et redditibus et in omnibus alijs rebus quas habet et hactenus habere visus est in predictis locis iuste et iniuste per se et per suppositas personas et in eorum posse et districtu, Et de omni eo quod decetero acquisierit in Salucio in castro et in villa et in eius pertinenti et in alijs supradictis rebus. Insuper iandictus Mainfredus Marchio fecit donum predictis consulibus ad partem et nomine communis astensis nominative de omni illo iure quod ipse habet tenet et possidet iuste aut iniuste per se et per alium in Casteglono in castro et in villa in eius posse et districtu nichil in se retinens Tali modo ut prenominati consules Astenses et eorum successores aut cui dederint nomine comunis astensis a modo iure proprietario faciant de predictis fine refutationem remissionem concessionem et de predictis donis et investitura qualiter superius legitur in integrum quicquid facere voluerint sine omni predicti Maynfredi Marchionis et heredum eius contradictione. Insuper iandictus Maynfredus Marchio per se et suos heredes promisit prefatis consulibus nomine communis Astensis stipulantibus sibi eorumque successoribus aut cui dederint predicta dona sicuti supra legitur in integrum ab omni homine sub pena dupli defendere sicuti pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione precij in consimilibus locis, preterea iandictus

Maynfredus Marchio iuravit sacrosanctis evangelijs tactis manu propria predictas finem remissionem refutationem ac concessionem et predicta dona ut supra leguntur in integrum tenere et habere firmas et firma et non removere ullo tempore nec molestare per se nec per aliam personam suppositam. Et quod similiter faciet iurare dominam Alaxiam uxorem suam omnia supradicta attendere et observare si deus illum adiuvet et illa sancta dei evangelia et quod faciet iurare milites et rusticos et ceteros homines suos predictorum locorum fidelitatem communi Astensi talem qualem vasalus facit domino suo, contra omnes homines In qua fidelitate etiam ipsi iurabunt facere comuni Astensi Oste et iter quandocumque voluerit. Et fidelitates illorum omnium abrenunciabit. Insuper faciet iurare sub eodem debito sacramenti homines de Salutio solvere communi Astensi de cetero anuatim in perpetuum in festo sancti Martini pro fodro libras decem secusinorum vel reforciatorum, Et homines de Casteglono solvere anuatim solidos sexaginta pro fodro in eodem festo Sancti Martini, Et homines de Romanisio similiter iurare faciet solvere communi Astensi in perpetuum pro fodro libras vigintiquinque secusinorum vel reforciatorum anuatim in eodem termino et dare duas Albergarias communi Astensi ad vigintiquinque milites annuatim, Et tempore quo Astenses pro communi illas Albergarias accipere voluerint. Quibus omnibus ut supra legitur conpletis predicti consules de communi promiserunt iandicto Maynfredo Marcioni stipulanti et iuraverunt supra dei evangelia et predicti consules populi et de iustitia promiserunt eidem Marchioni stipulanti et omnes confessi fuerunt preter Girardum Ginorium se iurasse supra dei evangelia, dare ipsi Maynfredo Marchioni, et eum investire nomine et vice totius communis Astensis de predictis tribus locis sicut supra legitur nomine recti feudi, Salvo et remoto omni facto Romanisij in consulibus de communi, Et salvo eo quod ipse Marchio decetero in perpetuum debet dare communi Astensi pro fodro anuatim in festo Sancti Martini de loco salutij libras decem secusinorum vel reforciatorum, Et de loco Castegloni anuatim libras tres pro fodro et salvo eo quod Astenses pro communi accipere debent anuatim in Romanisio perpetualiter pro fodro libras vigintiquinque secusinorum vel reforciatorum et duas Albergarias anuatim ad viginti quinque milites in eo tempore, quo illas accipere voluerint, Et salvo eo quod predictus Maynfredus Marcio debet recipere fidelitatem ab hominibus predictorum locorum salva fidelitate communis Astensis, Et quod ipse Maynfredus pro hoc feudo debet facere fidelitatem communi Astensi sicut vasalus facit domino suo, Salvo henrico Romanorum imperatore Augusto. Actum in ecclesia sancte Marie de domo nova feliciter. Interfuerunt testes ad hoc vocati et rogati, Maynfredus de drua, Anselmus Merlus, Jacobus paz, Bayamondus Careocius, Maynfredus de Solario, Raymondus layolius, Jacobus Thomas, Jacobus Judex, Jacobus de Vivario, Gualla Boyanus, Oppizo Calcaneus, Scarampus, Rolandus Bergognonus, Ubertus de plathea, Petrus Cicia, Bayamondus de plathea et plures alij.

Et Thomas notarius inde cartam fecit.

691. *De investitura in dictum dominum Marchionem facta per dictum comune Ast in rectum feudum de omni iure quod dictum comune habebat in dictis locis Salucij, Romanisij et Castegloni, Et de fidelitate per eum dicto comuni facta ex inde.* 1193. 26 Maij.

Ad honorem domini nostri yhesu Cristi et beate Marie virginis et sancti Secundi martiris dominus Jacobus Strictus potestas Astensis vice et nomine totius communis Astensis investivit dominum Maynfredum Marchionem de Salucio in rectum feudum in filios et in filias in perpetuum, Nominatim de omni eo quod commune de Aste habet in Salucio in Romanisio et in Castelliono in castris et in villis et in posse eorum sicut ipse communi de Aste in alodium dederat ut in carta inde facta continetur, Eo modo ut ipse Maynfredus suique heredes masculi et femine hec tria supradicta loca a communi Astensi in feudum teneant in perpetuum. Et inde ipse Maynfredus Marchio fecit fidelitatem potestati et hominibus de Aste et eorum communi talem, qualem vasallus facit suo domino, Salvis suis primis dominis. In qua fidelitate iuravit supra dei evangelia quod non vetabit predicta tria loca communi Astensi nec hominibus de Aste guarnitis nec scaritis pro communi vel pro diviso quin faciat ex eis guerram et pacem cuicumque voluerint. Et iuravit idem Marchio Maynfredus pacta et conventa ordinata et scripta inter se et homines de Aste et pacta et conventa que inter se et illos ordinabuntur per Abbatem de Stafarda et per priorem de Casanova et per potestatem de Aste et per Jacobum de Vivario et Anselmum Merlum et omne melioramentum quod fiet inter se et Astenses firmum tenere nec ullo modo removere. Similiter dominus Jacobus Strictus potestas Astensis iuravit supra dei evangelia omnia predicta pacta et conventa ut supra legitur tempore sui regiminis firma tenere. Actum in posse Strepeti iuxta flumen Verayte ubi homines de Aste pro communi in exercitu existentes castrametati fuerant, Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo tercio, indictione undecima septimo kallendas Junij, Regente domino henrico Romanorum imperatore Augusto, Astensi populo communiter laudante feliciter. Interfuerunt testes Girbaldus de porta, Raymondus layolius, homodeus Trosellus et plures alij qui ibi in exercitu erant et ad concionem venerant.

Ego Jacobus Boviculus notarius hanc cartam scripsi.

692. *Quomodo dictus dominus Mainfredus Marchio de salucijs et domina Alaxia eius uxor tradiderunt potestati Ast pro comuni Ast possessionem castri salutiarum, Et dictus dominus Marchio tantum posse Romanisij.* 1193. 27 Maij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo tercio Indictione undecima die iovis sexto kalendas Junij, dominus Maynfredus Marchio de Salucio posuit dominum Jacobum Strictum potestatem Astensium nomine et vice comunis Astensis in possessionem castri Salucij, et vexilum communis de Aste super turrim illius castri poni precepit et postea per unum lapidem ipsius turris ipse et domina Alaxia uxor eius eandem possessionem et tenutam ipsi potestati Astensi nomine et vice communis de Aste tradiderunt. Actum in castro Salucij. Testes Girbaldus de porta, henricus Soldanus,

Anselmus Merlus, Maynfredus Meronus et plures alij. Et vexilum communis Astensis supra turrim Salucij nomine communis imposui.

Eodem anno et eodem mense, Idem Mayfredus Marchio de Salucio posuit eundem Jacobum Strictum potestatem Astensem nomine et vice communis Astensis per manum dextram in possessionem Romanisij et per unum lapidem tenutam totius illius loci sibi donavit. Actum in loco Romanisij. Testes Girbaldus de porta, Nicholaus de plozascho, Jacobus Judex, Jacobus Scarampus et plures alij, die sabbati quarto kalendas Junij,

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus hanc cartam scripsi.

693. *De renunciatione per dictam dominam Alaxiam facta dicto comuni Astensi de omnibus iuribus sibi competentibus in dictis locis Salutiarum Romanisij et Castegloni.* 1193. 11 Junij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimotercio indictione undecima die sabbati undecimo intrante Junio presentia infrascriptorum testium domina Alaxia uxor domini Mainfredi Marchionis de Salucio abrenunciavit Jacobo Judici et Guilelmo Sylvatico nomine et vice totius communis Astensis, nominatim omne ius et universa iura quod et que nunc habet et decetero habere et exigere poterit pro dote sua et alio modo in illa fine refutatione remissione concessione et dono, quod et quam prefatus Maynfredus Marchio fecerat communi Astensi de Salucio et de Casteglono, et de Romanisio sicut continetur in instrumento inde composito, Et insuper eadem domina Alaxia sua sponte non cohacta ut fuit confessa manu propria iuravit sacrosanctis tactis evangelijs finem illam refutationem remissionem et donum factum et factam a predicto Marchione communi Astensi in Romanisio et de Romanisio de Salucio et de Casteglono sicut continetur in instrumento proinde composito tenere et habere firmum et firmam et non removere ullo tempore nec per se neque per suos heredes neque per aliam personam submissam et dare forciam consilium et virtutem bona fide et sine fraude iandicto Marchioni ut ipse attendat et observet omnia conventa inter ipsum Marchionem et astenses habita sicut continetur in cartulis inde compositis si deus illam adiuvet et illa sancta dei evangelia. Actum in castro de Salucio in domo illa que est ante pallatium iuxta Caminatam feliciter. Interfuerunt testes ad hoc vocati et rogati Tremegnocius Adurnus de Aste, Guilelmus de Summarippa, Guilelmus de Salucio, Guilelmus filius Anselmi Merli de Alba et Ansaldus Ruschayrolius nuncius communis Astensis.

Et Thomas notarius inde cartam scripsit.

694. *De promissione facta per dominum Guillelmum Marchionem de Buscha et fratres eius domino potestati Astensi pro comuni Ast de dando ipsi comuni in Alodium terciam partem Salutiarum, Et de recipiendo ipsam terciam partem in feudum a dicto comuni, faciendo fidelitatem ex ea dicto comuni, Et de possessione per ipsos fratres tradita predicto comuni de ipsa tercia parte.* 1217. 15 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septimo decimo indictione quinta die iovis quintodecimo intrantis Junij Coram testibus infrascriptis, dominus Guilelmus de Buscha

Marchio, dominus Otto Boverius et dominus Raymondus de Buscha fratres eius promiserunt Rodulfo layolio Clavario communis, nomine communis Astensis stipulanti dare domino Henrico Advocato potestati Astensi nomine communis de Aste terciam partem castri et ville et possessionum et Comitatus et districtus Salutiarum in alodium cum omni honore et facere fieri fidelitatem eorum hominibus de Salutio communi Astensi, Et illud a communi in feudum recipere et tenere, Et inde communi fidelitatem facere tamquam gentiles vasallj et secundum quod ius postulat potestati nomine communis Astensis et inde facere instrumentum, Constituentes predicto Rodulfo nomine communis et pro hjs attendendis et complendis penam centum Marcharum argenti. Et proinde omnes eorum res predicti fratres, omnes in simul ipsi Rodulfo nomine communis Astensis pignori obligaverunt. Actum in Salucijs in Caminata domini Guilelmi de Buscha. Testes interfuerunt Siribonus de porta de Aste, Eb. de Scarnafixio, Bergognus de dianno et Ubertus Gastaldus. Eodem die in domo henrici Constancij de Salutijs presentibus testibus supradictis, predicti dominus Guilelmus et fratres tradiderunt predicto Rodulfo Clavario communis corporalem possessionem predicte tercie partis Salutiarum ut supra legitur et eum nomine communis in eam posuerunt et de terra eiusdem loci dederunt nomine castri et ville et totius possessionis eorum partis.

Ego Mussus Boviculus hanc cartam scripsi.

695. *De donatione per dictos fratres facta dicto comuni de dicta tercia parte Salutiarum et de investitura facta per dictum comune in dictos fratres exinde in gentile feudum, Et de fidelitate per eos de eadem facta dicto communi Ast.* 1217. 21 Junij.

Anno Domini Millesimo ducentesimo septimo decimo indictione quinta die mercurij undecimo kalendas Julij dominus Guilelmus filius quondam domini Bellengerij Marchio de Buscha, dominus Otto Boverius et dominus Raymondus fratres eius donaverunt et tradiderunt per quoddam lignum quod in manibus suis tenebant pura et mera et irrevocabili donatione inter vivos in manibus domini henrici Advocati potestatis Astensis vice et nomine communis de Aste recipientis Terciam partem pro indiviso castri et ville de Salucio in alodium et plus si plus ibi habent et quicquid ibi decetero similiter acquirere poterunt per se et per suos homines ullo tempore et generaliter totum illud quod ibi habent tenent vel possident iuste vel iniuste vel hactenus habere tenere et possidere visi sunt. Quam predictam terciam partem ut supra legitur confessi sunt ibi habere predictus Guilelmus, Otto et Raymondus fratres, que omnia supradicta eidem domino Henrico potestati nomine communis Astensis dederunt et tradiderunt cum omni honore districtu et contili iure et iurisdictione quem et quod habent vel hactenus habere visi sunt vel alij pro eis in predicto loco salutiarum et in pertinenti tam in militibus quam in ceteris hominibus feudatis vel infeudatis in vineis in vicis et in vijs in drictis et in fictis in mollendinis et in furnis in ecclesijs et in capellis, in terris cultis et incultis in gerbis et in pratis, in nemoribus in aquatu et piscatu, in puteis et fontibus in venationibus et piscationibus in rupibus et in Ruynis et in omnibus alijs rebus cum omni honore comitatu et districtu et posse quos ipsi habent vel alij pro eis seu decetero habituri

sunt aliquo modo in Castro et in villa et in possessionibus Salucij, nichil in sese retinentes. Eo modo ut ipse dominus henricus Advocatus potestas Astensis vice et nomine communis de Aste et eius successores in regimine civitatis existentes, omnia supradicta iure proprietario in alodium habeant teneant firmiterque possideant, et ex eis pacem et guerram exercitus et itinera et quicquid voluerint faciant sine omni contradictione predictorum omnium et eorum heredum et omnium aliarum personarum pro eis, Renunciantes ipsi fratres omni legi et iuri scripto vel inscripto usui et rationi de quo vel de qua se tueri possent hoc nolle quod voluerunt. Et fuerunt confessi sese tradidisse corporalem possessionem predictorum omnium Rodulfo layolio Clavario communis Astensis nomine communis sicut in carta inde facta per Mussum Boviculum notarium continetur. Et insuper confessi fuerunt sese possessores esse omnium predictorum pro communi Astensi et nomine communis de Aste. Actum in ecclesia plebis sancte Marie de Salucio in Burgo, interfuerunt testes Bergognus parasacus de dyanno, Bozolus de Buscha, Guilelmus Boxus, Guilelmus Brinda, Armego de Cavalerio, Bovarinus de Monastarolio et plures alij.

Eodem die et loco supradictus dominus Guilelmus de Buscha et Otto boverius et Raymondus fratres eius, abrenunciaverunt versus dominum henricum advocatum potestatem Astensem nomine et vice communis de Aste fidelitatibus omnium suorum hominum quos habent vel hactenus habere visi sunt et decetero acquirere poterunt in loco et posse Salucij. Interfuerunt testes, Bergognonus parasachus, Armengo de Cavalerio, Bovarinus de Monastarolio, Bozolus de Buscha, Conradus Advocatus, Petrus Beccarius, Guilelmus Bertramus, Bonefacius Crivellus, Johannes Asinarius et plures alij. Eodem die in solario domus Caminate domini Guilelmi de Buscha et fratrum in Burgo Salucij, domina Ymigla mater eorum Guilelmi de Buscha et fratrum eius Ottonis et Raymondi non cohacta sed sua sponte sicuti confessa fuit abrenunciavit versus dominum henricum advocatum potestatem Astensem nomine communis de Aste omne jus quod habet vel habere videtur ratione sue dotis vel aliquo alio modo in donatione illa quam predicti Guillelmus et fratres filij eius eidem potestati nomine communis fecerant de Tercia parte castri et ville Salucij sicut in carta inde facta per Rufinum Aranchaboschum notarium continetur, Ypotecarum iuri senatui consulto veleyano et omni alij iuri renunciando. Interfuerunt testes Rofinus de Rosoleto de Romanisio, henricus de Bassegnana, Bergognus parasachus de dyanno, Bozulus de Buscha, Guilelmus Bertramus, Petrus Beccarius, Obertacius Cullorius, Bonefacius Crivellus, Conradus advocatus, siribonus de porta et plures alij. Eodem anno et indictione die dominico decimo septimo kalendas Augusti In civitate Astensi in concione publica facta in mercato de domate, dominus Henricus Advocatus potestas Astensis nomine communis Astensis investivit dominum Guilelmum Marchionem de Buscha Ottonem Boverium et Raymondum Bellengerium fratres eius, de eorum recto feudo in filios et in filias in rectum et gentile feudum et patronale et nomine recti feudi nominatim de Tercia parte Castri et ville pro indiviso possessionum districtus honoris et iurisdicionis, Salucij, quam dederant eidem potestati nomine communis de Aste in alodium. Qua investitura facta predicti Guilelmus, Otto et Raymondus fratres fecerunt eidem potestati nomine communis de Aste fidelitatem talem qualem facit vasallus domino suo. Interfuerunt testes Jordanus de Aglano, Anselmus de Boschis de Calocio,

Bergognus de dyanno, Armengo de Cavalerio, henricus de Bassegnana, Provana de Montilio, Magister Petrus beccarius, Robaldus Gardinus, Bonefacius Crivellus, Rodulfus layolius et plures alij.

Ego Rufinus Aranchaboschus notarius pallatinus hanc cartam scripsi.

696. *De pace et concordia factis inter dominum Maynfredum Marchionem saluciarum et comune Ast, in qua dictus dominus Marchio dedit in alodium dicto comuni locum Carmagnole, et de fidelitate per ipsum dominum Marchionem facta dicto comuni de locis et castris Salutiarum, Carmagnole, Romanisij, Leuqui et Castegloni etc.* 1224. 19 Maij [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto indictione duodecima die lune quartodecimo kalendas Junij in nomine domini nostri yhesu christi amen. Ad honorem domini et beate Marie virginis et sancti Secundi Martiris et omnium sanctorum et sanctarum et communis Astensis, hec est forma pacis et concordie facte et tractate inter dominum paganum de petrasancta potestatem Astensem nomine communis Astensis ex una parte et dominum Manfredum Marchionem de salucio ex alia, petebat enim dictus potestas nomine dicti communis ab ipso Mainfredo super illis petitionibus quas dictum commune faciebat, Castrum et villam leuqui de langa cum contitu [2] posse et districtu illius castri, Eo quod cum olim predictum castrum teneretur in feudum pro communi et a communi de Aste a domino henrico Marchione de Sagona filio domini henrici Vercij [3] quondam Marchionis prout apparebat per publicum instrumentum factum per manum Jacobi Boviculi notarij Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo primo Indictione nona die dominico duodecimo intrantis Madij, Et dictus henricus predictum castrum alienaret contra voluntatem communis Astensis, dicebat dictus potestas nomine communis Astensis dictum castrum cum posse ad donneum communis Astensis pervenisse, et ipsum Manfredum ad restitutionem dicti castri et posse ipsius castri teneri. Item petebat dictus potestas nomine et vice communis Astensis a dicto Maynfredo pro triginta tribus annis preteritis libras decem secusinorum seu reforciatorum anuatim pro fodro de Salucio, et libras vigintiquinque reforciatorum seu [4] secusinorum anuatim pro fodro Romanisij, et solidos sexaginta pro fodro Castegloni [5]. Item petebat dictus potestas nomine communis Astensis ab ipso Maynfredo illas duas Albergarias vel interesse seu extimationem eorum pro triginta tribus annis preteritis anuatim ad vigintiquinque milites duabus vicibus in anno quas dictum commune habebat et debebat habere in Romanisio. Item petebat dictus potestas nomine communis Astensis a dicto Mainfredo fodrum de libris trecentis anuatim pro triginta uno anno preteritis secundum extimationes factas in predicta civitate in predictis triginta uno annis preteritis. Super quibus petitionibus talem inter se concordiam fecerunt scilicet dictus dominus Paganus nomine et vice communis ex una parte, et Maynfredus de Salucio ex altera, videlicet quod dictus dominus Maynfredus

[1] Particula huius instrumenti exstat in Fragm. Taurin. Cod. Oger. Alfer. fol CCCII. ex quo transcriptam edidere Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars. II. col. 421. N. 179, et Muletti *Storia di Saluzzo* II. pag. 251. Lectiones varias Fragm. Taur. satis erit hic attulisse. — [2] Deest *contitu.* — [3] *guercij.* — [4] *vel.* — [5] Add. *etc. Require in titulo marchionis saluciarum in folio..... Et in libro veteri in folio* XIIII; Reliqua desiderantur.

dedit et concessit in alodium et pro alodio dicto domino Pagano recipienti nomine et vice communis Astensis castrum et villam de Carmagnola cum posse districtu et iurisdicione et omni contili et hominibus feudatis et infeudatis cum militibus et rusticis, ecclesijs et cappellis cum terris et vineis cultis et incultis, In silvis et nemoribus cum aquaticis et piscationibus in fictis et drictis in mollendinis et in fidelitatibus hominum et omnibus alijs rebus quas ipse tenet in predicto castro et villa ipse vel alius pro eo iuste vel iniuste vel hactenus visus est tenere et possidere tali modo quod dictum commune teneat et possideat predictum castrum et villam, a modo iure proprietario et faciat quicquid voluerit, et de eo faciat guerram, et pacem cuicumque voluerit et quandocumque voluerit sine omni contradictione ipsius Maynfredi et suorum heredum et inde se constituit possessorem nomine dicti communis volens dominium et possessionem in ipsum commune Astense predicti castri et ville transferri et ipsum ab omni persona defendere promisit. Et domina Alaxia et uxor ipsius Maynfredi cum ad etatem pervenerit duodecim annorum debent renunciare et iurare omni iuri quod habent in predicto dato et concessione, ob quod datum et ob quam concessionem dictus dominus paganus de petrasancta potestas Astensis nomine et vice communis de Aste dedit et concessit predicto Mainfredo consensu et voluntate credentie et credendariorum per campanam congregatorum et ore ad os interogatorum et scriptorum in feudum et pro feudo castrum et villam de leuquo et de predicto castro ipsum Maynfredum investivit secundum quod dominus henricus Marchio Sagone ipsum a communi Astensi olim tenebat sicut in instrumento inde condito continetur, ut illud a modo teneat et possideat in feudum et pro feudo a communi Astensi. Item ob predictum datum et concessionem remisit dominus paganus nomine communis Astensis dicto Maynfredo libras ..... de fodris et albergarijs annorum triginta trium preteritorum de Salucio, Romanisio et Casteglono, et de fodro quod pro citaynatico avi sui et pro suo dare tenebatur communi Astensi pro triginta uno annis preteritis. Ibidem dictus dominus Maynfredus fecit fidelitatem dicto domino pagano nomine communis Astensis talem qualem vasallus facit domino suo. Item dictus dominus Maynfredus promisit renunciare fidelitatibus hominum de leuquo, Et eos facere iurare fidelitatem potestati et communi de Aste, Nec postea recipere nisi salva fidelitate communis Astensis. Item dictus dominus Paganus nomine dicti communis Astensis dedit in feudum et investivit dictum dominum Maynfredum de castro et villa Carmagnole et de posse et contili et iurisditione et de omni eo de quo dictus Maynfredus fecerat datum et concessionem communi Astensi faciendo ipse Maynfredus fidelitatem communi Astensi et faciendo pro communi Astensi pacem et guerram tali modo quod faciet iurare homines milites et rusticos predicti loci fidelitatem communi Astensi talem qualem vasallus facit domino suo, contra omnes homines in qua fidelitate iurabunt facere pacem et guerram itinera cavalcatas exercitus et succursum pro communi Astensi cuicunque dictum commune voluerit et quandocumque voluerit Nec eos postea recipere nisi salva fidelitate communis Astensis. Tali modo quod feudum Carmagnole debeat pervenire heredibus avi ipsius Maynfredi in masculis et feminis seu in illis personis quibus feudum deberet pervenire ipsis heredibus facientibus fidelitatem communi Astensi prout supra. Item investivit eum dictus dominus paganus nomine et vice communis Astensis de Salucio et de Romanisio et de

casteglono in feudum et ipse Maynfredus fecit fidelitatem communi Astensi talem qualem vasallus facit domino suo. Eo salvo quod debet renunciare fidelitatibus hominum et facere eos iurare fidelitatem communi Astensi. Nec postea eos recipere nisi salva fidelitate dicti communis Astensis, in qua fidelitate comunis Astensis ipsi iurabunt facere oste iter cavalcatas et succursum pro communi Astensi cuicumque voluerit et quandocunque voluerit commune Astense. Insuper faciet iurare et promittere sub eodem debito sacramenti homines de Salucio solvere communi Astensi pro fodro decetero omni anno libras decem reforciatorum in festo Sancti Martini et homines de Casteglono in eodem festo sancti Martini anuatim pro fodro libras tres Astenses. Similiter faciet iurare et promittere homines de Romanisio dare et solvere communi Astensi anuatim pro fodro in perpetuum libras vigintiquinque reforciatorum seu secusinorum in eodem termino Sancti Martini, Et dare duas Albergarias communi Astensi ad viginti quinque milites anuatim pro qualibet Albergaria, eo tempore quo commune Astense illas capere voluerit, Et promisit et iuravit dare forciam et virtutem ut predictum fodrum Romanisij et Albergarie solvantur et dentur communi Astensi. Aliud vero fodrum scilicet Salutiarum et Castegloni promisit et iuravit facere dare communi Astensi, et si non darentur, quod ipse daret et solveret. Hec autem omnia de quibus se obligavit et datum et cessionem fecit promisit et iuravit attendere et observare et non contravenire, Eo intellecto quod illas libras decem pro fodro salutiarum annuatim solvendas, et libras tres solvendas pro fodro Castegloni solvere promisit. Item promisit et iuravit decetero dare et solvere fodrum avi sui secundum quod in instrumento continetur scilicet de libris trecentis. Preterea dictus dominus Paganus nomine et vice communis Astensis et a parte communis ex una parte, et dictus Maynfredus ex alia vicisim unus alteri, scilicet ipso domino Pagano nomine communis faciente pacem finem pactum de non petendo et remissionem de omnibus offensionibus iniurijs et damnis factis et illatis ab hodie retro versus aliam modo aliquo, Et de multis petitionibus alterutri parti ad invicem pertinentibus unus versus alium usque ad hodiernum diem salvis in omnibus et per omnia omnibus predictis petitionibus et promissionibus sicut in hoc instrumento superius continetur, Et salvo omni iure eidem communi competenti pro fodris et albergarijs de tempore preterito, sicut in instrumentis inde factis continetur. Que omnia inferius denotata de predicto fine excipiuntur. Insuper dictus Mainfredus promisit attendere et observare et solvere de avere temporis preteriti pro fodro et occasione fodri Romanisij et albergariarum et saluciarum et Castegloni et pro suo fodro et avi sui illud quod comune de Aste dixerit seu pronunciaverit et in bona mercede eiusdem communis. Hec omnia in omnibus et per omnia juravit dictus Maynfredus attendere et observare bona fide et sine fraude propria manu tactis sacrosanctis evangelijs, et non contravenire per se nec per submissam personam aliquo tempore, Auctoritate precepto et voluntate domini Jacobi Episcopi Astensis et domini Thome Comitis sabaudie et in ytalia Marchionis et prestantibus eorum securitatibus. Hic est tenor fidelitatis quam fecit dictus Maynfredus communi Astensi, Juro ego Mainfredus Marchio de Salutijs ad sancta dei evangelia quod ero fidelis decetero potestati Astensi et illi vel illis qui per tempora fuerint in regimine potestarie Astensis et consulibus vice et nomine communis Astensis, Et potestatem et consules et homines de Aste et de posse salvabo et custodiam ubique bona fide et non ero in consilio vel

in facto quod potestas vel consules Astenses vel aliquis homo de Aste vel de posse amittat mentem vel sensum vitam vel membrum vel quod capiatur vel teneatur contra eorum voluntatem. Et si sciero aliquem predicta vel aliquod predictorum facere velle pro posse resistam et disturbabo, quod si facere non potero, bona fide manifestabo potestati vel consulibus vel illi, cui aliquod predictorum fieri voluerit quam citius potero, Terras possessiones et castra et villas, quas commune nunc habet, et de quibus commune Ast est saxitum et investitum et de quibus dictum commune decetero se saxiverit vel investiverit juvabo pro posse dictum commune recuperare et recuperata manutenere et defendere, Consilium a me petitum a potestate vel a consulibus Astensibus illud dabo bona fide et sine fraude secundum quod magis credidero dicto communi expedire, Et si potestas vel consules aliquid michi in credentia dixerint vel preceperint illud privatum tenebo nec illud manifestabo alicui ad damnum dicti communis, et nisi precepto vel absolto potestatis vel consulum, Et si electus fuero a potestate vel consulibus super causa vel aliquo facto parte curie, illam causam seu factum terminabo bona fide et sine fraude secundum ius vel consuetudinem. Castrum et villam de Salucio, Castrum et villam de Romanisio, castrum et villam de Carmagnola, castrum et villam de leuquo et castrum et villam de Casteglono custodiam et salvabo ad opus et utilitatem communis Astensis, Et predicta castra et villas non vetabo dicto comuni varnita nec scarita quin dicto communi ea reddam quotiens ipsi communi placuerit, et ex eis faciam pacem et guerram cuicumque et quandocumque potestas vel Rectores communis Astensis voluerint cum communi Astensi et sine communi Astensi, hec omnia attendam et observabo bona fide et sine fraude, Et si quid plus continetur in fidelitate quam nobilis Vasallus facit domino suo, illud iuro attendere et observare, Ac si in hoc scripto foret specialiter comprehensum. Cum dictus Mamfredus Marchio de Salucijs in concione communis fecisset fidelitatem supradictam domino Pagano de petra sancta Astensi potestati recipienti nomine et vice communis Astensis, dictus paganus nomine et vice comunis Astensis et a parte ejusdem communis ipsi Mainfredo consilium et adjuctorium dare promisit sicut dominus dare debet nobili et fideli Vasallo. Actum Aste in publica concione collecta in foro de domate. Interfuerunt testes dominus Jacobus Astensis Episcopus, dominus Thomas Comes Sabaudie, dominus Otto de Carreto Marchio, dominus Guilelmus de Buscha, Obertus Spinola civis Janue, Biglator de lucerna, dominus Otto Boverius, dominus de Meolano, Syvoletus de lanerio, dominus Frassus Judex communis Astensis et alij quamplures. Et inde duo instrumenta uno tenore precepta fuerunt.

Et Philippus durcus notarius de mandato domini Pagani potestatis Astensis et domini Maynfredi Marchionis de Salucijs cartam scripsit.

697. *De possessione castri Salutiarum tradita per dictum dominum Marchionem voluntate et precepto domine Alaxie Comitisse Salutiarum avie sue dicto comuni Astensi.* 1224. 22 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto indictione duodecima die mercurij undecimo kallendas Junij In castro presentibus testibus domino Ottone Boverio, henrico filio domini Guillelmi de Buscha, Ottone de languilla, Mediolano de plozascho, Jacobo Zalce, henriacio de Castro veteri, Alberto de lanerio et pluribus alijs,

dominus Maynfredus Marchio de Salucio, tradidit et dedit Guilelmo Rotario Ambaxiatori communis Astensis nomine et vice communis Astensis recipienti voluntate et precepto domine Alaxie Comitisse salutiarum corporalem possessionem castri saluciarum. Et ipsum predicto nomine in eam posuit nomine castri et ville et totius posse. Et baneriam communis Astensis michi Musso notario supra turrim poni jussit. Et ego eam ibi posui et collocavj.

Et Mussus Boviculus notarius inde cartam scripsit. -

698. *De confirmatione pactorum per dictum dominum Marchionem de novo factorum cum comuni Astensi, facta per dictam dominam Comitissam ejus Aviam, Et de renunciatione jurium que ipsa habebat in Carmagnola et Leuquo.* 1224. 22 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die mercurij undecimo kallendas Junij in Castro Saluciarum, domina Alasia Comitissa Salutiarum presentia subscriptorum testium dixit et protestata fuit coram Guilelmo Rotario, Girardo Josberto, Jacobo de Jaffa et oberto Cassano ambaxiatoribus communis Astensis, quod pacta et conventa que dominus Maynfredus nepos ejus fecit de novo cum communi Astensi sibi placebant, et sicut continetur in instrumentis communis et ipsius, ea laudavit et confirmavit, et eisdem ambaxiatoribus nomine communis Astensis stipulantibus, rata et firma habere promisit. Insuper refutavit omne jus quod habebat vel in aliquo tempore posset exigere pro sua dote vel aliter in castris et villis Carmagnole et leuqui, promittendo predictis ambaxiatoribus nomine dicti communis stipulantibus sese habere ratum et firmum quicquid dictus Maynfredus ejus nepos inde fecit cum communi Astensi et nullo tempore molestare nec removere, Actum in castro salutiarum. Testes dominus Otto Boverius, Henricus de Buscha, Otto delanguilla, Guilelmus Sicardus, Mellanus de plocascho, Jacobus Zalce, Henriacius de Castroveteri et Albertus de lanerio.

Et Mussus Boviculus inde cartam scripsit

699. *Tenor et forma fidelitatis, quam comuni Ast fecerunt homines dicti Marchionis de Salucio, Carmagnola et Leuquo* s. a.

Hic est tenor fidelitatis quam fecerunt homines dicti Marchionis tam milites quam alij de Salucio de Carmagnola et de leuquo. Et nomina illorum qui fidelitatem fecerunt communi de predictis locis in quodam cartulario communis longo quod in sacratorio communis poni debet scripta sunt et specialiter denotata. Juro esse fidelis decetero in perpetuum communi Astensi et hominibus de Aste et potestati et consulibus qui in Aste fuerint pro communi per tempora, nec ero in consilio nec in facto quod Rector Astensis seu aliquis homo de Aste perdat vitam vel membrum mentem vel sensum vel quod capiatur contra suam voluntatem, Et si suum malum tractari vel fieri sciero bona fide ad meum posse disturbabo, Et si vetare non potero ei cum citius potero manifestabo, Castra et villas Saluciarum Carmagnole Castellionis et leuqui communi Astensi salvabo custodiam et defendam contra omnes homines, nec vetabo pro communi nec pro diviso varnita nec scarita quin inde faciant pacem et guerram ad suam voluntatem, et ego faciam cum eis et sine eis cum michi preceptum fuerit, nec ero in

consilio nec in facto quod comune Astense predictam terram perdat. Totam aliam terram de qua Astenses saxiti sunt et investiti, Et de qua se saxierint et investiverint decetero cum ratione, eos adjuvabo ad tenendum contra omnes homines, et specialiter illam quam dominus Maynfredus Marchio de Salucio tenet in feudum a communi Astensi, Et si eam perderet quod deus nolit adiuvabo eos ad eam recuperandam. Item iuro facere pro communi Astensi pacem et guerram cavalcatam et exercitum et succursum totiens quotiens michi preceptum fuerit pro communi, Et si aliquid aliud continetur in fidelitate quam homo facit domino suo, illud attendam et observabo. Astenses pro communi et diviso Ubique pro posse meo salvabo custodiam et defendam in personis et rebus. Item juro et promitto ego homo Salutiarum et Castegloni pacta et conventa inter dominum Maynfredum quondam Marchionem de Salucio et Maynfredum nunc Marchionem de fodro communi Astensi persolvendo attendere et observare sicut in cartis inde factis continetur. Et Mussus boviculus notarius in quadam carta sic scripsit.

CXIV. De Carmagnola.

700. *De traditione possessionis Castri Carmagnole facta per dictum dominum Marchionem Salutiarum dicto communi Astensi, Et quomodo ipse dominus Marchio renunciavit fidelitatibus hominum Carmagnole et eas fieri jussit dicto comuni Astensi.* 1224. 21 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die martis duodecimo kalendas Junij Coram testibus infrascriptis dominus Maynfredus Marchio de Salucio tradidit et dedit Guilelmo Rotario ambaxiatori communis Astensis nomine et vice comunis Astensis recipienti corporalem Possessionem castri Carmagnole, Et ipsum nomine predicto in eam posuit nomine castri et ville Contilis et totius posse et baneriam communis supra turrim poni jussit. Et ego Mussus Boviculus eam ibi posui et collocavj. Actum in Carmagnola Testes Otto de languilla, Guilelmus Biglator de luxerna, Guilelmus Sicardus, Jacobus Zalce Andreas de Castroveteri et alij plures. In villa Carmagnole in porticu Ansuine, presentibus testibus Mellano de plocascho, Guilelmo Sicardo, Jacobo Zalce, Nicola de patero et pluribus alijs, predictus Maynfredus Marchio renunciavit sequenti die mercurij undecimo kallendas Junij fidelitatibus militum et hominum Carmagnole et eas comuni Ast fieri jussit in manibus Guilelmi Rotarij, Girardi Josberti, Jacobi de Jaffa, et Oberti Cassani ambaxiatarum ipsius communis.

Et Mussus Boviculus notarius inde cartam scripsit.

De datione facta per dictum dominum Maynfredum Marchionem Salutiarum dicto communi Astensi de Castro villa et hominibus Carmagnole in alodium habetur superius sub Rubrica de Salucijs capitulo VII° Et de renunciatione quam fecit domina Alaxia Comitissa Salutiarum Avia dicti Maynfredi Marchionis comuni predicto de omnibus juribus sibi competentibus in Carmagnola similiter habetur sub dicta Rubrica de Salucijs capituto VIII°, Et de fidelitate quam dicto comuni Ast fecerunt homines Carmagnole etiam habetur superius sub dicta Rubrica de Salucijs capitulo nono.

CXV. De Romanisio.

701. *Quomodo dominus Mainfredus Marchio de Salucijs renunciavit fidelitatibus militum et hominum de Romanisio, et eas fieri iussit comuni Astensi, Et quomodo ipsi milites et subsequenter homines predicti in diversis vicibus dictas fidelitates fecerunt dicto comuni Astensi.* 1193. 21 Junij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo tercio Indictione undecima die lune undecimo kallendas Julij in Astensi exercitu sub papilione potestatis Astensis prope Veraytam presentia infrascriptorum testium dominus Maynfredus Marchio de Salucijs abrenunciavit (fidelitatibus) hominum et militum de Romanisio, scilicet Maynfredi de drua, Conradi de drua, guillelmi de Roncalio, Nicholay de Sancto iohanne, Guillelmi de drua, et Jacobi de Campis pro se et pro omnibus militibus Romanisij, Et predicti Conradus, Guillelmus, Nicholaus, Jacobus de Campis et Guillelmus de Roncalio per se fecerunt fidelitatem comuni Astensi in manibus Jacobi Stricti potestatis Astensis, sicut vasallus facit domino suo, salvis eorum dominis, de suo, In qua fidelitate iuraverunt supra dei evangelia Romanisium castrum et villam Astensibus per comune et per divisum non vetare et scaritis et guarnitis, Et Romanisium castrum et villam salvare et custodire contra omnes homines. Interfuerunt testes dominus Henricus Marchio de Careto, dominus Ubertus Comes pinguis, dominus Fulchus (s)trictus, Bayamondus de plácia, Henricus Soldanus, Ubertus layolius, Girbaldus de porta, Gualla Boianus, Oddo Sicardi, Jacobus Berrardus, Maynfredus de Solario, et Bayamondus Careocius.

Item die martis decimo kallendas Julij, In eodem loco, Isti de Romanisio fecerunt eandem fidelitatem predicto postestati, Henricus de drua, Anselmus Coparellus, guisalbertus provincialis, Henricus Botinus, Jacobus domini Servidei, Raymondus, Henricus, Rolandus, Henricus..... Guillelmus Oppicio, Amedeus de Famoyra, Amedeus Fantinus, Berardus Canevarius, Maynfredus Berardus, Maldangna, Ubertus Enavant.

Die dominico octavo kallendas Augusti, In claustro ecclesie sancti petri, Hec sunt nomina hominum de Romanisio qui fecerunt fidelitatem communi Astensi in manibus Ottolinj Sicardi et Girbaldi de porta, guillelmus guerra, Jacobus de Marenis, Rodulfus Schina, Nicholaus Bonavere, Jacobus de Sanctoalbano, Jordanus Canevarius, Ulricus de Roncalio, Guillelmus Contraria, Jacobus daniel, Obertus pavo, Raymondus Bergongnus, Amedeus Secundus, Guillelmus de vecia, Guillelmus Secundus, Girbaldus de Calocio, Guillelmus Sybilius, Bergognus de Marenis, Robaldus Niger, Conradus, Jacobus Arnevertus, Raymondus Juraboschus, Valla de Roncalio, guillelmus, Ardicio, Michael Rubeus, Guillelmus nemus, guilielmus Burgensis, Obertus Opicio, Henricus de Valletignasco, Guillelmus Spina, Gilius de Benata, Jacobus enavant, Petrus Canavarius, Guitelmus Colla, Johannes Mollis, Obertus, Roberti, Petrus Bonus, Michael de Caplexana, Petrus, Clericus, Petrus Campanna, Obertus Garlaudus, Romius, Henricus Rubeus, Raymondus de Cravesana, Guillelmus Saracenus, guillelmus Rex, Elyas Girardus, de panzolario, Amedeus Canevarius, Petrus Soldanus, Guillelmus de Morocio, Guot, Johannes Trescha, Nicholaus Baldicio opizonis, Petrus Arbiter,

Rodulfus de Garino, Petrus Quarterius, laurencius de Vignolo, Henricus Masellarius, Petrus Bonus, Oddo Breulo, Willelmus omnishomo, Anselmus, Petrus Eb., petrus de Castellario, Benavant, Bonus petrus Caldera, Baldicio de Roncalio, Guillelmus de Rosoleto, Oddo de Carasono, Maynfredus de Monasterio, Sysmondus, guillelmus Garsias, Jacobus de Famoyra, Carasonus forta, Aycardus de luca, Ansaldus Bellinus, Aymondus sancti Constancij, Martinus domini Petri, Ubertus doniobi, Bonefacius de Turre, Guillelmus de Vignolo, Mayfredus domini Azonis, Petrus peloti, girardus Berrinus, Johannes Carlevarius, Joffredus Fuxerius, Willelmus Fea, Arimondus Croset, Petrus lambellus, Henricus Provincialis, Paglanus, Johannes Raymondus, Salichet, Arnaldus Mostella, Raymondus de Quadraginta, Sismondus, Obertus Becharius, Johannes Mascharus, Asalon lambertinus, laurencius, Jacobus de Burgeto, Guillelmus de Bonfayta, Ottolinus de Montefreono, Johannes de Marenis, Petrus Mandangna, Jacobus Gastaldus, Anselmus Toscanus, Girardus Marengus, Henricus brachiumferri, Giraldus de porta, Jacobus Gambabonus, Guillelmus Corvus, Guillelmus Robertus, Guillelmus de Famoyra, Anselmus Tapparonus, Romanus de Roncalio, Aynardus de Centallo, Conradus Campana, Petrus Maior, Ubertus Maior, Gervasius, Obertus Sprincardus, Romanus pelliparius, Henricus donne provincie, Giselbertus, guillelmus Bocea, Bonefacius de Burgonovo, Arempertus, Albertus paglerius, Guillelmus Croset de Janua, Raymondus Croset, Conradus Fricetus, Rodulfus Brancha, guillelmus de Buscha, Arnaldus Capellus, Arnaldus Nacarius, Guillelmus de Casascho, Bertolomeus Bergongna, Giraldus Crivellus, Ulmerius, Johannes vaca, Martinus Secundus, Martinus plota, graldet, Petrus de Vecia, Guillelmus Rastellus, Jacobus Costafortis, guillelmus Schazarius, Bertolomeus, Jacobus filius Raymondi de Ceva, et Raymondus pater eius, Otto Carlevarius, Obertus Menabesie, Jordanus gruola, lanfranchus de Marcenascho, guillemus Rubeus, Otto Bugna, Johannes de Salico, Aymonetus, Henricus de Valtignasco, Otto Ferandus, Amedeus parellus, petrus Blanca, Johannes de Caresono, Jacobus domini Aldinj, Johannes de Rodulfo, Johannes Brunus, Maynfredus Manducatus, Oddo de ponte, Girardus Figlosa, Petrus Capra, Obertus Fantinus, Petrus de Feleceto, Johannes Quarterius, Raymondus Boya, Raymondus donne Nobilis, Johannes Rapinus, Oddo Bonia, Natalis Mollinarius, Varnerius Rapicia, Arimondus Testor, Johannes Aygline, Henricus de poriola, Petrus de Vignola, Jacobus Sapiens, Sarlus de Niella, Johannes Rubeus, guillelmus Fea, Syllus depello, Robaudus Barri, Quartinus Cazator, petrus de Florencia, Petrus de lamberta, Henricus Balduynus, Guillelmns de Turre, Petrus Gandulfus, Maynfredus ymigle, Petrus de Arevertis, Bernardus de Canonica, Vivencius, Valfredus, Henricus pillet, Brocardus Constancius, Bernardus Recalcatus, Petrus Bonus, Jordanus de Famoyra, Martinus Calcaneus, Siulfus Ardicio de Famoyra, Amerius, Petrus Repentitus, Amedeus Nata.

Item die lune septimo kallendas Augusti. Isti fecerunt fidelitatem, Petrus Canis, Albertus de Marsalia, Raynerius de Gaya, Aribertus Boyanus, Stephanus Testor, Albertus Barius, Berrardus Matilde, Vilielmus Rabies, Pascalis, Amicus, Raynerius Brancha, Raymondus Raynbaldus, guitelmus donnemate, Gandulfus de Casascho, Ubertus de Mella, Johannes de Cario, Martinus Fornerius, Robaldus de Solario, Guillelmus Aguclarius, Heusebius petrus licator, Raynerius, Nicholaus, Giraldus, Cunibertus Bellinus, Petrus de Serena, guitellus, Wilelmus Rubeus, Richellinus, Wilelmus ymilie,

Jacobus Musa, Arnaldus Girardus, Henricus lignola, Bonefacius de dolosabo, Petrus de Comune, Raynaldus de Garofola, Johannes Curtus, Obertus de Salico, Repenalius, Wilelmus guitelmus, guillelmus Calcaneus, Petrus pitamillius, Aycardus, Jacobus pelicia, Rodulfus lignola, Cunibertus, Johannes Bravus, Henricus Inciatus, Petrus Sysmondi, Avundius, Obertus, Oddo Testor, guillelmus Rex, Johannes Falzonus, Fulcardus Bota, Oddo Trota, paulus Azo, Obertus pitanatus, Rodulfus Manisius, Sicardus pironus de villa, Petrus Sicus, Maynfredus Roset, Petrus Rayda, Sysmondus Magister, Nicholaus poesta, Petrus Croset, Obertus Rapina, Stephanus Fasanus, Guido, Petrus de lischa, Guibertus, Oddo de Roncalio, Adam Canavarius, Ubertetus, Guillelmus de Morocio, Maynfredus de Barro, Arnaldus, Oddo piscator, Johannes Regloglatus, Guillelmus Raynerius, Petrus Capellarius, Girardus Bergognonus, Johannes Mollinarius, Petrus durandus, Aymo de Hermenrard, Albertus de Vignolo, Albertus Guillezonus, Jacobus de Zocho, Maynfredus pelliparius, Guillelmus eius frater, Stephanus de Vignolo, Guillelmus Oddo de Marcellengo, Oddo Rubeus, Johannes de Amalerna, Obertinus Albertus, Baldinus, Guillelmus Rubeus, Jacobus Rubeus, Martinetus, Philppus de Romana, Petrus Crivellus, Jacobus Flesol, Aymericus Albertus, Raymbadus, Henricus de Infantibus, Vivianus et Johannes Martellus, Johannes de altua, guillelmus Molinarius, Petrus Gallus, Oddo Martel, Johannes vastus, guillelmus Curtus, Bencus Ferrator, Petronus Martinet, Petrus de Burgo, Johannes Calearius, Rodulfus de Cingeo, Saliceus de Rosoleto et Raymondus Garibaldus.

702. *De promissione facta comuni Ast pro parte comunis Romanisij de faciendo quod comune ast omni anno habeat ab hominibus dicti Marchionis Salutiarum de dicto loco Romanisij libras XXV, reforciatorum pro fodro, et duas albergarias ad XXV milites pro qualibet, et de fidelitate dicto comuni ast facta per certos de Romanisio.* 1201. 7 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo primo, Indictione quarta die martis septimo intrantis Augusti presentia infrascriptorum, Jacobus de Centallo et amedeus Famoyra, Consules Romanisij et Conradus de drua, Salicus de Rosoleto, Guilelmus Opizo et Carasconus Botta omnes de Romanisio, nomine communis Romanisij promiserunt Astensium consulibus stipulantibus sub fidelitate quam eis fecerant quod bona fide dabunt forciam et virtutem ut comune de Aste omnino habeat et capiat in Romanisio libras vigintiquinque reforciatorum supra homines quos Marchio de Salucio habet vel habebit in Romanisio, vel secusinorum parvorum pro fodro, et duas albergarias pro unoquoque anno ad vigintiquinque milites in unaquaque albergaria, Salvo eo si homines de Romanisio in aliquo tempore convicti essent a comuni de Aste vel a Marchione de Salucio per rationem, quod comune de Aste has libras vigintiquinque et has duas albergarias vel unum istorum per se, supra omnes homines de Romanisio communiter habere deberent, quod similiter dabunt eis forciam et virtutem ut comune de Aste omni anno supra omnes Romanisij communiter eas habeat et capiat, Et insuper omnes predicti de Romanisio promiserunt predictis consulibus attendere et facere omnia precepta, que ipsi consules aut consules seu potestates per tempora in Aste existentes, de domino Maynfredo de drua, et de domino Henrico de drua. Actum urbe Aste in ecclesia sancti Johannis de domate, Testes Ubertus de platea, Bayamondus de platea, Petrus

Cicia, Magister Petrus Becarius, Jacobus de Rohat, Henricus Soldanus, Henricus de Vaglerano, Petrus de Aracio, Guillelmus Sylvaticus, Berrardus Bertramus, Petrus Capellarius et plures alij. Nomina consulum Astensium de communi tunc existentium sunt hec Jacobus de Vivario, Guillelmus Racio, Ardicio Bertramus, Jacobus de Stoerda et Rolandus Cazo. Eo die et loco, Isti de Romanisio fecerunt fidelitatem communi de Aste, Richelinus Jacobus filius Guillelmi de Roncalio, Henriotus Spicardus, Guilelmus filius Conradi de drua, Matheus de Valtignascho, Petrus filius Uberti maioris, Giraldus Perona, Petrus Fantinus, Petrus Schina et Maynfredus filius Salici de Rosoleto.

Et Jacobus Boviculus notarius de hjs cartam scripsit.

703. *De fidelitate facta comuni Ast per Jacobum filium Maynfredi de Drua precepto dicti sui patris de dicto loco Romanisij.* 1202. 7 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo, Indictione quinta die mercurij septimo intrantis Augusti, In credencia per campanam congregata et per nuncios aliorum sapientum congregatorum, Jacobus filius Maynfredi de drua, precepto patris sui et sua voluntate fecit fidelitatem et iuravit supra sancta dei evangelia ante dominum Guidonem de piroano potestatem Astensem et eam recipientem ad partem et nomine communis de Aste, esse fidelis comuni de Aste et consules et potestatem de Aste pro tempore existentes in avere et persona contra omnes homines, Et locum Romanisij et omnia alia loca que habet et specialiter iandictum locum Romanisij salvare et custodire ad utilitatem et opus communis tam pro communi quam pro diviso, Et illum locum Romanisij et omnia alia loca, que habet castella et villas varnitas et varnita scaritas et scarita non vetare communi de Aste et reddere illa loca communi de Aste, Et specialiter locum Romanisij, et salvare et custodire res et personas consulum et potestatum Astensium pro tempore existentium, et tenere eis credentiam, si dixerit, et non manifestare donec palam fuerit, vel parabolam ei dederint, Et illam terram de qua comune de Aste est saxitum et investitum vel erit cum ratione adiuvare tenere et defendere contra omnes homines, Et si sciret malum de Aste, quam citius posset, faceret eis scire, et non esse in aliquo loco, in quo comune de Aste nec divisum positum esset in prexionem contra suam voluntatem et esse fidelis comuni de Aste ut bonus vasallus debet esse suo bono domino. Et si qua alia sunt, et omnia que continentur in fidelitate quam facit bonus vasallus suo bono domino iuravit illa omnia attendere, Et facere de predicto loco Romanisij et aliorum locorum que habet, pacem et guerram per se et cum comune de Aste, omni persone cui comune de Aste voluerit et sibi preceperit. Et Maynfredus pater ipsius Jacobi confessus fuit, illum Jacobum habere quatuordecim annos ad plus. Preterea iuravit idem Jacobus supra dei evangelia quod faceret illam fidelitatem, si alias fidelitas a comuni de Aste requireretur. Actum est hoc Aste in ecclesia sancti Johannis de domate, testes fuerunt ibi Jacobus Rohat, Robaldus Gardinus, Ubertus de donna Benza, Raymondus layolius, Mainfredus Cavazonus et Opizo Calcaneus.

Et ego Otto Bassus sacri pallatij notarius interfui rogatus et scripsi.

704. *Quomodo dominus Maynfredus de Salucijs renunciavit fidelitatibus militum et hominum de Romanisio, et eas fieri iussit dicto comuni ast.* 1124. 24 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die veneris nono kallendas Junij in Romanisio in porticu maioris ecclesie in publica concione ibidem ante ecclesiam congregata, presentibus testibus Guillelmo Sicardo de Aste, Otto delanguilla, Mellano de Plocascho, Uberto de Montarono, Jacobo zalce et Jacobo Burserio notarijs et alijs multis, dominus Maynfredus de Salucijs renunciavit fidelitatibus militum et hominum Romanisij, et eis precepit ut eas facerent Guillelmo Rotario, Girardo Josberto, Jacobo de Jaffa et Oberto Cassano ambaxiatoribus communis Astensis nomine communis Astensis contra omnes homines.

Et Mussus Boviculus notarius scripsit.

705. *De requisitione facta nomine comunis ast, potestati Romanisij et certis alijs nomine comunis dicte terre quod fidelitates fieri facerent per homines dicte terre dicto comuni Ast.* 1224. 3 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima, die martis tercio intrantis decembris, coram testibus infrascriptis, dominus Frassus Judex et vicarius domini Pagani de Petrasancta Astensis potestatis nomine et vice communis Astensis requisivit a domino Jacobo de Platea potestate Romanisij nomine illius communis, et Rofino de Rosoleto, Guillelmo et Opicio pro eis et nomine communis Romanisij, quod ipse Jacobus nomine communis Romanisij et ipsi duo faciant et fieri faciant ab hominibus Romanisij communi Astensi fidelitatem talem, qualem facit vasallus domino, et quod paratus erat ipse Frassus recipere illam fidelitatem. Actum Aste in domo communis, Interfuerunt testes Berrardus de Solario, Jacobus Advocatus, Petrus Becharius, Petrus de Aracio, Rufinus de Ripa.

Et ego Maynfredus Carena notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

706. *De denunciatione facta potestati et ambaxiatoribus Romanisij per Vicarium potestatis Ast quomodo paratus erat pro dicto comuni Ast recipere fidelitates de Romanisio prout homines dicti loci eas debebant et consueverunt facere.* 1224. 3 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die martis tercio intrantis decembris, coram testibus infrascriptis, dominus Frassus iudex et vicarius dominj pagani de petrasancta Astensis potestatis nomine et vice comunis Astensis dixit et denunciavit domino Jacobo de platea potestati Romanisij et Guillelmo Opizo et Rufino de Rosoleto ambaxiatoribus cum ipso Jacobo nomine comunis Romanisij quod paratus erat recipere fidelitatem de Romanisio sicut eam facere debebat, et prout facere debebant et consueverunt homines ipsius loci. Actum Ast in canonica comunis, Interfuerunt testes Bertramus Zachonus et Berrardus de Solario.

Et ego notarius pallatinus Maynfredus Carena interfui et sic scripsi.

CXVI. De Bovisio et certis alijs locis ut Infra.

Hic depingatur Bovisium. — Hic depingatur Bruxaporcellus. — Hic depingatur Summarippa.

707. *De donatione facta ecclesie Sancte Marie civitatis ast per Comitem Ubertum, de Bovisio Bruxaporcello et Summaripa, Et comuni Astensi de Quatordeo et Romanisio etc.* 1098. 25 Julij [1].

In Christi nomine, dignum dixerunt [2] consules Astenses simul cum vasallis pro communi utilitate et pro Incremento ecclesie sancte Marie et honoris communis civium Astensium et omnium, Amicari [3] et coniungi federe sempiterno cum honorabili et magno duce Uberto [4] taliter, Comes quidem [5] Ubertus magno pro amore ac dilectione quam habet [6] civibus Astensibus dedit et [7] investivit [8] sub iure iurando et [9] manu propria sacravit [10] ad augmentum Astensis Episcopatus loca que ita nominantur et [11] hec [12] sunt, Sanctus dalmacius, Bruxaporcellus, Bovisium [13] et Summarippa. Romanisium [14] vero atque Quatordeum [15] ad communem utilitatem atque honorem omnium civium Astensium. Insuper pedagium et clusagium atque curadiam [16] et quicquid dant [17] pro transitu itineris omnem per terram quam habet atque [18] habiturus est et [19] ultra montes et ex hac parte montium. Similiter personas omnium civium Astensium et mobilia eorum salvare et stratam ad eos dirigere in sempiterna secula. Si requisitum fuerit a comuni consilio pro tempore consulum, Comes Ubertus debet auxiliari atque subvenire populo [20] Astensi ter per unumquemque anum per totum Episcopatum atque Comitatum Astensem, et usque ad Rivumbrucentum [21] et usque ad Sanctumdalmacium, et insuper [22] ad Terdonam civitatem. De supradictis autem [23] locis, scilicet Bruxaporcello et Bovisio [13] Summarippa et Sanctodalmacio cartulam legaliter firmatam debet facere Comes Ubertus ad Astensem ecclesiam Sancte Marie. Et ad populum [20] Astensem cartulam ad proprium per donationem de Romanisio et [24] Quatordeo facere debet, per bonam fidem et observare [25]. Et ab hac die usque ad tres annos Comes Ubertus non debet a longobardia disedere, quod [26] permaneat ultra [27] octo dies, quod non revertatur nisi per [28] comeatum [29] Astensium consulum, Et si per comeatum Astensium consulum disseserit, ipse Comes predictus Umbertus revertetur in [30] longobardiam ad terminum concessum ei a consulibus Astensibus aut per suos certos missos, nisi pro [31] dei remanserit impedimento, Aut

[1] Documentum hoc iam inseruerat in op. suo ms. *Descriz. del Piem.* cit. F. A. Ab Ecclesia pars II. Cap. XXXI. pag. 318, ex quo transcriptum edidit Durandi, *Piem. Cisp. Ant.* pag. 346, in not. Idem postea edidere Muletti *Storia di Saluzzo* vol. I. pag. 398, transcriptum a Meyranesio *ex lib. virid. civit. Ast.*, et San Quintino *Osservaz. crit.* cit. pars II. pag. 33. N. 48. Horum lectiones varias hic afferendas duximus. — [2] Dur. Mul. San Quint. *duxerunt.* — [3] S. Q. *amicati.* — [4] D. M. SQ. *Humberto.* — [5] Id. Deest *quidem.* — [6] D. SQ. add. *in.* — [7] D. M. SQ. Deest *et.* — [8] M. SQ. add. *et.* — [9] D. M. SQ. Deest *et.* — [10] Id. *Sanctivit.* — [11] D. SQ. Deest *et.* — [12] M. Deest *hec.* — [13] D. M. SQ. *Bovexium.* — [14] D. SQ. *Bovisium.* — [15] D. M. *Quatordem.* — [16] M. *curaiam.* — [17] D. M. SQ. *datur.* — [18] Id. *et.* — [19] Id. Deest *et.* — [20] M. *prop.* — [21] D. SQ. *Bruzentem;* M. *Brusentem.* — [22] D. M. SQ. add. *usque.* — [23] D. Deest *autem.* — [24] Id. Deest *et.* — [25] D. M. SQ. *observantiam.* — [26] Id. *quin.* — [27] Id. Add. *usque.* — [28] Id. Add. *comune.* — [29] D. M. *comealur.* — [30] D. M. SQ. Deest *in.* — [31] Id. D. *per.*

contramandatum ei fuerit a predictis consulibus Astensibus [1], sed transacto impedimento predicto post quindecim dies revertetur in [2] longobardiam, Et neque pacem [3] neque guerram neque finem cum Bonefacio Marchione debet facere absque consilio et voluntate Astensium consulum, Actum est [4] Anno domini ab Incarnatione [5] Millesimo nonagesimo octavo, Indictione octava [6], octavo [7] kallendas Augusti.

CXVII. De Sarmatorio.

Hic depingatur locus Sarmatorij.

708. *De Promissione facta per Obertum de Sarmatorio pro se et Ardizone fratre suo de stando et parendo preceptis potestatis Astensis, maxime pro quadam securitate librarum Mille.* 1224. 16 Junij [8].

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto, Indictione duodecima die dominico sextodecimo Intrante Junio, presentia testium infrascriptorum, dominus Obertus de Sarmatorio pro se et fratre suo Ardizone promisit et iuravit domino Pagano de petrasancta potestati Astensi nomine et vice communis Astensis stare mandatis et preceptis ipsius potestatis nomine et vice communis et attendere adimplere et observare omnia precepta que ipse potestas predicto nomine per se vel per alium fecerit vel dixerit eis uno tempore vel [9] diversis temporibus de facto et super facto fodri, et pene et [10] citaynatici, et presertim de securitate mille librarum eis et consortibus suis occasione predictorum quesita secundum partem que contigerit [11] eos et predictos pro quibus promisit et iuravit, Et quod faciet illum superius denotatum pro quo cavit predicta omnia attendere complere et observare supra omnia bona sua que pro his omnibus eidem potestati vice et nomine communis pignori obligavit, Et quod bona fide dabit operam efficacem modis omnibus quibus poterit ut ceteri eorum consortes, qui hic non [12] nominantur veniant et stent mandatis ipsius potestatis de predictis omnibus et pro predictis omnibus in omnibus et per omnia, et pro hjs omnibus omnia bona sua eidem potestati pignori obligavit, Et renunciavit [13] omni juri et rationi, et ne uti vel allegare possit quod se obligaverit [14] sine causa. Actum aste in ecclesia sancti Johannis in publica credencia, Testes interfuerunt Sorleonus Maronus, Nicholaus Prevedengus [15] et [16] Philippus durcus.

Et Guillelmus Trosellus notarius [17] scripsit [18].

[1] D. M. SQ. Deest *astensibus.* — [2] Id. Deest *id.* — [3] D. *pactum.* — [4] D. M. SQ. *Ast.* — [5] D. M. *dominice incarnationis;* SQ. *millesimo incarnatione.* — [6] D. M. *indictione sexta.* — [7] SQ. Deest *octavo.*

[8] Instrumentum hoc exstat in *Fragm. Taur.* Cod. Oger. Alfer. fol. VI. ex quo transcriptum, editum fuit in *Monum. Hist. pat. Chart.* II. col. 1320. Utriusque exempli lectiones varias hic afferemus. — [9] Fragm. Add. *in.* — [10] Id. Deest *et.* — [11] Id. *contingerit.* — [12] Mon. Deest *non.* — [13] Fragm. *renuntiaverunt.* — [14] Id. *obligavit.* — [15] Fragm. *prevengus*, Mon. *pruengus.* — [16] Fragm. Deest *et.* — [17] Id. add. *hanc cartam.* — [18] Id. add. *Et est in libro veteri in folio* VI.

CXVIII. De Sanctoalbano

Hic depingatur locus Sanctialbani.

709. *De fidelitate facta comuni astensi per quosdam de Sanctoalbano consensu vicesgerentis Episcopi astensis, Salvis ipso Episcopo et ecclesia Astensi.* 1277. 27 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, Indictione quinta die dominico vigesimo septimo Junij, in presentia testium infrascriptorum infrascripti homines de Sanctoalbano fecerunt fidelitatem et juraverunt ad sancta dei evangelia domino Hosmondo Salamoni potestati Astensi et michi notario infrascripto, nomine et vice communis Astensis recipientibus et promiserunt facere pacem et guerram pro comuni Astensi ad voluntatem potestatis et comunis Astensis et defendere ipsum potestatem et alios qui per tempora fuerint in regimine civitatis Astensis et omnes homines civitatis Astensis et illos de parte ipsorum, et facere omnia que vasallus et fidelis domino facere tenetur, et debet sub obligatione omnium bonorum suorum, que pro inde michi notario recipienti nomine et vice communis Astensis pignori obligaverunt, Et predicta fecerunt et iuraverunt voluntate precepto et consensu fratris Guillelmi de Montaldo gerentis vices domini Episcopi in sancto albano et Jacobi de Brayda Castellani sancti Albani. Salvo semper domino Episcopo et ecclesia Astensi facta est dicta fidelitas. Actum in Sancto Albano sub porticu domus Sysmondi de Brayda et fratris. Interfuerunt testes, Bonefacius pacella, dominus Alcherius Morbius miles potestatis, Ogerius Roba, Paganus alerius et Bellengerius Rappa. Nomina quorum hominum sunt hec, dominus Nichola Scapita, Jacobus Thomas, Guillelmus Beholinus, Jacobus Thomas, Merlus notarius, Henricus danius, Olprandinus, aycardus Bealecius, Gualfredus de plocio, Jacobus Guisca, Oddonus de Henrico Thoza, Raymondus de plocio, Guillelmus de Ruata, Maynfredus Maxelerius, Facius Scapita, Georgius Garetus, Obertus Ambrosius, Johannes de Alexandria, Arnaldus Manzonus, Arnaldus Mussius, Jacobus Mobilius, Stephanus Alexander, Henricus Gabella, Andreas Arro, Jacobus de Turre, Johannes de dornyo, Maynfredus Marsilia, Matheus de Rayens, Maynfredus panzolius, Guillelmus de Caruto, Oddo Mexonerius, Rodulfus Carbonata, Petrus Gandulfus, Henricus Ricardus, Alianus, Jacobus Meglaza, Jacobus Gardinus, Oddinus de ymilia, Guillelmus de Monte, Rubeus Bachalerius, Oddo Reviglus, Henricus Thomas, Georgius filius Guillelmi de Ruco, Anselmus longanus, Sysmondus pauper, Johannotus Gandulfus, Baratus Barberius, Oddo Bulla, Johannes de Becho, Guillelmus Cisercha, Guillelmus legerius, Rofinus Talia, Jacobus Cappa, Guillelmus Thomas, Michael Justa, Guillelmus Mancius, Drochus de alaria, Johannes Reviglus, Guillelmus de poblice, Johannes de Barro et Petrus Deanus.

Et ego Franciscus de Benengo notarius pallatinus interfui et scripsi.

CXIX. De Plocio.

Hic depingatur locus Plocij.

710. *Autenticum unius instrumenti continentis quasdam conventiones factas inter comunia Ast et Albe ex una parte, et comune Plocij ex altera, et inter alia quomodo homines plocij effecti sunt cives Ast et Albe, fodrum anuatim dando dictis civitatibus etc.* 1251. 29 Septembris.

Anno dominice nativitatis Millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, Indictione nona die vigesimonono intrantis Septembris, in Alba presentibus petro Barossio, Johanne eius fratre, Guillelmo Aydino testibus, dominus Matheus Cervus Judex communis Albe precepit michi Henrico Ghisalberto notario infrascripto ut autenticarem et in formam publici instrumenti redigerem quoddam instrumentum factum per Bergoncium Constancium notarium, Cuius instrumenti tenor talis est. Anno domini a nativitate Millesimo ducentesimo quinquagesimoprimo, Indictione nona die quinto intrantis Junij in pleno consilio plocij per campanam et voce preconis more solito congregato, hec sunt pacta et conventiones facte inter comune Astense et comune Albe ex una parte, et homines plocij ex alia, Recipientibus predicta pacta et conventiones domino Bertholomeo Judice et domino Guillelmo Cayrosio nomine communium predictorum civitatum. Imprimis omnes infrascripti de plozio qui in dicto consilio erant, eorum nomine et nomine communis plocij constituerunt se cives civitatis Aste et Albe in perpetuum per se suosque heredes, et facere pacem et guerram exercitum et cavalcatam ac succursum contra quamlibet personam communia et loca pro communi Aste et comuni Albe quotienscumque dictis communibus predictarum civitatum placuerit, vel altero ipsorum communium requisiti forent. Item promiserunt eorum nomine et predicti communis plocij in perpetuum dare et solvere per se suosque heredes nomine fodri omni anno in festo sancti Martinj comuni Aste et Albe solidos Centum Astenses. Item promiserunt infrascripti de plocio eorum nomine et comunis plocij dare et solvere predictis dominis Bertholomeo et Guillelmo recipientibus nomine communis Albe, et ipsi communi Albe libras quinqueginta Astenses pro restitutione damni dati hominibus de Clarascho ad terminum quem potestas Albe statuerit. Item promiserunt reddere dare et consignare castrum plocij in eo statu in quo nunc est predictis communibus Aste et Albe in eorum forcia et baylia quandocunque predictis communibus dictarum civitatum placuerit a festo sancti Michaelis proximo ultra, Et si alter ipsorum communium predictarum civitatum predictum castrum petere seu requirere nollet, tunc alteri civitati dictum castrum reddere dare et consignare in eius forcia et baylia debeant et teneantur. Item promiserunt reddere Gualfredum de plocio et Obertum Foranum in possessionem rerum et possessionum omnium, que predicti Gualfredus et obertus consueverunt tenere in loco plocij et territorio et posse, et eos Gualfredum et Obertum et eorum familiam tueri salvare defendere et manutenere et res ipsorum toto eorum posse sicuti quemlibet alium hominem habitantem in plocio. Que omnia suprascripta insolidum per singula omnes infrascripti de plocio per se suosque heredes eorum nomine et comunis plocij promiserunt attendere dare solvere facere et observare

sub pena librarum Mille Astensium stipulata, et promissa predictis domino Bertholomeo et Guillelmo, recipientibus vice et nomine communis Ast et Albe, Eo pacto habito quod pena soluta, pacta et conventiones in suo statu permaneant, Que pena supradicta totiens committatur, quotiens contra aliquod predictorum facerent vel venirent. Item pro omnibus supradictis et singulis attendendis et observandis promiserunt dare et consignare decem obsides ad voluntatem potestatum Ast et Albe, qui debeant stare in custodia et guardia Alberti de brayda, Raymondi de Vuascho, Andreoni et Jurti palij in loco Baenarum, quousque infrascripti homines plocij eorum nomine et communis plocij de predictis singulis observandis, et de predictis libris Mille ydoneam prestiterint securitatem predictis communibus Ast et Albe. Nomina autem obsidum quos dare promiserunt et tenentur sunt hec Bonefacius Tartonesius, Raymondus Anfosus, Guillelmus de Ymolda, Obertacius de Costa, Raymondus Garellus, Jacobus de Freno, Sysmondus de Olmeta, Joannes Amatus, Petrinus ferarius et Oddinus de Costa. Nomina autem illorum de plocio qui omnia supradicta insolidum et per singula eorum nomine et comunis Plocij iuraverunt attendere solvere facere dare reddere et consignare et fieri facere sunt hec, Subaldus pelleta, Fredericus Terdonesius, Anfusus, Guillelmus Crosetus, Otto dyana, Walfredus, Henricus Morellus, Albertus de Nono, Petrus Valbertus, Petrus Barberius, Aycardus de Ymolda, Gacrotus, Anselmus de Costamagna, Bonavia, Gonfredus Bullius, Guillelmus piper, Henricus de Costa, Petrus leonardus, Petrus Piper, Arnaldus de Aytrua, Henricus leverus, Henricus piper, Petrus Textor, Oddo Maynardus, Obertus Bollatus, Henricus Barocia, Guarnerius pelleta, Guillelmus Garellus, Obertus Ameus, Otto Bullius, Nicholaus de Costa, Bayamondus lombardus, Gonfredus Garellus, Ubertus Garellus, Raynerius Tornavolta, Guillelmus de Cravesana, Guillelmus Cocherius, Ramellus, Otto de Costa, Arnaldus de Costa, Anser Butinus, Gandulfus de Mullanzano, Petrus pellatus de Montata, Bonefacius Garellus, Rubeus, Guillelmus pelleta, Ubertus de Bonvisino, Henricus pyocius, Henricus de Valfredo, Barucius, Guillelmus de Benensea, Guillelmus Goencius, Oddo Ferrarius, Bermondus, Bonefacius Tartonesius, Raymondus Anfusus, Guillelmus de ymilda, Obertacius de Costa, Raymondus Garrellus, Jacobus de Freno, Sysmondus de Olmeta, Johannes Amatus, Petrinus Ferrarius et Oddinus de Costa. Actum in villa Plocij ubi fuerunt rogati testes, Guillelmus Conradengus, Petrus Margocius, Albertus de Brayda, Andreonus Palius, Raymondus de Wascho, Raymondus Cenesius, Et inde plura instrumenta unius tenoris fieri preceperunt. Et ego Bergoncius Constancius notarius rogatus scripsi, hoc autem instrumentum ego Henricus Ghiselbertus notarius precepto supradicti iudicis exemplavj et scripsi, et de publico instrumento extraxj, non addens mutans vel minuens quod mutet significationem et sic me testem subscripsi.

CXX. De Savilliano.

711. *De quibusdam pactis et unione factis inter comune Ast ex una parte, et comune Savilliani ex altera.* 1205. 1 Septembris.

Anno Domini Millesimo ducentesimo quinto, Indictione octava die qui fuit kallendis Septembris, In nomine domini nostri Yesu Christi et beatissime semper virginis Marie et beati Petri Apostoli et sancti Secundi Martiris. Talia sunt pacta et

conventus societatis et amicicie hominum Astensium et hominum de Savilliano. Homo de Savilliano iurat supra sancta dei evangelia se esse habitatorem Astensis civitatis, et habere in eadem civitate domum in ea forma que inferius legitur. Jurat etiam facere guerram pro homine Astensi de domo sua contra omnes homines cum quibus homo Astensis faciet guerram cum eo et sine eo, Jurat etiam facere exercitum iter et cavalcatam ac succursum bona fide cum suis expensis quotiens opus eis fuerit, et salvare hominem Astensem in persona et in rebus in loco Savilliani et alibi ubicumque posset, Tali vero tenore quod de ista guerra non debent homines Savilliani facere pacem vel treuguam sine consilio potestatis Astensis vel consulum Astensium vel credencie Astensis tocius vel maioris partis cum campana coadunate. Item homini Astensi liceat capere suum inimicum in loco Savilliani, et homo Savilliani prestet forciam et adiuctorium ad capiendum et ad ducendum eum in eam partem in qua sit securus bona fide. Item pactum est quod homo Astensis non donet in loco Savilliani pedagium vel curaydam plus quam homo Savilliani. Item homo Astensis non debet impediri in persona vel in rebus in loco Savilliani pro domino suo vel pro vicino vel pro alio nisi sit fideiussor vel debitor. Item de guerra quam habent communiter homo Astensis et homo Savilliani, si contingeret quod aliquis homo de Savilliano esset captus, quod deus avertat, et alius de adversarijs suis esset captus in Aste, unus pro alio redderetur secundum quod esset conveniens. Item quindecim diebus post quam potestas vel consules aut ambaxiatores Astenses dixerint homini Savilliani quod incipiat guerram pro homine Astensi, duo milites Astenses vel plures debent adesse ad inchoactionem guerre. De cambio captorum debet facere homo Savilliani similiter sicut homo Astensis. Hoc autem factum est salvo Abbate Savilliani et Salvis dominis Manciani, Sarmatorij et Montisfalconis et tota terra, quam tenent et possident. Similiter versa vice homo Astensis iurat se esse habitatorem Savilliani et habere domum in loco Savilliani in ea forma que inferius legitur, Jurat etiam iuvare salvare et defendere hominem Savilliani in persona et in rebus in civitate Astensi et in toto posse civitatis Astensis et alibi ubicumque posset, et facere guerram pro eo de domo sua contra omnes homines cum quibus habebit guerram cum eo et sine eo, nec debet facere pacem vel treuguam sine consilio potestatis vel consulum Savilliani vel credentie tocius vel maioris partis cum campana coadunate. Jurat etiam facere exercitum et iter cavalcatam et succursum bona fide cum suis expensis quotiens opus fuerit homini Savilliani. Et istam guerram debent incipere homines Ast pro homine Savilliani, quindecim diebus postquam potestas vel consules vel ambaxiatores Savilliani dixerint eis quod incipiant guerram, sicut facerent pro porta Archus. Liceat etiam homini Savilliani capere suum inimicum in Aste, et homo Astensis debet dare forciam et adiuctorium et juvare bona fide ad ducendum in eam partem in qua esset securus. Pactum est etiam inter eos quod homo de Savilliano non det pedagium vel curayam vel Toloneum plusquam homo Astensis in Aste nec debet impediri in persona vel in rebus in Astensi civitate aliquis homo de Savilliano pro domino suo vel pro vicino vel pro aliquo alio, nisi sit fideiussor vel debitor. Item sciendum est quod pro ista habitatione non tenetur homo Savilliani dare communi Astensi aliquem censum vel redditum pecunie vel aliquam conditionem facere nisi sicut supra legitur. Hec autem servicia supradicta debent facere utraque pars

cum suis expensis et messionibus. Et cum homo Savilliani suam domum emerit in civitate Astensi, homo Astensis debet habere, et recuperare in loco Savilliani xv, diebus post, Et hec omnia supradicta iuravit utraque pars observare et attendere in perpetuum bona fide, Salvo hoc quod potestas Astensis vel consules Astenses vel credencia tota vel maior pars cum campana coadunata consilio potestatis vel consulum Savilliani vel credentie tocius vel maioris partis cum campana coadunate addet vel minuet, et quod addetur, teneatur ratum et firmum, et quod minuetur, cassetur, de quinto anno in quinto renoventur sacramenta si una pars appellaverit alteram. Actum est hoc in loco Savilliani in ecclesia sancti Andree. Nomina testium dominus Symon de Sarmatorio, Maynfredus Bricius, Ogerius Charlenc, Henricus Bigot et multi alij.

Et ego Constancius notarius pallatinus hanc cartam scripsi.

712. *De quibusdam alijs pactis et unione factis inter dicta communia Ast et Savilliani, iuramento valatis.* 1217. 17 Septembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo decimoseptimo Indictione quinta die dominico quintodecimo kallendas octubris, In nomine domini nostri Yhesu Christi amen et beatissime matris eius Marie semper virginis et beati Petri apostoli et sancti Secundi martiris Christi, Talia sunt pacta et conventiones societatis et amicicie hominum Astensium et hominum de Savilliano. Homo de Savilliano iurat supra dei evangelia se esse habitatorem Astensis civitatis, et habere in eadem civitate domum, et in ea forma que inferius legitur, Jurat etiam facere guerram pro homine Astensi de domo sua contra omnes homines, et quibus homo Astensis faciet guerram, cum eo, et sine eo, Et facere exercitum, Iter cavalcatam et succursum bona fide cum suis expensis, quotiens ei opus fuerit, et salvare hominem Astensem in persona et rebus in loco Savilliani et in toto posse et alibi ubicunque posset. Tali modo vero et tenore, quod de ista guerra non debent homines Savilliani facere pacem vel treuguam sine consilio potestatis Astensis vel consulum Astensium vel credencie per campanam congregate tocius vel maioris partis. Item quod homini Astensi liceat capere suum inimicum in loco Savilliani, et homo Savilliani prestet forciam et adiuctorium ad capiendum et ad ducendum ipsum in eam partem in qua sit securus bona fide et sine fraude. Item pactum est quod homo Astensis non donet pedagium in loco Savilliani vel curayam plus quam homo Savilliani. Item homo Astensis non debet impediri in persona vel rebus in loco Savilliani pro domino suo vel pro vicino vel pro alio nisi sit fideiussor vel debitor. Item de guerra quam haberet communiter homo Astensis et homo Savilliani si contingeret quod aliquis homo de Savilliano esset captus quod deus nolit et alius de adversarijs suis esset captus in Aste, unus reddereretur pro alio secundum quod esset conveniens. Item quindecim diebus postquam potestas vel consules Astenses vel ambaxiatores dixerint homini Savilliani quod guerram incipiat, debet guerram incipere, Et die quo homo Savilliani guerram incipiet pro homine Astensi, duo milites Astenses vel plures debent esse ad incohactionem. De cambio captorum debet facere homo Savilliani similiter, sicut homo Astensis. Hoc autem factum est salvo Abbate Savilliani, et salvis dominis Manziani, Sarmatorij et Montisfalchoni, et tota terra, quam tenent et possident. Similiter versa vice homo

Astensis iurat se esse habitatorem Savilliani et habere domum in loco Savilliani in ea forma que inferius legitur. Iurat etiam salvare iuvare et defendere hominem Savilliani in persona et in rebus in civitate et toto posse Astensi, et alibi ubicunque posset, et facere guerram pro eo et sine eo, nec debet facere pacem vel treuguam sine consilio potestatis vel consulum Savilliani vel credencie per campanam congregate, totius vel maioris partis. Iurat etiam facere iter exercitum et cavalcatam ac succursum bona fide cum suis expensis quotiens opus fuerit homini Savilliani. Et istam guerram debent incipere homines de Aste pro homine Savilliani quindecim diebus postquam potestas vel consules Savilliani vel ambaxiatores Savilliani dixerint eis quod incipiant guerram, sicut facerent per portam arcus. Liceat etiam homini Savilliani capere suum inimicum in Aste et homo Astensis debet dare forciam et adiuctorium et iuvare bona fide ad ducendum in eam partem in qua esset securus. Item pactum est inter eos quod homo de Savilliano non donet pedagium vel curayam vel Tholoneum, plus quam homo Astensis, in Aste, nec debet impediri in persona vel in rebus in Astensi civitate aliquis homo de Savilliano pro suo domino vel pro vicino vel pro aliquo alio, nisi sit debitor vel fideiussor. Item quod pro ista habitatione non tenetur homo Savilliani dare comuni Astensi aliquem censum vel redditum pecunie vel aliquam condictionem facere nisi sicut supra legitur. Hec autem servicia supradicta utraque pars cum suis expensis et missionibus facere debet. Et cum homo Savilliani suam domum emerit in civitate Astensi, homo Astensis debet habere et recuperare domum suam in loco Savilliani quindecim diebus post. Et sicut supra legitur, Otto Pyolla potestas Savilliani nomine et vice tocius communis Savilliani, consilio credencie eiusdem loci per campanam congregate et eius credendarij de campana, quorum nomina sunt, Nicholaus punterius, Otto Francus, Guillelmus Vi, Jacobus Ogerius, Andreas Balsamus, Arnaldus Viscardus, Otto Beyamus, Anricus Gambaldus de Bagnolio, Jacobus Schinonus, Petrus Rubeus de Buscha, Millio de Gabiano, Arnaldus Barbierius, Maynfredus Valferius, Delosalus, Jacobus Callegarius, Henricus Formagius, Arnaldus Travanzanus, Anselmus Garibaldus, Petrus de Sole, Anselmus Orcus, Aycardus Faxanus, et ambaxiatores communis Astensis, videlicet Jacobus de Stoharda, Guillelmus Cargida, nomine et vice communis de Aste et consilio potestatis vel consulum Savilliani per credenciam congregato totius vel maioris partis addent vel minuent, ita quod additum ratum et firmum teneatur, et quod diminutum fuerit cassetur, de quinque annis in quinque renoventur sacramenta si utraque pars approbaverit, Instrumenta facta a Constancio notario Anno domini MCC° quinto Indictione octava die qui fuit kallendis Septembris firma permaneant et inviolata persistant. Actum Savilliani in concione publica facta in mercato eiusdem loci, testes Carcasius de duglanis, Bonefacius Falconus, Petrus filius Berrardi Turrelli, Gandulfus filius Guillelmi de Antegnano, Guillelmus de Faldina nuncius communis Astensis, omnes de Aste et alij multi.

Ego Mussus Boviculus notarius pallatinus interfui et precepto potestatis Savilliani et ambaxiatorum Astensium duo instrumenta uno tenore scripsi.

Nomina illorum de Savilliano qui iuraverunt qualiter supra legitur sunt hec, Bayamondus Boyetus, Bonefacius prestator, Gigo de Cuneo, Jacobus de Villa, Maynfredus Cavallus, Raymondus de Vernea, Henricus de Alaria, Anselminus de Vernea,

Otto Repentinus, Guillelmus de Quaranta, Bernardus Vulpianus, Marchetus, Matheus Thomas, Otto Moroletus, Jacobus Maletus, Otto, Galvangnus, Gualterius, Tebaldus Arancacoxa, Raybaldus, Otto Comes, Guillelmus Garcius, Johannes pochamatus, Guillelmus Mussus, Jacobus trecus, Guillelmus Robaldus, Jacobus Maritus, Petrus Ferarius, Anselmus de Aste, Johannes Torcellus, Otto Sifredus, Jacobus Fornarius, Jacobus Capellus, Ottinus Textor, Guillelmus Civita, Meylanus, Andreas de Morocio, Otto Magister, Guillelmus Gorga, Jacobus Alexander, Lambertus de Aste, Bergognus, Oddinus, Obertus de Bonovino, Nicholaus de Burgo, Amelicus de Strepeto, Jacobus Boschetus, Johannes Barbierius, Johannes Georgius, Garlerius, Bergogninus, Jordanus de Ruasimpla, Jacobus Gastaldus, Solori, Nicolaus Rufinus, Jacobus Garibaldus, Petrus Bellinus, Petrus Garcius, Jacobus pancia, Petrus Valfredus, Boninus de Strepeto, Otto daluldi, Jacobus de Caralio, Amedeus de Cambiano, Otto Carnagla, Jordanus Magister, Anfusus Baravaius, Girardus Ravottus, Guillelmus Nasus, Franchetus Ratavayra, Amedeus de Manzano, Guillelmus liamerius, Arnulfus piscator, Guillelmus Culmus, Otto Coraglus, Rolandus de Verduno, Martinus de Sancto Gregorio, Henricus Pallea, Guillelmus Punterius, Bernardus Racaldus, Jacobus Brunus, Ricardus de Stropea, Johannes Grassus, Johannes de Niella, Rollandus luvinus, Martinus de plebe, Obertus Bigottus, Guillelmus lupinus, Guido Beyamus, Jordanus Sylvaticus, Bonefacius de plebe, Guido Marchio, Buldre, Guillelmus Brunus, Guido, Rollandus, Albertus Alinerius, Mascarellus, Nicholaus, Aymarius, Guillelmus Curtus, Petrus de prealormo, Bartholomeus Barbierius, Henricus Flacus, Girardus de Fontannis, Balduynus Callegarius, Jacobus Musinarius, Johannes Crenna et Nicholaus frater eius, Lupus, Guillelmus Bigottus, Ambrosinus, Otto Musiglus, Willelmus Fornarius, Stephanus Rubeus, Otto Magnanus, Anselmus de Murello, Guillelmus Fomellus, Guillelmus Provincialis, Guillelmus Bataglus, Otto Catoglus, Petrus de Bella, Alinerius, Petrus Corrigiarius, Walfredus Raynaldus, Amedeus Ansaldus, Petrus Ansaldus, Guillelmus Fornarius, Galvangnus, Guillelmus Neatalis, Bertholinus Ranzanus, Guillelmus de Astrica, Rollandus Garaus, Macarius, Otto Merzarius, Amedeus de Niella, Johannes de Centallo, Petrus de Casteglono, Bertholinus tigerius, Guillelmus Rayta, Stephanus Bonza, Johannes de Vignolio, duradus Nigrinus, Jacobus Robertus, Raymondus Formagyarius, Johannes Ferrarius, Guillelmetus, Georgius, Guillelmus Bobulcus, Johannes de Burgo, Rohanus Garcius, Johannes de Forfex, Petrus Raynaldus, Guillelmus Roba, Gribaldus Squocglus, Otto Garcellus, Ogerius Cerrutus, Guillelmus de Gambiano, Petrus de Costeglolis, Rollandinus, Johannes de Cambianno, Girardetus, Guillelmus pollastra, Jordanus Granna, Feniculus, Guillelmus de Marcenascho, Otto Marengus, Otto de Montrexino textor, Guillelmus de Cuneo, Ogerius de Bonafilia, Johannes Cochus, Guillelmus Maynerius, Scalnoa, Albertus Cochiacarnes, pillosus, Ascherius de Strepeto, Salvetus, Michael Ortollanus, Amedeus de diliana, Johannes Grassus, Rodulfus de Valfenaria, Jacobus Surdus, Bochonus, Guillelmus Morellus, Anfusus delalexa, Nicholaus de Rualonga, Petrus Frenarius, Jacobus de Marenis, Petrus Rancura, Pavisius, Jacobus de Savilliano, Guillelmus Goregnus, Jacobus Borla, Gandulfus de ponte, Ogerius Callegarius, Michael textor, Cumbertus Valfredus, Jacobus de Ranzanis, Robaldus de Melea, Raymondus Boca, Guillelmus et Otto Callegarij, Oddinus Bargia, Guarnerius Guibertus, Becus de Anea,

Cavallinus Rufinus, Nicholaus de Morello, Guillelmus de Alamanna, Nicholaus de lucha, Nicholaus Nigrinus, Bellottus Cornator, Johannes Ferrarius et Jacobus eius filius, Amedeus de Ruella, Jacobus de lorra, Anfusus Zocherius, Gandulfus de Sale, Bartholomeus Umbra, Consini, Otto Molinarius, Gandulfus Bo doraya, Guillelmus de Cavalerio, Otto de Sommano, Guillelmus de Rimayra, Otto Tigerius, Guillelmus Taglonus, Jacobus Novellus, Otto Bellez, Ascherius, Grugnus, Jacobus Oliverius, Aymonetus de Manna, Obertus de Mella, Aymericus et Joannes frater eius, Otto Tratallus, petrus Toglanal, Barthonthus Ortollanus, Petrus Ansaldus, Guillelmus Alnerius, Petrus de Aleza, Johannes de Bona, Guillelmus provincialis, Buninus Calearius, Sysmondus de Camayrana, Otto Burnus, Daniel de Marenis, Foacia Grixanus, Matheus de Marenis, Henricus Affllicanus, Anselmus Fornarius, Gilius Carusus, Jacobus Carusus, Dalmacius Canis, Willelmus Marchio, Jacobus Grana, Ghigotus, Otto de Cavalerio, Johannes Vulpianus, Johannes Bargianus, Bartholotus de Saona, Bartholinus de Monforte, Guillelmus de Costeglolis, Bonefacius magister, Raymondus de Mayo, Raymondus de Marzana, Johannes de Fontanis, Johannes Molinarius, Guillelmus Decimarius, Fulchardus, Henricus Curialis, Obertus de Cambiano, Nicholaus Griglus, Petrus Mulinarius, Jacobus Botta, Guillelmus Formagius, Johannes pennellus, Henricus de Sarmatorio, Michael de Genemilla, Petrus Astexana, Rodulfus Vulpianus, Guillielmus Valentus, Guillelmus Rocetus, Petrinus Calearius, Jacobus penellus, Johannes de Jenevula, Obertus de Plota, Martinus Calearius, Peyretus de Brenicio, Otto Rubeus, Girardus Thoscanus, Rubeus de Vigono, Nicholaus Bacochus, Petrus de Villica, Nicholetus de Rualonga, Thomas de luagrasio, Guillelmus de Vilica, Andreas Striperius, Jacobus Provincialis, Martinus Vafredus, et Cavallus, Astexanus de Rimayra, Petrus Novellus, Henricus de Buscha, Trencherius, Nicolaus Berardus, Stephanus de Buella, Martinus Fulcardus, Girardus Garellus, Martinus de Ascherio, Guillelmus Grillus, Bonefacius, Otto Grugnus, Maschar Taglardus, Aycardus levetus, Raymondus Farcitus, Petrus de Berta, Johannes Testor, Petrus Garberius, Johannes de livaldisio, Henricus Murellus, Petrus Gribaldus, Jordanus, Otto Boverius, Petrus de Andrea, Nicholaus Afflicanus, Guillelmus Galletus, Jacobus dolnellus, Vivancius Aprilis, Otto de Calianzana, Rodulfus de Braya, Peronus Giba Rubea, Germanus Bovetus, Viglonus, Oddinus de Sarmatorio, Hugo Rubeus, Jacobus Traversa, Stephanus Bergognus, Amedeus Maynfredus, Beiamus, Alarius Bigot, Ansaldus de Bellico, Andreas Ysachus, Fiardus, Johannes Bayus, Johannes Spiayrolius, Teus iudex, Johannes de problex, Albertus de Arnulfa, Peyre Garcius, Maynfredus Wilietus, Willelmus pulerius, Johannes portavinus, Guillelmus Beardus, Jacobus Rubeus, Ogerius Marzarius, Petrus de cellis, Guillelmus Rollandus, Jordanus Vastroglus, Johannes Amazabo, Otto doneator, Johannes deanus, Guido Grassus, Jacobus Buffus, Martinus de Vignolio, Johannes pelliparius, Jacobus pullaster, de persenda, Stephanus pullaster, Obertinus Reimbaldus, Peyre provincialis, Petrus provincialis, Guillelmus de Burgo, Johannes Ranincura, Michael Ansermus, Strapunterius, Maynfredus de Marenis, Johannes Surdus, Petrus Arlotus, Turrinus pisanus, Guillelmus Testor, Johannes Valentus, Johannes de Ymoda, Viglezonus de Caronglo, Petrus de Rivoglosso, Johannes de Cavalerio, Conradus Bunolus, Obertus Musatus, Garinus, Jacobus Vigonus, Johannes de Cellis, Bonusiohannes Cardonus, Rufinetus, Anselmus de Cunio, Anricus

de Marino, Petrus Clericus, Ulrietus Guigrezonus de Cavalerio, Johannes Grassus, Bartholomeus becarius, Sismondus Textor, Caurietus, Otto Fotanus, Johannes Columbus, Ugo de Armellina, Guillelmus Formica, Petrus Molinarius, Petrus de Anima de Bricarasio, Girardus de Fabis, Albertus eius filius, Oddonus de dyano, Obertus Clanellus, Cumbertus Maxilerius, Andreas de Solario, Petrus Arnalfus, Robaldus Galvangnus, Maynfredus Taparellus, Raymondus Maxilerius, Petrus de Blancha, Johannes Cantellus, Ubertus Cantellus, Zarembaldus, Guillelmus Pochetinus, Guillelmus de Alaxa, Provenzala, Nicholaus Paruza, Sysmondus de Romanisio, Oddinus Gastaldus, Ascherius Tavanus, Frumentinus de Astrica, Bayamus Umbraasinj, Guillelmus Raspaldus, Ysahac, Jacobus Vallentus, Obertus dentus, Petrus Serventus, Petrus de villa, Maynfredus domponcius, Johannes de Villa, Henricus Fornerius, Jordanus Joculator, Benefatotus, Petrus Maxelerius, Aycardus Savarinus, Jacobus Provincialis, Petrus de Camayrana, Conradus de Strepeto, Nicholaus de lombriascho, Petrus Stracisius, Johannes Sacrator, Henricus Cacharellus, Rufinus Jacobus, Sextayranus, Ardicio Berrardus, Jordanus Burnus, Centallus, Maynfredus Taparellus, Guillelmus de Fontanis, Johannes Sacherius, Guillelmus de enviis, Guillelmus de Rualonga, Guillelmus de Furno, Henricus Mayalis, Jacobus Fornarius, Jacobus Gazola, Andronus de Orchis, Cossa Mazan, Wido Formica, Gualterius, Henricus Bota, Jacobus de Ruella, Guillelmus Wlpianus, Ubertus Barro, Aycardus Cutis, Jacobus Sovenaculus, Guillelmus Formagerius, Guilelmus peiatorius, Anselmus de Benevello, Guilelmus panisetvinum, Leo Sextayronus, Bonefacius de Jacobo surdo, Otto Rubeus, Michael Clericus, Guillelmus Galopinus, Petrus Rubeus de Strepeto, Johannes decanus, Ottonus de porta, Amedeus Barlatus, Odonus Burgnonus, Garnerius, Johannes Francesius, Robaldus Cesareus, Maynfredus porcellus, Petrus Corderius, Ugo de Solerio, Guillelmus Fornerius, Guillelmus Ravetus, Hugonus, Petrus Barbierius et Guillelmus Calegarius.

713. *De pace concordia et fraternitate et multis conventionibus factis inter dicta communia Ast et Savillianj.* 1277. 29 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo Indictione Quinta die martis vigesimo nono mensis decembris, Hec est forma pacis et concordie et societatis tractate habite atque firmate in perpetuum inter comune et homines et cives Astenses et vasallos et coadiuctores eorum ex una parte, et comune et homines Savilliani et dominos et homines Morete ex altera. Imprimis fecerunt et ordinaverunt perpetuam societatem et fraternitatem ita quod teneantur facere guerram omnibus inimicis alicuius dictorum communium, Et quod unus non possit facere pacem vel treuguam vel guerram recreutam sine voluntate et consensu alterius. Item actum est inter predictas partes, quod comune Ast, nec aliqua alia singularis persona de Ast nec de districtu Ast non possit nec debeat facere aliquam forteliciam in Savilliano vel districtu Savilliani, Et si aliquis fecerit aliquam forteliciam contra voluntatem dictorum de Savilliano, commune Ast teneatur cum dictis hominibus de Savilliano dictam forteliciam funditus et penitus destruere. Item statuerunt quod comune Ast nec aliqua singularis persona de Ast nec de districtu Ast non possit acquirere iura in totum vel in partem que fuerunt dominorum de Savilliano vel alterius persone, Et si aliquis alius ipsa iura acquireret, promisit comune Ast una cum ipsis de Savilliano,

ipsa iura defendere ab omnibus qui ipsa iura acquirerent vel acquisivissent. Item statuerunt quod omnes carcerati qui sunt in forcia communis Ast vel alicuius de districtu Astensi vel alicuius de parte Astensi libere relaxentur a carceribus. Eodem modo si de hominibus de ast vel de virtute et parte communis Astensis aliqui sunt in carceribus solvendo dicti carcerati moderatas expensas factas pro custodibus et eorum expensis, excepto quod domino Ogerio de Ogerijs restituantur libre centum Astenses quas solvit pro sua redemptione pro comuni Albe, et moderentur expense quas fecit. Item statuerunt quod homines de Ast et de districtu Astensi sint immunes ab omni prestatione pedagij et maletolte et cuiuslibet exactionis in Savilliano et districtu, Et eodem modo illi de Savilliano sint immunes a predictis prestationibus in civitate Astensi, et posse, Solvere tamen teneantur illi de Savilliano in civitate Astensi ad modum civium civitatis Astensis, Et illi de Ast et de posse Astensi teneantur solvere in Savilliano et posse ad modum et formam hominum de Savilliano. Item statuerunt quod Rufinus et oddo Cappa fratres et filij eorum extrahantur de bannis et condemnationibus et canzellentur de omnibus bannis in quibus reperirentur esse pro facto Ypolitorum et deatorum, Et quod potestas et Capitaneus et sapientes de Ast procurent toto eorum posse bona fide quod fiat pax et composicio inter predictos Rofinum Capam et fratrem et filios ex una parte et ypolitos et deatos ex altera. Et si dicta pax non fieret, quod banna imposita pro facto Mercurolij, et statutum quod loquitur, qui alium interfecerit occidatur, habeat locum et observetur contra illos qui offenderent predictos cappas, quousque pax esset facta inter predictos. Item statuerunt quod ogerij Bricij et illi de Cerverijs et dominus Brunus de Monfalcono et dominus Rocha et filius et dominus Jacobus de drua et filij eius et omnes alij de Savilliano qui reperirentur esse banniti communis Astensis extrahantur et canzellentur de bannis et condemnationibus in quibus reperirentur. Et eodem modo omnes illi de Ast et de districtu Astensi qui reperirentur banniti communis Savilliani extrahantur et canzellentur de bannis et condemnationibus supradictis. Item statuerunt quod omnia damna data et facta hinc retro occasione presentis guerre remittantur hinc inde, Et fiat expressa remissio a quolibet communi et quolibet predictorum de offensionibus factis per comune vel per aliquam singularem personam. Item statuerunt quod comune Ast debeat dare forciam et virtutem hominibus Savilliani ad recuperandum fodra imposita villis et locis eisdem subiectis, et de quibus ostenderint publica instrumenta. Item statuerunt quod commune de Ast debeat tenere munitionem in Savilliano, tempore guerre usque in quinqueginta milites et plus secundum quod communia Ast et Savilliani essent in concordia, et videretur esse necesse et utile. Item statuerunt quod homines Savilliani possint facere societatem et iuramenta cum hominibus Albe Fossani et Montisregalis et alijs amicis communis Astensis, salvis semper in omnibus pactis et conventionibus communis Astensis. Item quod commune Ast non faciet pacem cum comuni et hominibus Claraschi, nisi homines Claraschi primo restituerint communi et hominibus Savilliani turrim et castrum Montismaioris. Item statuerunt quod comune et homines Savilliani sint liberi et absoluti ab omni prestatione census vel alterius daciti quod dare tenerentur communi secundum veteres conventiones et pacta, et hoc intelligatur tam tempore preterito quam de futuro. Item statuerunt quod si aliquis de Ast a tempore predicte guerre

citra acquisierit et habuerit laudem vel represaliam vel sentenciam laudis contra comune vel aliquam singularem personam Savilliani quod sint casse et nullius valoris, Et si aliquis de Savilliano vel homines Savilliani habuissent represalias vel laudem vel sentenciam laudis contra commune Ast vel aliquam singularem personam de Ast vel de districtu Astensi, sint casse et vane et nullius valoris, salvis tamen omnibus debitis, que de iure deberentur ab aliquo de Savilliano alicui Astensi vel de districtu vel ab aliquo de Aste seu de districtu alicui de Savilliano. Item statuerunt quod omnes strate communis Astensis et omnium de parte communis Ast sint aperte et libere hominibus de Savilliano et eius districtu, ita quod per ipsas possint Ire et redire ad eorum liberam voluntatem ferendo et apportando victualia et mercandiam per terram Marchionis Saluciarum, non extrahendo ipsa victualia et mercandiam de terra ipsius, nisi de eius processerit voluntate, Et homines de Ast et de virtute Astensi et eorum parte possint libere Ire et redire per stratas et vias Savilliani et posse, et quod dicte strate sint aperte. Item statuerunt quod homines Savilliani libere possint eligere potestatem undecunque voluerint, dum tamen non eligant de terra aliqua que sit inimica communis Astensis, vel alicuius de parte Astensi, nec aliquem possint eligere qui sit inimicus communis Astensis vel alicuius de parte Astensi. Item requirunt homines Savilliani quod ex gratia speciali concedatur eis per commune Astense quod non debeant nec teneantur facere aliquam miliciam per comune usque ad festum sancti Michaelis proxime venturum. Item quod comune et homines de Ast debeant et teneantur facere restitui et reddi ponterijs de Savilliano et cuilibet alteri persone de Savilliano omnes res et iura que et quas ipsi habebant in Brayda, et que ipsi ponterij probare poterunt sua esse, Salvo eo quod si vendidissent vel obligassent seu alio modo alienassent aliquid de predictis rebus, dum tamen hoc probaretur per instrumentum vel testes, quod non teneantur dicti Astenses facere eis restitui ipsas res, quas vendidissent vel aliter obligassent verum hoc teneantur cognosci facere summarie et sine strepitu iuris, Et hoc intelligatur similiter tam in alijs terris comunis Astensis quam in loco Brayde. Item statuerunt quod si contigerit homines civitatis Astensis aliquo tempore Ire Savillianum, et tunc ibidem aliqua rixa seu discordia oriretur Inter ipsos et homines Savilliani et eius districtus, pro qua rixa aliquis esset mortuus seu moriretur, quod super hoc intelligatur et observetur capitulum Mercurolij, videlicet quod qui alium occiderit moriatur. Item statuerunt et ordinaverunt, quod comune Astense teneatur recipere homines Cuney et loci Busche de pedemontibus, et non de illis de Cossano, si voluerint venire ad pacem cum comuni Astensi usque ad Madium proxime venturum ad modum et formam, quo et qua recipiunt homines Savilliani, observantibus pactis et conventionibus que sunt inter comune Cuney et homines Savilliani, ita quod dicta communia sint libera inter ipsa, salvis pactis et conventionibus communis Astensis et omnium amicorum et iuratorum. Item statuerunt et ordinaverunt quod Jacobus Cicer sit per se et suos heredes Immunis perpetuo ab omnibus fodris prestis taleis, dacitis et condictionibus, de terris et possessionibus quas nunc habet in caballario et posse. Item statuerunt quod aliqui de districtu Ast et de parte communis Astensis, seu de societate dicti comunis non possit facere nec debeat treuguam sine expressa voluntate omnium communium locorum dicte societatis vel maioris partis. Item statuerunt et ordinaverunt quod omnia supradicta capitula et ordinamenta scribantur et denotentur

in capitulo civitatis Astensis, ita quod decetero perpetuo attendantur et observentur, Et hoc similiter intelligatur quod supradicta poni et scribi debeant in capitulo Savilliani. Quam pacem et concordiam et omnia et singula suprascripta, dominus Manuel de Nigro potestas Astensis, dominus Obertus Spinola Capitaneus Astensis populi et quatuor sapientes civitatis eiusdem, scilicet dominus Jacobus layolius, Bonefacius de Gorzano, Mellanus de Solario et Tadeus Cavazonus quibus commissa sunt universa communis negocia facienda voluntate consilio et consensu credencie dicte civitatis, et ipsi credendarij seu consiliarij per campanam et nuncios more solito congregati eorum nominibus et nomine et vice communis Astensis et districtus eiusdem civitatis et amicorum et coadiuctorum eorum ex una parte, et dominos Rufinum Cappam et Jacobum Cicerum sindicos et procuratores communis et hominum et universitatis Savilliani, eorum nomine et dicti comunis et hominum et universitatis et dominorum et hominum de Morreta, de quo sindicatu apparet publicum instrumentum factum a Jacobo de Marenis notario Anno domini MCC°LXX°VI.° Indictione quarta, die XVIII.° decembris ex altera, promiserunt sibi adinvicem stipulatione solemni, et ad sancta dei evangelia tactis scripturis corporaliter iuraverunt attendere et observare et rata et firma habere et tenere perpetuo et attendi et observari facere et curare, Et bona fide facere quod predicta omnia attendantur et perpetuo observentur, non obstantibus aliquibus conventionibus juramentis treuguis seu aliquibus alijs promissionibus vel obligationibus quibuscumque hinc retro factis cum aliqua persona collegio vel universitate, vel etiam decetero faciendis, Sed predicta omnia et singula perpetuo observentur et fiant, ut supra dictum est et semper in suo robore perseverent, per inde ac si nulla treugua, nulla convencio nullaque obligatio nec aliqua alia promissio facta foret. Pro quibus omnibus et singulis attendendis et perpetuo observandis una pars alteri, vicissim omnia bona dictorum communium pignori obligaverunt, Renunciantes in omnibus et singulis supradictis condictioni sine causa, et ex iniusta causa doli et in factum et omni alij exceptioni et juri. Et inde tot instrumenta iussa sunt fieri, quot partes voluerint. Actum Ast super voltis de Sancto in pleno consilio. Interfuerunt testes Mellanus Specialis, Rollandinus de Cumignano, Gantus Guardeta, Jacobus Malbechus, Bochonotus preco communis, et pluribus alijs.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

714. *De sentencia lata per quosdam arbitros inter communia Ast et Albe pro una parte, et comune Savilliani ex altera, In qua inter alia continetur quod dare debeant anuatim in festo sancte Marie de medio Augusto comunibus Ast et Albe nomine census tantum, quantum dare consueverunt Alexandrinjs etc.* 1252. 19 Augusti.

Anno domini a nativitate Millesimo ducentesimo quinquegesimo secundo Indictione decima, quod fuit die decimo nono Augusti, Super discordijs et controversijs que vertebantur seu verti sperabantur vel esse possent aliqua de causa inter comune Astense et comune Albense ex una parte et comune Savilliani ex altera, dominus Symon Curolius Albensis potestas et dominus Otto Albericus potestas Cuney et Ricolinus pelliparius et Bonefacius Baratatus ambaxiatores comunis Cuney arbitri ellecti et amicabiles compositores nomine dictorum comunium ut apparet per tria instrumenta unum

quorum factum fuit per me Anselmum infrascriptum notarium sub anno domini MCC°LII.° Indictione decima die..... mensis Julij, et per aliud instrumentum factum per Jordanum Capitalem notarium eodem anno et mense die secundo exeuntis Julij, et per aliud factum per me Anselmum infrascriptum notarium eodem anno et mense die XVI Julij, volentes predicti inter predicta loca et super predictis discordijs amicabiliter componere, pronunciaverunt per sentenciam ut inferius continetur. Inprimis dixerunt et pronunciaverunt quod dictum comune Savilliani et homines ipsius loci habeant et recipere teneantur potestatem seu Rectorem de civitate Astensi et Albensi secundum pactiones et conventiones initas inter comune Astense et Albense ita quod comune Savilliani potestatis et rectoris qui pro tempore fuerint in dicto loco Savilliani, nullo modo diminuatur vel diminui possit, Sed tantum dent, quantum consueverunt et plus si voluerint. Item quolibet anno in festo sancte Marie de medio Augusto nomine census dent comuni Astensi et Albensi id totum quod dare consueverunt Alexandrinjs. Item quod predicti homines Savilliani dent eorum dominis dricta et ficta et alios rectos redditus, quos eis hactenus dare consueverunt, Exceptis successionibus quas nullo modo dare teneantur, nec teneantur dare tercium vel quartum terrarum venditarum vel aliquod aconzamentum de ipsis terris venditis vel que deinceps venderentur, ita tamen quod ipsi domini vel aliquis alius qui haberet causam ab eis vel ab aliquo ipsorum vel decetero acquireret, vel hinc retro aquisivisset, nullum contitum nullamque iurisdictionem in dicto loco Savilliani habeant vel habere possint, sed ipsi homines Savilliani semper predicta habeant et illis permaneant, Salvis tamen redditibus supradictis. Item quod fines Savilliani dividantur a finibus Cabalarijmaioris, ita tamen quod terre et possessiones hominum Caballarij que sunt in teritorio Savilliani teneantur hominibus Sávilliani in omnibus respondere sicut alie terre et possessiones hominum Savilliani que sunt in teritorio Savilliani, Salvis semper rectis redditibus eorum dominis, Et versa vice terre et possessiones hominum Savilliani, que sunt in territorio Caballarij teneantur respondere in omnibus comuni Caballarij sicut alie terre et possessiones hominum Caballarij, que sunt in territorio Caballarij, Salvis semper rectis redditibus eorum dominis, Et predicti confines dividantur per quatuor homines ad hoc specialiter electos per comune Savilliani et homines Astenses. Item quod homines Savilliani teneantur respondere de iure et jus facere hominibus Fossani de lovaudisio et Genevola, sub comuni Astensi. Item quod homines Savilliani sint et esse debeant cives civitatis Astensis et Albensis, et pro comunibus dictorum locorum facere vivam guerram et veram pacem contra quamlibet personam, et loca et homines dictorum locorum salvare et custodire ubicunque eos invenerint pro eorum posse, Et versa vice comune Astense et Albense teneantur facere vivam guerram et pacem pro comuni Savilliani contra quamlibet personam, Et homines Savilliani et eorum posse et districtus ubicumque eos invenerint, pro eorum posse salvare et custodire, salvis eorum civibus et vasallis, Et addito quod si aliquis civis vel vasallus civitatis Astensis vel civitatis Albensis offenderet in aliquo comune et homines Savilliani seu eis damnum daret, et illam offensam seu damnum non restitueret infra unum mensem postquam requisitus et admonitus esset per predicta comunia Ast et Albe, tunc homines predictorum locorum teneantur facere vivam guerram his qui predicta damna seu offensam fecissent, donec de predicto damno et offensa esset comuni et hominibus

Savilliani satisfactum, Et dicta admonitio et requisitio incontinenti fieri debeat per comunia Ast et Álbe postquam requisita fuerint per comune et homines Savilliani. Item quod de acquirendis aliquibus iuribus seu rebus in loco Savilliani et posse per homines Ast et Albe id fiat et observetur, quod factum fuit hominibus Cuney et secundum quod in eorum instrumento continetur. Item quod de omni damno quod hinc retro dedissent homines Savilliani, hominibus Caballarij occasione alicuius guasti vel alicuius robarie seu captionis hominum vel qualibet alia occasione, Et de omnibus fodris hinc retro impositis, que homines Caballarij seu homines Ast nomine ipsorum ab hominibus Savilliani petebant seu petere possent comune et homines Savilliani penitus absolvunt. Eodem modo absolvunt homines Caballarij ab omni damno guasto et robaria, quam et quod fecissent seu dedissent hominibus Savilliani, et de omni fodro hinc retro imposito hominibus Caballarij per homines Savilliani. Actum Albe in ecclesia sancti laurentij ubi fuerunt testes vocati et rogati dominus Ogerius Rapa, dominus Henricus Bauduinus, Petrus Margocius, Guillelmus de Bella, Jordanus Capitalis, Sysmondus Carceretus, Guillelmus presbiter, Philibertus de viticulis, Bozaria.

Et ego Anselmus de Morocio notarius hjs omnibus presens interfui, et inde tria vel plura instrumenta eiusdem tenoris rogatus scripsi.

CXXI. Locus Montisregalis, aliter Montisvici.

Hic depingatur locus Montisregalis.

715. *De quibusdam conventionibus factis inter Astenses ex una parte et homines de Monteregali ex altera in quibus inter alia continetur quomodo ipsi de Monteregali effecti sunt cives Astenses, debendo dare fodrum in comuni Ast de libris Quingintis, et facere pacem et guerram pro dicto comuni, Salvo Episcopo Astensi et quibusdam alijs.* 1204. 24 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quarto, Indictione septima die iovis octavo kallendas Julij, In nomine domini nostri yhesu Christi amen. Ad onorem et servicium domini nostri yhesu Christi et beate Marie Virginis et sancti Secundi Martiris et omnium sanctorum et sanctarum dei, homines de Montereali efficiuntur cives Astenses hoc modo videlicet quod debent emere domum in Aste precij vigintiquinque librarum Astensium usque ad proximum festum dei natalis, nisi absolto potestatis Astensis et credencie remanserit, quam non liceat postea eis in aliquo tempore vendere nec obligare nec ullo modo alienare sub aliquo ingenio, Et debent dare fodrum in Aste de extimatione librarum Quadrigintarum Astensium vel Januensium, quotiens civitas ad fodrum venerit, Et debent facere pro communi de Aste de domo eorum et de omni parte quacumque poterunt pacem et guerram omnibus personis et locis cum quibus homines de Aste guerram habuerint vel fecerint et debent guerram incipere et facere bona fide et sine fraude infra quindecim dies proximos postquam a potestate vel a consulibus in Aste per tempora existentibus per se vel per eorum missum vel per eorum literas sigillo communis sigillatas inde fuerint requisiti, et ex illa guerra non debent postea facere pacem nec treuguam nec guerram recreutam sine consensu voluntate et absolto consulum vel potestatum in Aste per tempora existentium, et eorum

credentie per campanam congregate tocius vel maioris partis, Et debent homines de Aste et de virtute Astensi et eorum terram salvare et custodire in personis et in rebus, et eos adiuvare et defendere ubicunque poterunt bona fide et sine fraude contra omnes homines et omni tempore. Hoc totum quod supra legitur illi de Montereali facere debent, salvo domino Astensi Episcopo, ita quod supra suam terram donneam non teneantur equitare, et salvis illis de Cuneo et de burgo sancti dalmacij et de Romanisio et de Savilliano, et salvo domino Anselmo de Batifollo, Et salvis illis de valle Arocie, et salvis omnibus habitatoribus Montisrealis, et salvo domino Manfredo lancea, ita quod supra suam terram equitare non teneantur, nec permittere hominibus de Aste eum capere in eorum posse, Et si ipse Mamfredus aliquod eorum conventum frangeret eis, ipsi non debent postea aliquod pactum nec aliquod conventum cum eo facere, nec eum pro habitatore recipere sine absolto consulum vel potestatum in Aste per tempora existentium dato cum consilio credencie per campanam collecte ymmo eum decetero debent pro eorum inimico tenere et ei guerram facere si consules vel potestates in Aste per tempora existentes per se vel per eorum missum vel per eorum literas eis dixerint vel mandaverint, Et siquid in hoc facto cum consilio potestatum vel consulum in Aste et in montereali per tempora existentium et eorum credenciarum additum vel diminutum fuerit, de addito teneantur et de diminuto absolvantur. Homines enim de Aste debent illos de Monterealj in eorum cives et pro eorum civibus hoc modo recipere videlicet, quod debent eos salvare et custodire et manutenere sicut eorum cives et specialiter in Monterealj, Salvo domino Astensi Episcopo, et salvo pacto et convento, quod illi de Monterealj fecerunt cum Astensi Episcopo, quod ei tenentur attendere, Et salvis omnibus civibus et habitatoribus de Aste, et salvo domino Guillelmo de Ceva, et salvis illis de Cuneo et de Savilliano et Romanisio et salvis illis de Cario, et de Testona, Et salvo Mediolano et salva papia et salvis omnibus alijs eorum sacramentis et eorum iuratis, Et si quid in hoc facto additum vel diminutum fuerit cum consilio potestatum vel consulum in Aste per tempora existentium et eorum credenciarum de addito teneantur et de diminuto absolvantur, et secundum quod supra legitur et continetur, tam ex parte Astensium, quam ex parte illorum de Monterealj, dominus Oliverius Avianus potestas Astensis cum consilio credendariorum Astensium per campanam et per nuncium ibi congregatorum nomine et vice communis Astensis illos de Monterealj scilicet Ottonem Cavallum et Anselmum doglum qui profitentur se hoc facere cum consilio vicinorum eorum et eorum credencie de Monterealj et Henricum Medicum et Anselmum Bicum, Nicholaum de Veola, Maynfredum de Govonio, Guillelmum doncellum, Guillelmum de Carasono, Aycardum Bovardum et Jacobum Garellum, suo nomine et nomine aliorum omnium qui sunt et fuerint in Monterealj pro civibus Astensibus et in cives Astenses recepit, qui omnes supra nominati iuraverunt supra dei evangelia totum hoc quod supra legitur ex parte illorum de Monterealj, ex eorum parte bona fide et sine fraude attendere et observare, et facere iurare omnes illos de Monterealj a XV annis usque ad LXX bona fide et sine fraude illud idem attendere, et quod hoc complebunt infra octo dies, postquam inde fuerint requisiti, nisi absolto potestatis de Aste vel sui certi missi remanserit. Et similiter sic ut supra legitur ex parte Astensium dominus Oliverius Avianus potestas Astensis nomine communis de Aste iuravit supra

dei evangelia attendere bona fide et sine fraude tempore sui regiminis. Item Guillelmus Cargia, Albertus Crivellus, Petrus de Aracio, Guillelmus filius quondam Uberti de Cario, Henricus Soldanus, Bonus iohannes Careocius, petrus de Rocha, Mussus Trosellus, Ardicio Bertramus, Marchisius Gardinus, Berardus Benedictus, Albertus de porta, et Rollandus Cacayranus omnes de Credencia iuraverunt supra dei evangelia hoc idem quod ex parte Astensium supra legitur et continetur, attendere omni tempore bona fide et sine fraude. Actum urbe Aste in ecclesia sancti Johannis de domate coram credencia per campanam et per nuncium congregata. Testes Berrardus de Valgrana, Conradus de drua, Travazanus de Cuneo, Raymondus Beyamus de Savilliano, et plures alij.

Ego Jacobus Boviculus hanc cartam scripsi.

CXXII. De Morocio.

716. *Quomodo illi de Morocio sunt effecti cives Ast debendo dare fodrum de libris trecentis Astensibus in comuni Ast, Ac facere pacem et guerram exercitus et cavalcatas pro dicto comuni et recipere potestatem de civitate Ast etc.* 1233. 6 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo trigesimo tercio Indictione sexta, die sabbati sexto intrante Augusto, Hec est forma civitanatici hominum de Morocio, videlicet quod prandus consul eiusdem loci et Bonefacius Cavalerius sindici hominum de Morocio ut apparebat per instrumentum factum per Rodulfum notarium, In anno domini MCC°XXX°III°, Indictione sexta die dominico secundo kallendas Augusti, voluntate et consensu consilio et precepto dominorum de Morocio scilicet domini Astensis Episcopi et aliorum dominorum de Morocio eorum nomine et nomine hominum de Morocio et communis dicti loci constituerunt sese et fecerunt cives et habitatores Astenses in perpetuum per se et heredes eorum, promittentes predicto nomine per se et homines de Morocio dictum citaynaticum firmum habere et facere pro communi Astensi Oste iter exercitus et cavalcatas succursum et reductum dare, Et facere pacem et guerram ac treuguam et omnia alia, quemadmodum faciunt illi de porta Archus, preter quod non teneantur venire facere rationem in Ast, nisi de contractibus qui decetero celebrarentur in Ast vel in posse cum hominibus de Ast vel de posse Astensi, nec venire habitare in Ast nisi esset de voluntate alicuius venire stare in Ast, Et promiserunt dare fodrum nomine hominum de Morocio de libris Trecentis Astensibus, quotiens civitas Astensis ad fodrum vel collectam communiter venerit. Item promiserunt accipere potestatem de civitate Astensi quotiens voluerint regi per potestatem, qui non sit de loco Morocij, vel quod potestatem accipient ad voluntatem communis Astensis, Sed si vellent regi per consulatum, vel per potestatem Morocij illud facere possint, et consules capere possint vel potestatem de loco Morocij si voluerint, Unde dominus Alerius de Millanno potestas Astensis vice et nomine communis Astensis voluntate credentie per campanam congregate, et ore ad os interogate et scripte, Ipsos eorum nomine et nomine omnium hominum de Morocio, recepit in cives Astenses, Promittendo dictis sindicis eorum nomine et predicto, Comune Morocij et homines illius loci et heredes et res eorum salvare et custodire, defendere manutenere et

adiuvare omnibus modis et partibus quemadmodum tenetur alios cives de Ast et de posse Astensi adiuvare defendere et manutenere. Et hec omnia facta sunt salvis rationibus et consuetudinibus hominum Morocij, Et salva carta quam domini de Morocio fecerunt ipsis hominibus de non dando eis fodrum nec alij pro eis. Hec omnia ut supra legitur dicti prandus et Bonefacius eorum nomine et nomine hominum de Morocio promiserunt et iuraverunt supra dei evangelia dicto domino Alerio potestati nomine comunis Astensis stipulanti attendere et observare et firmum tenere in perpetuum. Insuper dominus Nicholaus de Brayda habens ratum et firmum predictum citaynaticum illud approbavit et confirmavit quod fiat ut supra dictum est. Actum Ast in domo communis interfuerunt testes dominus Ardicio de Romagnano, Oddo durnasius, Raymondus de Solario, Filippus Thomas, Socius de Sancto iuliano. Et ibidem in presenti Isti de Morocio iuraverunt sequimen potestatis Obertus Sarmatorius et Guiellelmus Lombardus. Et inde sunt duo instrumenta unius tenoris, quorum unum hoc est pro communi Astensi.

Et ego Homodeus Gallus notarius pallatinus interfui, et sic rogatus scripsi.

CXXIII. De Cuneo seu de pizocunei.

717. *Quomodo illi de dicto pizocunei sunt effecti et esse debent in perpetuum cives Astenses dando fodrum in comuni Ast de libris Mille ianuensibus, Et faciendo omnia alia sicut alij cives habitatores Ast, Et quomodo tractari salvari et defendi debent per comune Ast, sicut alij cives habitatores Ast.* 1198. 23 Junij [1].

In nomine domini nostri Yhesu Christi amen, Ad honorem ipsius et beate Marie semper virginis et beati secundi martiris et beati dalmacij et omnium sanctorum et sanctarum dei, dominus pipinus de Vignolio, Berardus de valgrana et peire Rogna consules et rectores de picio Cuney nomine omnium hominum ibi habitantium et qui decetero ibi habitare venerint consilio et consensu expresso domini Abbatis ecclesie sancti dalmacij de Burgo ibi presentis [2], Talem concordiam fecerunt cum domino Alberto de Fontanna potestate Astensi [3] videlicet quod omnes de picio Cuney, qui nunc ibi habitant, et decetero in eodem loco habitare venerint, a presenti die in antea debent omni tempore esse cives Astenses, et debent emere domum in Astensi civitate de precio librarum quinqueginta Januensium [4], usque ad proximum festum sancti Martinj, quam postea non debent vendere donare infeudare pignori obligare nec aliquo modo a se alienare ullo tempore absque [5] parabola potestatis Astensis vel consulum [6] per tempora existentium et credentie eorum per campanam coadunate [7] tocius vel maioris partis, Et debent dare fodrum in Aste, quandocunque Astensis civitas ad fodrum devenerit de extimatione librarum mille Januensium, et pro ea extimatione a modo facere omnes mores et consuetudines et cetera scufia urbis Astensis sicut

[1] Documentum hoc exstat in Fragm. Taur. Cod. Oger. Alfer. fol. CCCXCVII. Huius lectiones varias hic afferemus. — [2] *presentibus.* — [3] Add. *nomine et vice tocius comunis Astensis.* — [4] *Astensium, januensium.* — [5] Add. *voluntate et.* — [6] *comunis astensis vel potestatis et consulum.* — [7] Add. *et.*

alij cives Astenses, Et insuper debent salvare custodire adiuvare et defendere homines de Aste et de virtute Astensi in rebus et in personis bona fide et sine fraude in toto posse suo et alibi quo poterunt[1], nec capere nec capi facere nec capi permittere aliquod pedagium toloneum nec aliquod scuffium ab aliquo homine Astensi et de virtute Astensi in tota eorum terra, nec in toto eorum posse, Et si forte homines de Aste vel homines de eius virtute Invenerint suum inimicum vel suum debitorem aut suum fideiussorem in eorum posse et terra[2], liceat eis illum ibi accipere[3] et quo voluerint ducere, Et ipsi ad hoc faciendum adiuvare debent homines Astenses[4] bona fide et sine fraude, Et debent hominibus de Aste exercitum et cavalcatam et succursum per comune et per divisum totiens quotiens potestas Astensis vel consules per tempora existentes eis dixerint vel mandaverint proprijs amissionibus sumptibus et expensis, et non debent relinquere homines de Aste in exercitu in cavalcata nec in obsidione castri absque parabola potestatis Astensis vel consulum per tempora existentium et eorum credencie per campanam congregate[5] tocius vel maioris partis. Quam concordiam ut superius[6] legitur in integrum iandicti pipinus de Vignolio, Berrardus de Valgrana et peyre suo nomine et nomine omnium hominum de picio Cunij qui ibi sunt et decetero ibidem fuerint, tenere firmam et omni tempore attendere et observare promiserunt domino Oberto de Fontanna potestati Astensi ad partem tocius communis Astensis stipulanti, et iuraverunt supra dei evangelia quod ipsi bona fide facient iurare omnes homines de picio Cunij qui nunc ibi[7] sunt et decetero ibi fuerint eandem concordiam omni tempore attendere et observare et eam firmam tenere nec removere ullo tempore, Salva fidelitate Dominorum suorum. Adinvicem vero[8] dominus Albertus de Fontanna potestas Astensis[9] promisit predictis pipino de Vignolio, Berrardo de Valgrana et peire Rongne consulibus et rectoribus hominum de picio Cunij nomine omnium hominum de Picio Cunij, qui ibi nunc[10] sunt vel decetero fuerint stipulantibus, eos salvare custodire adiuvare et defendere tanquam proprios cives Astenses, Salvis suis omnibus sacramentis, Et quod faciet iurare potestatem et consules post eum intrantes hanc concordiam ut supra legitur tenere firmam et eam attendere et observare, et quod ipsi facient iurare potestatem et[11] consules post illos intrantes, et illi alios eandem concordiam firmam tenere et attendere et observare et sic de anno in annum, Et ita ut predicta[12] concordia perpetuo et omni tempore ut supra legitur attendatur[13] et observetur. Actum in Romanisio in brolio ecclesie sancti Petri anno dominj Millesimo centesimononagesimo octavo Indictione prima die martis nono kallendas Julij feliciter. Interfuerunt testes Jacobus de Roata[14] potestas Romanisij, Conradus de drua eiusdem loci, Ardicio Bertramus, Guillelmus Ratio, Magister Petrus Becharius, Nicholaus de Sancto iohanne, Petrus Turellus, Guillelmus de Roncalio, Anselmus de[15] prato et plures alij.

Ego Thomas notarius Rogatus interfui et scripsi[16].

[1] *poterint.* — [2] Add. *illorum.* — [3] *capere.* — [4] Add. *et de eorum virtute.* — [5] Add. *et.* — [6] *supra.* — [7] *ibidem.* — [8] Deest *vero.* — [9] Add. *nomine et vice comunis astensis.* — [10] *ibidem non.* — [11] *vel.* — [12] *supradicta.* — [13] *attendere.* — [14] *toata.* — [15] Deest *de.* — [16] Addit *Et est in libro veteri folio* XLVIII.

718. *Quomodo Guillelmus Guarnerius (et fratres eius) sunt effecti cives Astenses debendo dare fodrum in Ast de libris L. usque ad quinquenium Et ab inde in antea debent dare fodrum et alia omnia facere et tractari sicut alij cives habitatores Ast.* 1237. 19 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo trigesimo septimo Indictione decima die martis decimonono intrantis Madij presentia infrascriptorum testium, Guillelmus Guarnerius suo nomine et fratrum suorum, nomine Aycardi, Rodulfi et Guarnerij filiorum quondam Uberti Guarnerij constituerunt se se cives Astenses et habitatores civitatis Astensis in manibus domini Ravarinj de Bellotis potestatis Astensis recipientis nomine communis Astensis, tali modo, quod dictus Guillelmus promisit facere suo et predicto nomine stallum et habitaculum in civitate Astensi et solvere fodrum usque ad quinque annos de libris quinqueginta Astensibus, quotiens civitas Astensis ad fodrum pervenerit, Et a quinque annis in antea solvere fodrum per se et predictos promisit perpetuo sicut alij cives et facere ceteras condictiones sicut alij cives Astenses. Ea propter dictus dominus Ravarinus potestas consensu et voluntate utriusque credentie et Rectorum Societatum more solito per campanam et nuncios congregate et ore ad os interogate et scripte dictum Guillelmum suo nomine et fratrum suorum recepit ut supra dictum est in civibus Astensibus. Et promisit facere dictus Guillelmus fieri dictis suis fratribus dictam constitutionem stallum et habitaculum dicti citaynatici ut supra dictum est et sub eadem conditione et forma, Et inde dictus Guillelmus suo et predicto nomine dicto potestati recipienti nomine dicti communis omnia eorum bona pignori obligavit. Actum Ast sub voltis de dom, Testes Roffinus de Rippa et Everardus notarius. Item eodem anno et Indictione die iovis terciodecimo intrantis Augusti, testes Maynfredus Ruscharolius et Jacobus de Burgognono, Alexander de Jaffa nuncius et procurator Guarnerij Aycardi et Rodulfi filiorum quondam Uberti Guarnerij ad hoc specialiter constitutus nomine predictorum confirmavit et ratificavit citaynaticum et pactum et obligationem occasione ipsius citaynati factam per Guillelmum Guarnerium fratrem predictorum in manibus domini Ravarinj de Bellotis potestatis Astensis, domino Guillelmo de Casalonio Judici dicti domini Ravarinj nomine communis Astensis recipienti presente dicto Guarnerio et consenciente et similiter pro se promittente nomine suo et predictorum fratrum suorum nomine predicta tenere et habere firma perpetuo et omnia facere nomine predicto et complere que in carta predicti citaynatici ipsius Guillelmi facta per me Albricum de Cumignano eodem anno et Indictione die martis decimonono intrantis Madij continetur, Et inde dictus Alexander nomine predictorum omnia bona ipsorum dicto domino Guillelmo de Casalorcio iudici recipienti nomine comunis Astensis pignori obligavit. Actum Ast testes supra scripti.

Et ego Albricus de Cumignano notarius pallatinus interfui et scripsi.

719. *De iuribus comuni Astensi contra comune et homines Cuney titulo venditionis cessis per dominum philippum Scarampum et socios de uno debito librarum DCXLVI. Astensium de capitali, et librarum CXLVII. pro custodia castri Busche, ipsis creditoribus pro dicto debito specialiter nomine pignoris obligati.* 1280. 13 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo, Indictione octava die sabbati terciodecimo mensis Aprilis presentia testium infrascriptorum, Apparebat per instrumentum unum factum per Franzonum pallidum notarium in anno domini MCCLXXVIIII° Indictione VII^a^ die mercurij XXII° novembris, quod dominus Manuel pelleta potestas Cuney consilio et consensu domini Jacobi paxerij, Nicholai Cabalarij, Anselmi Ribbe et Nicholai paxerij consulum electorum et credendariorum dicti loci super pallacio communis Cuney sono campane et voce preconis more solito congregatorum, et ipsi consules et credendarij auctoritate dicti domini potestatis eorum nomine et nomine communis Cuney fuerunt confessi se se mutuo recepisse et habuisse a dominis Filippo Scarampo, Rollando Thoma, Gutuerio et Guillelmo de Gutuarijs et Vivaldo Rogla eorum nomine et nomine Vivencij Trosellj libras sexcentumquadraginta sex Astenses, Renunciantes exceptioni etc. Quos denarios predictus potestas consilio dictorum consulum et credendariorum et ipsi consules et credendarij eorum proprijs nominibus ita quod quilibet insolidum teneatur, nomine et vice communis Cuney promiserunt eisdem creditoribus eorum et predicto nomine stipulantibus dare et solvere in civitate Astensi inde ad festum Carnisprivij proxime venturum. Et insuper promiserunt eorum et predicto nomine stipulantibus predictis creditoribus eorum et predicto nomine, dare eis nomine pene omni mense a termino in antea libras Centum Astenses, Confitentes dicti potestas consules et credendarij eorum et predicto nomine ipsas libras Sexcentumquadraginta sex versas esse in utilitatem ipsorum et dicti communis, et specialiter pro solvendis salarijs dicti domini potestatis et domini Mellani de Solario olim rectoris societatis Cuney, cum aliter pecuniam invenire non possent. Tali modo et hoc acto inter predictos potestatem consules et credendarios eorum nomine et nomine dicti comunis ex una parte et dictos creditores ex alia, quod liceat dictis creditoribus a termino in antea recipere pecuniam mutuo usque in quantitate predicta sub uxuris quas voluerint, et quod pro uxuris, alijs inde dederint, illud totum ultra alia omnia suprascripta eisdem creditoribus restituere promiserunt eorum nomine, et nomine et vice communis supradicti. Pro quibus omnibus et singulis attendendis et observandis dicti potestas consules et credendarij eorum proprijs nominibus et nomine et vice communis Cuney omnia eorum et dicti communis bona eisdem creditoribus eorum et predicto nomine recipientibus pignori obligaverunt. Et specialiter eisdem creditoribus eorum et predicto nomine recipientibus pignori obligaverunt omnia bona proventus et redditus bonorum bannitorum comunis Cuney, qui sunt vel pro tempore fuerint et que in comune pervenerint vel pervenient. Et insuper castrum villam et homines contitum et segnoritum et Jurisdictionem Busche et pertinentia ipsorum, quod et que comune Cuney in predicto castro villa et hominibus habet, ita quod castellanj qui nunc dictum castrum tenent, illud eisdem creditoribus restituere teneantur et debeant quandocumque ipsis

creditoribus placuerit. Et interim Castellani qui dictum castrum tenent, illud teneant pro creditoribus supradictis, habendo dicti creditores pro castellanis et guardia qualibet tantum quantum habent et habere debent castellani et guardie qui et que nunc dictum castrum tenent usque ad terminum predicte solutionis faciende, Et a termino in antea habeant pro duobus castellanis solidos quatuor qualibet die et pro qualibet guardia solidum unum Viannensem, ut predicta et alia quamplura in predicto instrumento plenius continentur, Ecce quod dominus philippus Scarampus et Rollandus Thomas predicti eorum nomine et nomine sociorum suorum predictorum ante solutionem eis factam, ex causa venditionis dederunt cesserunt atque mandaverunt Ardizoni de Archu notario stipulanti et recipienti nomine et vice communis Astensis, usque in libris Sexcentumquadraginta sex predictis de Capitali, et usque in libris centumquadraginta-septem Astensibus pro custodia dicti castri temporis preteriti omnes eorum et dictorum sociorum suorum rationes actiones et iura reales et personales utiles et directas realia personalia utilia et directa quas et que ipsi habent vel habere videntur vel eis competunt aut competere posse videntur adversus dictum comune et homines Cuney et consules et credendarios predictos in dicto instrumento denotatos et in predicto castro villa et hominibus Busche pro predicto debito et occasione predicti debiti et pena seu penis in predicto instrumento appositis et occasionê guardie supradicte. Tali modo facta est dicta iurium rationum et actionum cessio et venditio, quod dictus Ardicio nomine dicti communis Astensis et ipsum commune de predictis iuribus rationibus et actionibus ita possit agere petere causari defendere interpretari replicare excipere et experiri et hjs modis omnibus uti realiter et personaliter utiliter et directe adversus dictum comune et homines Cuney et consules et credendarios predictos et quemlibet ipsorum, et predictum castrum villam iurisdictionem contitum et homines et bona habeat teneat et possideat iure pignoris et pro pignore, et illud muniat modo supradicto, quemadmodum dicti dominus Philippus Rollandus et socij ante hanc dationem melius facere poterant et facere possent si hanc cessionem non fecissent, Confitentes dicti dominus Filippus et Rollandus eorum et predicto nomine se dictum castrum et villam et homines tenere et possidere nomine dicti communis quousque dictum commune vel alius eius nomine de hjs corporalem apprehenderet possessionem, quam ei vel alij eius nomine apprehendere liceat quandocumque voluerit eius propria auctoritate sine mandato alicuius potestatis Judicis vel magistratus ad quam apprehendendam et ad predicta omnia et singula facienda ipsum Ardizonem nomine dicti comunis et ipsum commune procuratorem ut in rem suam constituerunt pro precio quorum iurium rationum et actionum fuerunt confessi dicti dominus Philippus et Rollandus suo et predicto nomine se habuisse et recepisse a dicto comuni libras septingintas nonaginta duas Astenses, Renunciantes exceptioni non numerate et non recepte pecunie et non habiti et non recepti precij novis constitutionibus fori privillegio et omni iuri. Insuper promiserunt predicto Ardizoni stipulanti nomine dicti comunis se facturos et curaturos, quod predicti Gutuerius, Guilelmus Gutuarius, Vivaldus Rogla et Vivencius Trosellus predicta omnia et singula ratificabunt et approbabunt et ea firma et rata perpetuo habebunt et tenebunt et nullo tempore contravenient sed facient similem cessionem si inde a dicto communi Astensi vel alio pro ipso communi fuerint requisiti, Quod si non facerent et inde dictum commune damnum

aliquod sustineret illud dicto communi restituere promiserunt sub bonorum suorum obligatione que pro inde eidem Ardizoni nomine dicti communis pignori obligaverunt. Actum Ast in ecclesia sancti Sisti, testes paganus de Bozolascho, Johannes Ficerius et Jacobus Brunus omnes notarij. Eodem die Actum Ast ante ecclesiam supradictam et testibus presentibus supradictis, Vivaldus Rogla predictus volens attendere et observare omnia et singula suprascripta, que promissa sunt et facta per predictos dominum Filippum et Rollandum laudavit ratificavit et approbavit omnia et singula suprascripta et promisit predictam iurium cessionem perpetuo tenere firmam et omnia et singula que continentur in ea et non contravenire vel facere, Et si contrafaceret et non observaret ut supra promisit eidem Ardizoni nomine dicti communis recipienti et stipulanti restituere omnes expensas damna et interesse quas et que dictum commune faceret incurreret vel sustineret aliquo modo occaxione predicta causa iudicio vel alio modo credendo verbo communis sine sacramento et sine probatione aliqua. Et inde eidem Ardizoni nomine dicti communis omnia sua bona pignori obligavit.

Et ego Thomas Bellanus notarius pallatinus predictis omnibus et singulis interfui et rogatus sic scripsi.

In Valle Verse.

CXXIV. De Castagnolis de ultra Versam.

720. *De donatione facta communi Ast per dominum Manuelem et consortes suos dominos Castagnolarum de castro villa et hominibus dicti loci cum omnibus suis iuribus, Et de investitura in gentile et avitum feudum facta in eosdem dominos de predictis per dictum commune, Et de fidelitate per ipsos dominos dicto communi facta de omnibus supradictis.* 1292. 15 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo Indictione quinta die dominico quintodecimo mensis Junij. Actum in posse Castegnolarum in pratis iuxta puteum in valle de cornu, Testes dominus Philippus scarampus, Francischus vacha, petrus Morandus, Fazonus Balforotus, et Bochonotus nuncius et preco communis Astensis quorum presentia domini Manuel, Jacobus cui dicitur Revifatus, Calcaneus suo nomine et nomine Conradi et Antonini nepotum suorum et Georgius frater dicti dominj Manuelis de dominis Castegnolarum confitentes sese habere tenere et possidere et quasi possidere castrum et villam Castegnolarum cum hominibus contitu dominio, iurisdicione et cum omni mero et mixto imperio et cum omnibus que ad dominium et iurisdicionem pertinent et cum omnibus honoribus et dignitatibus, dederunt et ex causa donationis quisque ipsorum et singuli ipsorum pure et mere et irrevocabilis inter vivos in pluribus donationibus ita quod singuli ipsorum singulas donationes fecisse intelligantur, et tradiderunt suo nomine et nomine aliorum dominorum de Castagnolis consortum suorum domino Guilelmo de lambertinjs potestati Astensi, domino Jacomacio Bosio Capitaneo populi et dominis Ogerio Alferio, Guilelmo Cazo, Philippo de platea, et Raymondino Falleto quatuor sapientibus civitatis Astensis, et dominis Marengo Cazio et pellete de pelletis ambaxiatoribus et nuncijs ipsorum quatuor et communis Astensis liberaliter dictum Castrum et villam contitum et dominium

castagnolarum cum omnibus pertinentijs ipsius et cum mero et mixto imperio et hominibus cum aquatico pasquatico et cum omnibus hjs que ad merum et mixtum imperium et iurisdicionem pertinent et cum omnibus hjs que ipsi dominj et consortes eorum habent et possident et quasi possident in predictis et circa predicta. Tali modo et forma facta est dicta donatio quod predicta omnia et singula eisdem dominis in feudum reddantur, Constituentes sese predicti domini Castegnolarum eorum et predicto nomine tenere et possidere predicta nomine et vice communis Astensis et pro ipso communi quousque de eis apprehenderit corporalem possessionem, quam apprehendere liceat dicto communi et Rectoribus dicti communis seu predictis nomine dicti communis eorum propria auctoritate sine pena et sine licencia alicuius iudicis vel magistratus. Ibidem et incontinenti prenominati potestas Capitaneus et quatuor sindici investiverunt nomine communis Astensis per baculum quem dictus potestas in manu tenebat et per osculum domini Ogerij Alferij prescriptos dominos per sese et heredes suos in rectum et gentile feudum avitum antiquum et paternum in masculos et feminas de dicto castro et pertinentijs castagnolarum et de omnibus hjs et singulis que superius scripta et denotata sunt, ita quod deinceps ipsa omnia habeant teneant et possideant in rectum et gentile feudum, et de ipsis pro communi Astensi faciant pacem et guerram exercitus et cavalcatas succursus et reductus insignia et circaforas ad voluntatem communis Astensis, Et promiserunt reddere communi Astensi dictum castrum ad voluntatem communis Astensis semper quandocumque, et villam munitum et scaritum et munitam et scaritam. Et iuraverunt in manibus mei notarij infrascripti recipientis nomine et vice communis Astensis fidelitatem communi Astensi et suprascriptis dominis potestati Capitaneo et quatuor sindicis recipientibus similiter nomine et vice communis Astensis promiserunt et iuraverunt facere suprascripta, et omnia alia que Vasallus domino suo facit, Et omnia alia communi Astensi et pro communi astensi facere, que faciebant pro domino Marchione Montisferrati excepta albergaria quam predicti potestas, Capitaneus et quatuor sindici expresse remiserunt eisdem. Quod feudum et omnia supradicta predicti domini potestas, Capitaneus et quatuor sindici nomine et vice communis Astensis et pro ipso communi promiserunt predictis dominis Castagnolarum recipientibus nomine suo et dictorum consortum suorum et michi notario infrascripto recipienti nomine ipsorum dominorum et cuiuslibet ipsorum defendere et manutenere contra quascumque personas collegia et universitates. Hoc acto inter predictas partes nominibus quibus supra, et ita promissum extitit inter ipsas solenibus stipulationibus intervenientibus, quod ipsi domini vel aliquis ipsorum non possint nec possit vendere vel aliquo modo alienare partem suam dicti castri et ville alicui persone, nec aliquis eam emere possit nisi inter sese, quod facere possint, et comuni Astensi, quod commune emere non possit, nisi emeret ab omnibus vel maiore parte ipsorum, Et insuper dictus Calcaneus promisit se facturum et curaturum sic quod predicti nepotes sui predicta omnia et singula ratificabunt et approbabunt et similem donationem et fidelitatem facient communi Astensi cum ad etatem pervenerint.

Et ego Johannes Cepula notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Maynfredum de Canonica notarium de eius prothocollo extraxi et eius voluntate sic scripsi.

721. *De donatione de predictis similiter facta per quosdam alios condominos Castegnolarum, Ac de investitura et fidelitate simili modo factis cum ratificatione omnium contentorum in precedenti instrumento.* 1292. 14 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione quinta die dominico quintodecimo mensis Junij. Actum in villa Castagnolarum iuxta portam castri, Testes dominus Philippus Scarampus, Francischus Vacha, Petrus Morandus, Fazonus Balfarotus et Bechonotus nuncius et preco communis Astensis, quorum presentia domini, Porthicus, Albertinus domini Bertholdi, Franciscus frater eius, Obertinus frater domini Manuelis, Thomas frater domini Manuelis, Henriotus filius domini Marchi pro se et fratribus suis et Bertoldus frater Renifati similem donationem fecerunt de Castro et villa et pertinentijs Castagnolarum et de omnibus et singulis suprascriptis Raynucio de Pidianno militi dicti domini potestatis et domino Oppizoni poserio, militi domini capitanei et dominis Ogerio Alferio et Reimondino falleto suo nomine et sociorum suorum suprascriptorum et Marcho Cazo et pellete de pelletis recipientibus nomine et vice communis Astensis qui ad predicta et infrascripta facienda missi fuerant per predictos dominos potestatem et Capitaneum et Guilelmum Cazo et Philippum de Platea, et ratificaverunt confirmaverunt et approbaverunt suprascripta omnia facta et promissa per dominos Manuelem et alios suprascriptos. Et predicti milites potestatis et Capitanei et predicti duo ex quatuor et sindici predicti ipsos et quemlibet ipsorum predicto modo investiverunt in Rectum et gentile feudum in filios et filias avitum antiquum et paternum prout superius investiverunt dominum Manuelem et alios suprascriptos Et iuraverunt eisdem et michi notario recipientibus nomine et vice communis Astensis fidelitatem et facere omnia pro communi Astensi que superius scripta et specificata sunt et que boni Vasalli facere debent domino suo, et etiam omnia que faciebant et facere tenebantur domino Marchioni Montisferrati, excepta albergaria quam predicti nomine communis Astensis remiserunt eisdem.

Et ego Johannes Cepula notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Maynfredum de Canonica notarium de eius prothocollo extraxj et voluntate ipsius scripsi.

Et ego Maynfredus de Canonica notarius pallatinus predicta instrumenta abreviavi et dictus Johannes ipsa precepto et voluntate mea sic scripsit et ad maiorem firmitatem signum et nomen meum apposui.

722. *De donatione quam dicto comuni Ast fecit dominus Raynerius Bozia de Grana pro se et obertino nepote suo de eo quod habebant et tenebant in Castagnolis a Marchione Montisferati, Et de investitura in eos facta in gentile feudum de dicto dono, Et de fidelitate per eum exinde facta dicto comuni Ast.* 1292. 25 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione quinta die dominico vicesimo quinto mensis Junij, Actum in castro seu villa Castagnolarum iuxta portam castri Testes dominus Philippus Scarampus, Francischus Vacha, Petrus Morandus, Fazanus Balfarotus, et Beconotus nuncius et preco communis Astensis

quorum presentia dominus Raynerius Bozia de Grana pro se et Obertino nepote suo dedit et ex causa donationis pure mere et irrevocabilis inter vivos donavit et tradidit et confessus fuit se tradidisse et quasi tradidisse dominis Raynucio de pidianno militi domini Guilelmi de lambertinjs potestatis Astensis et Oppizoni Boxio militi domini Jacomacij Bosij Capitanei populi civitatis Astensis et dominis Ogerio Alferio et Raymondino Faleto suo nomine et sociorum suorum dominorum Guilelmi Cazo et philippi de platea quatuor sapientibus civitatis Astensis et dominis Marencho Cazo et pellete de Pelletis ambaxiatoribus et sindicis ipsorum dominorum potestatis Capitanei et quatuor Sapientum Communis Astensis, recipientibus nomine et vice communis Astensis liberaliter totum illud quod ipse et nepos eius predictus habebat et tenebat, a Marchione Montisferrati in Castagnolis et posse in quibuscumque rebus et iuribus consistant, quod est medietas eius quod ibi habebant et tenebant et habent et tenent. Qui domini Raynucius miles domini potestatis, Oppicio miles domini Capitanei et domini Ogerius Alferius et Raymondinus Falletus et domini Marenchus Cazo et pelleta de pelletis missi per predictos dominos potestatem Capitaneum et dominos Guilelmum Cazo et philippum de platea ad prescripta et infrascripta facienda nomine et vice communis Astensis et pro ipso communi per osculum domini Ogerij Alferij investiverunt nomine communis Astensis prescriptum dominum Raynerium Bociam suo nomine et nomine suprascripti nepotis sui per se et heredes suos in rectum feudum et gentile avitum antiquum et paternum in masculos et feminas de toto eo quod ipse et nepos eius predictus habebant et tenebant a Marchione Montisferrati in Castagnolis et posse in quibuscumqne iuribus et rebus consistant quod est medietas eius quod ibi habebant et tenebant habent et tenent ut superius continetur, et de omnibus et singulis suprascriptis et que suprascripta et denotata sunt, ita quod deinceps ipsa omnia habeant teneant et possideant in rectum et gentile feudum. Et de ipsis pro communi Astensi faciant pacem guerram exercitus et cavalcatas, succursus et reductus insignia et circaforas ad voluntatem communis Astensis et promisit reddere suprascripta communi Astensi semper quandocumque ad voluntatem communis Astensis munita et scarita. Et iuravit suo et predicti nepotis sui nomine in manibus mei infrascripti notarij recipientis nomine et vice communis Astensis et suprascriptorum sapientum similiter recipientium nomine et vice communis Astensis fidelitatem communi Astensi et promisit et iuravit facere suprascripta et omnia alia que vasallus domino suo facit, et omnia alia communi et pro communi Astensi facere, que faciebat pro domino Marchione Montisferrati excepta albergaria sive eo quod tenebant pro albergaria, quam predicti potestas et Capitaneus, milites et sapientes prescripti nomine et vice communis Astensis remiserunt eisdem, Et promisit dictus dominus Raynerius sic facere et curare quod dictus Obertinus nepos eius similem donationem et fidelitatem faciet communi Astensi, Et predicta omnia et singula ratificabit et approbabit. Preterea suprascripti domini Raynucius miles domini potestatis, Oppizo miles domini Capitanei et domini Ogerius Alferius et Raymondinus Falletus eorum nominibus et nomine dominorum Guilelmi Cazo et philippi de platea sociorum suorum, quatuor Sapientes civitatis Astensis et alij suprascripti sapientes nomine et vice communis Astensis et pro ipso communi concesserunt predicto domino Raynerio Bocio suo et nepotis sui predicti nomine totum illud quod ipse habet

tenet et possidet in granna, in terris et possessionibus, Et remiserunt eidem suo et predicto nomine totum illud quod commune Astense ab ipsis domino Raynerio et nepote petere posset occasione alicuius offensionis hinc retro facte et damnorum hinc retro datorum et factorum per ipsum dominum Raynerium et nepotem contra commune Astense vel aliquos de Aste et de posse Astensi in personis vel rebus et alia quacumque occasione vel causa usque ad presentem diem, tenendo predictas res idem dominus Raynerius et nepos ab hodie in antea a communi Astensi et sub dominio et iurisdicione communis Astensis. Et de predictis omnibus precepta sunt fieri per me notarium tot instrumenta quot necessaria fuerint pro communi Astensi. Et pro suprascriptis dominis Castagnolarum et quolibet ipsorum et pro predicto domino Raynerio Bocia et nepote et quolibet ipsorum.

Et ego Johannes Cepula notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Maynfredum de Canonica notarium de eius prothocollo extraxi et voluntate ipsius sic scripsi.

Et ego Maynfredus de Canonica notarius pallatinus predictum instrumentum abreviavj et dictus Johannes Zepula ipsum voluntate mei sic scripsit, et ad maiorem firmitatem per signum et nomen meum apposuj.

CXXV. De Montemagno.

723. *De dominis de Montemagno effectis civibus Ast, et de unione et concordia factis inter comune ast et dictos dominos de guerra facienda Marchioni Montisferati, et de sese invicem adiuvando in omni guerra, salvo Episcopo Astensi.* 1173. Augusti.

In nomine domini nostri yhesu Christi amen, domini de Montemagno efficiuntur cives Astenses, et iuraverunt supra dei evangelia bona fide salvare et custodire Astenses in Montemagno et eorum posse et alibi quo poterunt, et iurant per se et viros suos facere guerram Marchioni Montisferrati cum Astensibus et sine ipsis a domo sua, salvo episcopo Astensi, et salvis Marchionibus ponzoni, Et si Episcopus in hjs malignari vellet de Alodio suo, tamen debent werriare, Ipsi a modo non faciendo pacem aut treuguam seu guerram recreutam cum Marchione Montisferrati absque absolutione Astensium consulum et sapientum de credentia omnium scilicet aut maioris partis, et si necesse Astensibus fuerit debent salvari et reduci in castro et villa de alta villa. Et insuper tenentur eodem iure iurando iuvare Astenses de omni alia guerra in quam inciderent. E converso Astenses iuraverunt dominis Montismagni dare domum unam in civitate Astensi et salvare et custodire dominos Montismagni et eorum homines in Astensi civitate et alibi quo petierint et quod non facient treuguam vel pacem seu guerram recreutam cum Marchione Montisferrati absque consilio et absolutione dominorum Montismagni, Et si forte domini Montismagni aliquo tempore in aliam guerram inciderent similiter eodem iure iurando tenentur eos inde iuvare, et de Astensibus dum guerra durabit debet stare in Montemagno, Viginti milites, et viginti pedites expensis Astensium excepto de palea herba et lignis. Et si in hoc aliquo tempore aliquod melioramentum facere vellent, utraque pars sub

eodem iureiurando observare tenetur. Actum est hoc anno dominice incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo tercio, indictione sexta mense Augusto.

Ego Guido notarius hanc cartam scripsi.

724. *De venditione facta comuni Ast per dominum Obertum de Brolio et consortes eius de multis sediminibus in Montemagno existentibus, et de eorum parte dominij et hominum dicti loci, pro precio III^m CCCXXV. Astensium suis donneis exceptatis.* 1269. 20 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo nono indictione duodecima die sabbati vigesimo mensis Aprilis presentia infrascriptorum testium dominus Obertus de Brolio et Guilelmus de Brolio et Thomas de Brolio cui dicitur Salla et Henricus eius frater vendiderunt et ex causa venditionis confessi fuerunt se tradidisse et quasi tradidisse Georgio Barberio notario et publice persone recipienti nomine et vice communis Astensis sedimen ubi erat turris et pallacium cum sediminibus et hedificijs desuper existentibus, et que turris cum pallatio et hedificijs desuper existentibus fuit illorum de Brolio, et fuit diruta per commune Astense vel alium pro communi et totum illud quod ipsi habebant et tenebant possidebant et quasi possidebant, et visi erant habere tenere et possidere et quasi possidere hinc retro vel alij pro ipsis in castro Montismagni, nichil retinentes in dicto Castro. Item vendiderunt medietatem unius sediminis quod est in eodem Castro Montismagni, cui coherent via et murus castri et ecclesia Sancte Marie Alcherius Restoblus et Galvangnus Bechencius et Guilelmus Bellengerius. Item partem sediminum que habebant cum alijs dominis de Montemangno communia pro indiviso, que sedimina sunt iuxta portam castri predicti Montismagni quibus coherent via et murus dicti castri, et omnia alia sedimina si qua habent vel habere videbantur in dicto castro Montismagni. Item vendiderunt et ex causa venditionis confessi fuerunt sese tradidisse et quasi predicto Georgio Barberio nomine et vice dicti communis Astensis illam partem contiti et segnoriti et iurisdictionis dominij et districtus meri et mixti imperij de quarta parte illorum de Brolio quam habebant vel habere videbantur vel visi fuerunt habere hinc retro in castro villa vel territorio posse confinibus et districtu et castellania Montismagni, in hominibus vasallis feudatis et non feudatis ecclesijs et capellis, in fodris bannis et successionibus, et rosijs caregijs, guaytis, scaraguaytis, spinatis, fictis, dritis, et redditibus et decimis primicijs et iure patronatus venationibus et nemoribus communibus furnis molendinis pascuis, rupibus et ruynis et aquatico pasquatico et pedagio Et generaliter omne ius habendi et percipiendi predicta, et omnia alia que ipsi domini habebant vel habere videbantur in omnibus et singulis supradictis, et eisdem dominis competentibus et pertinentibus nichil in se penitus retinentes preter eorum terras cultas et incultas, vineas prata et nemora donneas et que habent vel habere visi sunt extra villam et castrum Montismagni et preter fictus et redditus, qui non sunt perpetuales, predicta autem vendiderunt predicto Georgio Barberio notario nomine et vice communis Astensis preter superius exceptata pro precio librarum Triummillium trecentarum viginti quinque Astensium quod precium predicti venditores confessi fuerunt habuisse et recepisse a predicto emptore nomine dicti communis in integrum, Renunciantes exceptioni non numerate pecunie et non habiti et non recepti precij, doli et in factum et condictioni sine causa

et ex iniusta causa et quod non possint dicere vel opponere sese fore deceptos ultra dimidiam iusti precij vel in aliqua parte ipsius precij vel quod vi vel dolo vendiderint et omni alij exceptioni et iuri. Tali modo et forma facta est dicta venditio quod predictus emptor nomine et vice dicti communis et ipsum commune decetero predicta omnia et singula vendita habeat teneat, quieteque possideat et quasi possideat et ex eis deinceps quicquid sibi placuerit faciat pleno iure cum omnibus eorum pertinentijs et cum omni iure et actione et ingressione et egressione et cum omni usu publico et privato ipsis rebus venditis sive ipsis venditoribus occasione ipsarum aliquo modo pertinentibus sine contradictione dictorum venditorum vel eorum heredum vel successorum suorum et omnium aliarum personarum, dantes cedentes atque mandantes predicti venditores ex predicta causa venditionis et pro predicto precio dicto emptori nomine dicti communis Astensis omnes eorum actiones et rationes et iura que habebant vel visi erant habere vel exigere posse in rebus predictis venditis et pro predictis rebus venditis. Quam autem venditionem predicti venditores promiserunt per se se et eorum heredes dicto emptori nomine dicti communis stipulanti defendere et disbrigare et auctorizare ab omni persona vel personis collegio vel universitate sub pena dupli secundum quod pro tempore valuerint vel meliorate essent sub extimatione precij in consimili loco. Constituentes se se possidere et quasi possidere omnia et singula suprascripta nomine dicti communis Astensis et pro ipso communi quousque dictum commune vel alius pro ipso communi rerum venditarum possessionem et quasi apprehenderit corporalem, quam eidem emptori nomine et vice communis Astensis et ipsi communi apprehendere liceat per se et per alium sua propria auctoritate quandocumque sibi placuerit sine licentia et decreto alicuius presidis, vel alterius magistratus et apprehensam totaliter retinere. Pro quibus omnibus attendendis complendis et observandis omnia eorum bona eidem emptori predicto nomine pignori obligaverunt. Hoc acto specialiter et expresse quod predicti domini de Montemagno predictas res venditas minime defendere teneantur adversus Episcopum Astensem vel adversus Marchionem Montisferrati, Et quod predicta venditio non faciat preiudicium ecclesie Astensi vel domino Episcopo Astensi. Actum est in pleno consilio generali civitatis Astensis super voltis de dom. Testes interfuerunt Petracius Buccanigra, Conradus de Brina, Jacobus Ferrerius, Rollandus layolius, Guilelmus Alionus, Manuellus Garetus, Maynfredus Alferius et henricus de poncio.

Ego Mellanus Grillus notarius pallatinus hjs interfui et hanc cartam sic scripsi.

CXXVI. De Cunico.

725. *De donatione comuni Ast facta per dominos Cunici de castro et villa et tota iurisdicione Cunici, Et de villa et posse ponenghi, Et quomodo dare debent in comuni predicto fodrum de libris Centum, ac de investitura per dictum comune in ipsos dominos facta de predictis omnibus, cum multis alijs conventionibus.* 1292. 20 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione quinta die martis vigesimo mensis Madij Actum in posse Cunici subtus Travacham domini potestatis Astensis in exercitu generali civitatis Astensis, Testes interfuerunt Pelleta

de pelletis, Marengus Cazo, Rogerius de Curia, Robinus de Sulbrico et Mucius Asinarius, Guilelmus Guardeta quorum presentia domini Guilelmus de Cunico et Obertus de Cunico eius frater eorum nominibus proprijs et nomine domini Conradi de Cunico eorum fratris, in Christi nomine et ad honorem et statum pacificum et augmentum communis Astensis et ipsorum dominorum dederunt et tradiderunt et donaverunt liberaliter domino Guilelmo de lambertinis militi honorabili potestati Astensi et dominis Guilelmo Cazo, philippo de platea Raymondino Falleto et Bartholomeo Alferio filio domini Ogerij Alferij nomine ipsius, recipientibus nomine et vice communis Astensis et pro ipso communi castrum, villam Turrim et iurisdictionem totam castri Cunici et villam et posse ponengi, et quicquid ad ipsum castrum pertinet vel pertinere videretur cum omni honore iurisdictione mero et mixto imperio aquatico et pasquatico venatione fictis drictis rosijs spalis quintis decimis hominibus feudatis et non feudatis et quicquid ad ipsum castrum et ad iurisdictionem ipsius castri pertinet et ad dominos supradictos, et generaliter omne et totum illud quod ipsi habent in dicto castro et pertinentijs ipsius et villa ipsius castri nichil in se penitus retinendo quod castrum villam et turrim dicti castri et omnia supradicta predicti dominus potestas et quatuor nomine et vice communis Astensis et pro ipso communi Astensi fuerunt confessi et in veritate recognoverunt sese habere in eorum fortia et virtute. Preterea predicti dominj Guilelmus, Obertus eorum nominibus et predicto posuerunt predictos dominos potestatem et quatuor nomine quo supra in corporalem et vacuam possessionem predicti castri ville turris et omnium predictorum. Quam donationem traditionem et omnia et singula suprascripta promiserunt dicti domini de Cunico dictis dominis potestati et quatuor habere et tenere perpetuo ratas et firmas et nullo tempore contra facere vel venire per sese vel alios aliqua ratione vel causa de iure vel de facto sub obligatione omnium bonorum suorum, que pro inde dictis dominis potestati et quatuor et michi notario infrascripto recipienti nomine et vice communis Astensis pignori obligaverunt. Renunciantes in omnibus et singulis suprascriptis exceptioni doli condictioni sine causa et omni alij exceptioni et iuri. Die eodem, loco et testibus quorum presentia dictus dominus potestas et quatuor predicti nomine et vice communis Astensis auctoritate baylie eisdem concesse a consilio generali civitatis Astensis Investiverunt predictos dominos Guilelmum, Obertum et Conradum fratres filios quondam domini Jacobi de Cunico pro sese et eorum heredibus et descendentibus ab eisdem tam masculis quam feminis in Rectum et gentile feudum per baculum quem dictus dominus potestas Astensis in suis manibus tenebat, de castro villa turri, iurisdictione hominibus mero et mixto imperio et omnibus alijs et singulis suprascriptis de Cunico. Et promiserunt predicti fratres de predicto castro et omnibus alijs supradictis facere perpetuo pro communi Astensi per sese et eorum heredes et successores et descendentes ab eis masculos et feminas pacem et guerram treuguam exercitus et cavalcatas succursus et reductus contra Marchionem Montisferrati et terram ipsius Marchionis totam, et contra omnem personam tam ecclesiasticam quam secularem ex nunc et perpetuo. Item predicti fratres debent solvere fodrum communi Astensi de libris Centum Astensibus quotiens civitas Astensis ad fodrum pervenerit ab hodie in antea. Et tempore guerre tenere unam militiam et de ipsa comuni Astensi servire in exercitibus generalibus qui fierent pro communi

Astensi. Versa vice predicti domini potestas et quatuor nomine et vice communis Astensis et pro ipso comuni promiserunt predictis fratribus pro sese et eorum descendentibus tam masculis quam feminis predictum castrum villam turrim et omnia et singula supradicta defendere disbrigare auctorizare et manutenere contra omnem personam tam ecclesiasticam quam secularem, Et specialiter contra Marchionem Montisferrati qui nunc est vel pro tempore fuerit vel qui haberet causam ab eo et contra aliam personam ut dictum est, et hoc teneantur defendere de fortia que eis fieret. Item predicti dominus potestas et quatuor promiserunt et iuraverunt non facere pacem vel treuguam cum Marchione Montisferrati vel habentibus causam ab eo sine predictis fratribus et quin ipsi fratres sint in dicta pace specialiter nominati. Item promiserunt predicti dominus potestas et quatuor predictis fratribus pro sese et eorum heredibus et descendentibus ab eis tam masculis quam feminis ut superius dictum est non recipere nec recipi permittere aliquem de omnibus predictorum dominorum de Cunico in aliqua villa vel loco communis Astensis que de novo fieret vel facta esset, et siquis predictorum hominum recederet contra voluntatem predictorum dominorum, quod illud quod haberet in predicta villa sit predictorum dominorum, et ad ipsos pertineat pleno iure. Item concesserunt predictis fratribus quod homines de Cunico non faciant rationem in civitate Astensi nec in aliquo alio loco nisi in villa Cunichi coram predictis dominis. Item promiserunt predictis fratribus ipsos recipi facere in quatuor societatibus populi civitatis Astensis et in illa dictarum societatum quam dicti fratres eligent ad eorum liberam voluntatem. Item concesserunt predictis fratribus, quod non obstante fidelitate predicta ipsi possint vendere alienare donare pignori obligare dictum castrum et quicquid ad ipsum castrum pertinet civibus civitatis Astensis, et de ipsis facere cum civibus civitatis Astensis quicquid voluerint, et sicut alij cives faciunt et facere possunt de eorum castris, Tali modo quod alicui alteri persone predicta vendere non possint nisi ut predictum est civibus civitatis Astensis. Item voluerunt et promiserunt predictis fratribus quod aliquis civis Astensis non possit aliquid acquirere ab hominibus predictorum dominorum, vel alicuius eorum sine expressa voluntate predictorum deminorum. Eodem modo et eadem forma recipiantur et recepti sint Bartholomeus et Petrinus Techiti si eis placuerit.

Et ego Johannes Cepula notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Maynfredum de Canonica notarium de eius prothocollo extraxi, et voluntate ipsius sic scripsi et meum signum apposuj.

CXXVII. De Tongo.

726. *De fidelitate facta per homines de Tongo comuni Ast.* 1292. 14 Junij.

In nomine domini Amen, Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo Indictione quinta die sabbati quartodecimo Junij, Infrascripti homines de Tongo fecerunt fidelitatem domino Guilelmo de lambertinjs potestati Astensi et michi Maynfredo de Canonica notario recipienti nomine et vice communis Astensis, dominus Bonefacius de Ulisengo, dominus petrus de Soanengo, Rafanellus, Guilelmus de Monisengo, Fredericus de Alfianno, Robaldinus de Casalico, Boyolius de Monte, Guillelmus de Ulisengo, Conradus de Ulisengo, Ascherius de Rechangno, Galvangnus de Razano, Manuel de

Razano, Jacobus de Valle Rateria, Tonsus Malacordus, Bonefacius vasallus, Conradotus de Raffanello, Obertus de Monte, Obertus Mandalinus, Guilelmus ferrus, Henricus Malacordus, Obertus Scotinus, Jacobus Bachinus, Marchabotus, Hanzonus vasallus, Guillelmotus Fea, Jacobus Tonsus, Ameotus de Alberto, Gandulfus Bachinus, Jacobus de dylia, Facius de Serra, Niger Cristianus, Jacobus Symeonnus, Raynerius de Casali, Johannes de Symeonno, Vercellus de Serra, Obertus Garronus, Franceschonus de putheo, Albertinus de Montariolio, Andreas de Monte, Obertinus de Nigro, Jacobus de Monasterio, Jacherius de Monte, Guilelmus Testa, Ardizolus de Alfiallo, Jacobus de Ordengo, Jacobus de Cerreto, Francesius Symeonnus, Conradotus de Alfiano, Facius de Monte, Oddalinus de Alfianno, Oddonus Berra, Perotus de Monte, Meylannus Villanus, Albertus Rebechus, Raynerius straponterius, Guilelmus Rebechus tabarra, Obertus Barberius, Mussus de Monte, Rollandus Bachinus, Guiacius de Alfianno, Razanellus de Razano, Francischus Biglonus, henricus Coyracia, Raynerius de Soavengo, Guilelmotus de Batecaneva, Oliverius Torrellus de Ulisengo, Bergoncius Bosius, Jacobus Jamannus, Obertus Grinda, Guilelmus capellus, Jacobus dischalcius, Henricus de Soavengo, Bonefacius Favergia, Obertus de Soavengo, Henricus de pubeo, Faconus Testa, Guilelmus Tonsus, Jacobus Granerius, Jacobus Sachus, dominus Thomas de Ulisengo, Girbaudus Alamanus, Conradus de Casali, Boninus Calegarius, Guilelmus bozia, Guilelmus Sachus, Conradus de Bertholota, Jacobus Barberius, Caroncius de Malacordo, Facius Gualfredus, Guillelmus de Malacordo, Conradus Boxius, Obertus de Casalj, Guilelmotus Berverius, Jacobus de Caliano, cui dicitur Amanguius, dominus Jacobus de Salaxeto, Obertus de placencia de Alfiano, Thomas Crivellus, Bos de Ulisengo, Jacobus filius Gandulfi Bachini Petrus de Montaudo, Petrus de Fiallo, Mucius de Gazaro, Brunetus de Fiallo, Facinus Crivellus, Obertus Zachus, Henricus de Symeone, Faconus de Plącencia, Bertollotus de Soavengo, Germanus Rustifollus, Guillelmus Germanus, Cagnorius, Petrus Favergia, Jacobus Fraschonus, Obertus Symionius de Ulisengo, Bertolotus de Zura, Andreas de Casali, Germanus de Placentia, Guilelmus de serra, Jacobus de Frachjs, Gota de Casalello, Jacobus de Malischo, Maynfredus Favergia, Symeonius filius Alberti, Obertus de Symione, Ogerius crippa, Obertarius de Ulisengo, Jacobus Catus, Guilelmus Sachus, Meylannus de Serra, Casurcius Vercellus, Guilelmus de puteo, Ubertotus Gracianus, Henricus Niellus, Magnonus Gallina, Raynerius de Bono, Jacobus Sachus, Gasparonus Gasparius, Bonetus de Bayna, Guilelmus de Monesterio, Jacobus de Bofulo, Guilelmus de valle, Obertus Covacus, Conradus Ravacius, Guilelmus de Ternico, Jacobus cui dicitur Zarlonus, Mussus Fea, Conradus Caballerius, Obertus de Casali, Anselmus Caramellus, Jacobus Fea, Obertus Rubeus, Vercellinus Ferarius, Obertus Testa, Vercellus cui dicitur Ballina, Petrus Capra, Raynerius de Bazano, Zucherius de Ulisengo, Jacobus de Crosis, Henricus Ravacius, Ubertus Bozia, Raynerius de ylia, Guilelmus de Villa, Guilelmus Bucius, Jacobus de Fiorio, Thomas de Cerro, Facius de Chcenda, durandus Carellus, Gualla Gagla, Provenzallus de Razanno, Guillelmus Caramellus, Henricus Corigia, Mazola et Facinus Villanus.

Ego Johannes Cepula notarius pallatinus predicta nomina sive predictos homines suprascriptos de villa Tongi abreviatos per Maynfredum de Canonica notarium et de uno Foglacio extraxi et voluntate dicti Maynfredi sic scripsi et meum signum apposuj.

CXXVIII. De Caliano.

727. *De venditione per dominum Bonefacium Marchionem Montisferrati facta Ottoni Rape suo nomine et quorumdam aliorum, de castro villa hominibus et iuribus Caliani precio librarum DCCC Januensium, Et de renunciatione facta per dominum Conradum de Caliano et eius consortes de omnibus que in dicta venditione habebant, Et de possessione data dicto comuni de predictis bonis venditis, Et de renunciatione fidelitatum, quas predictus Marchio habebat ibidem.* 1197. 17 Februarij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo septimo indictione quintadecima die lune Terciodecimo kallendas Marcij, Cartam venditionis sub dupli defensione fecit dominus Bonefacius Marchio Montisferrati et Guilelmus eius filius in manibus Ottonis Rape nomine suo et nomine Albrici et in manibus Mayfredi Cavazoni, Robaldi Faxoli, Guilelmi laurentij et Jacobi de Sybona nominative de castro et villa Caliani cum aquatico et pascuo cum terris cultis et incultis, cum vineis et pratis cum ierbis et nemoribus et silvis cum rupinis, cum venationibus et piscationibus cum militibus et hominibus feudatis et non feudatis, cum rusticis cum ecclesijs et capellis cum fictis et redditibus et cum omnibus usibus et rebus, quas habent tenent et possident per se et per alium in Caliano et pertinentijs cum omni honore et districtu iuste vel iniuste et hactenus habere visi sunt nichil in se retinentes, pro precio denariorum bonorum Januensis monete librarum Octingintarum, de quo precio dicti Bonefacius Marchio et eius filius Guilelmus vocaverunt et tenuerunt sese tacitos, quietos et pagatos. Quam venditionem ut supra legitur in integrum iandictus Bonefacius Marchio per se et per heredes suos promisit predictis emptoribus et affidavit in manibus iandicti Ottonis, et ipsum Ottonem in federe pacis osculatus est nomine eorumdem emptorum et jandictus Guilelmus filius eiusdem Bonefacij Marchionis per se et per heredes suos iuravit supra dei evangelia et promisit eisdem emptoribus stipulantibus sibi et heredibus eorum ab omni homine sub pena dupli defendere sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione in consimili loco et eam tenere firmam et non removere ratione dupli neque alio iure ullo tempore nec per sese nec per suppositam personam, Et quod facient abrenunciare Henricum de Caliano et filios et nepotes eius universum ius quod habent in predicto loco, in castro et in villa cum pertinentijs et pro feudo et alio modo, et eosdem iurare supra dei evangelia iandictam venditionem ut supra legitur tenere firmam, et iamdictis emptoribus eandem ab omni homine defendere, Et quod facient fieri eisdem emptoribus fidelitatem Ottoni Nigro de Caliano et fratribus suis et omnibus hominibus predicti loci talem qualem facit Vasalus domino suo, Ut sicut nunc ipsis Marchionibus tenentur, sic ipsis emptoribus et heredibus suis de cetero teneantur, et fidelitatem eorum eis abrenunciabunt, Et insuper tunc hec eisdem emptoribus possessionem predicti loci et castri et ville. Actum Aste in domo eiusdem Bonefacij Marchionis feliciter. Interfuerunt Bayamondus Judex, Guilelmus de Cathena, Mandrogius, Vercesus Curadengorum de Alba, dominus Guilelmus de Boscho Marchio, Otto de Canelio, Otto Rabies, Paniza, Raynerius de Granna. Et Thomas notarius hanc cartam scripsit. Item eodem anno et

indictione die et loco, Conradus de Caliano et Guilelmus filius Guilelmi de Caliano abrenunciaverunt universo iuri quod nunc habent et decetero habere et exigere possent in predicta venditione et pro feudo et alio modo et iuraverunt super dei evangelia eandem venditionem ut supra legitur in integrum tenere firmam et ab omni homine defendere et removere ullo tempore per se nec per submissam personam. Preterea Otto Niger et Taxonus frater eius abrenunciaverunt eis fidelitatem jandicto Bonefacio Marchioni, de qua sibi tenebantur, Juraverunt supra dei evangelia, et fecerunt fidelitatem predictis emptoribus, Ut sicut ipsi iandicto Marchioni tenebantur sic eisdem emptoribus decetero teneantur, Et insuper iuraverunt supra dei evangelia eandem venditionem tenere firmam et non removere ullo tempore per se nec per suppositam personam, Et castrum et villam Caliani eis ab omni homine defendere, interfuerunt testes Mandrogius paniza, Tebaldus de Vigliano et Constantinus de Oldia, Et Thomas notarius hanc cartam scripsit.

Item eodem anno et indictione die mercurij, dominus Bonefacius Marchio Montisferrati posuit iandictos emptores in possessione castri et ville et totius posse Calianni. Actum in Calianno in castro, in domo henrici de Calianno, interfuerunt testes Robaldus Nasellus, Joannes Fantinus, Guilelmus de preneco Albensis notarius et Otto Bassus notarius. Et Thomas notarius hanc cartam scripsit.

Item eodem anno et indictione loco et die Ascherius de Calianno eodem modo abrenunciavit, et eodem modo iuravit attendere et observare de predicta venditione ut fecit iandictus Conradus de Calianno. Interfuerunt testes Albertus de Cortexellis papa de veruta, Rolandus de Montecalvo Vicecomes. Et Thomas notarius hoc scripsit.

Item eodem die mercurij jandictus Bonefacius Marchio abrenunciavit fidelitatem, de qua sibi tenebantur infrascripti homines de Calianno, et ipsi fecerunt fidelitatem iandictis emptoribus sicut vasallus facit domino suo, In qua fidelitate iuraverunt supra dei evangelia salvare et custodire predictos emptores in rebus et in personis et nuncios eorum, Et predictam venditionem tenere firmam et castrum et villam Calianni eisdem emptoribus ab omni homine defendere. Nomina quorum sunt hec Otto de Area, Robaldus Falcus, Ardicio de Sancto Petro, Germanus de sollenghello, Berardus de Motrosono, Conradus porata, Falzonus, Otto Cappa, henricus de Croxa, Segnorinus de serra, Rollandus de Vignali, Ardicio Taglavaca, Anselmus de Sanctofelici, Ulinus, Anselmus de Mamuengo, Guilelmus de Crosa, Gualla de Montexello, Aycardus de sancto petro, Obertus Balbus, Bonus iohannes Balbus. Preterea magister Ansaldus de Calianno et Obertus filius Oddoni nigri eandem fidelitatem fecerunt et eodem modo iuraverunt predictis emptoribus de premissa venditione, ut fecerunt Otto niger et frater eius. Actum in castro Caliannj In domo Henrici de Calianno.

Testes Martinus de Revello, Raynerius de Vallentia, Papa de Veruta, Albertus de Cortesellis. Et Thomas notarius hanc cartam scripsit.

728. *De quibusdam iuramentis et promissionibus factis Comuni Ast per quosdam de Caliano de Salvandis iuribus dicti comunis Astensis in Caliano existentibus.* 1198. 29 Decembris.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo Indictione prima die lune quarto kallendas Januarj presentia subscriptorum testium, Otto Niger de Caliano

Tasonus et Ansaldus fratres eius iuraverunt supra dei evangelia decetero bona fide et sine fraude salvare et custodire dominum Albertum de Fontana potestatem Astensem, et potestatem et consules Astenses per tempora futuros et omnes homines de Aste et de virtute Astensi per comune et per divisum et quamlibet specialem personam de Aste et de virtute Astensi et omnes homines de eorum parte et precipue Castellanum Calianni et vardias qui in illo loco fuerint vel nunc sunt pro Communi Astensi per se et per omnes homines de eorum parte in rebus et in personis, et quod non erunt in consilio nec in facto, quod potestas Astensis vel consules per tempora existentes aut aliqua persona de Aste vel de virtute Astensi aut castellanus Caliannj aut Vardie qui modo ibi sunt vel fuerint amittant vitam vel membrum mentem nec sensum, nec capiantur contra eorum voluntatem et si scierint, qui aliquid horum velint facere aut aliquod malum eis facere vellet, quod bona fide et sine fraude illi resistent quantum poterunt, et quam citius poterunt potestati vel eius misso manifestabunt. Item iuraverunt supra sancta dei evangelia salvare et custodire castrum et villam Calianni communi Astensi et illis civibus de Aste qui illud castrum et villam emerunt, de Marchione Montisferrati, et quod non erunt in consilio vel in facto quod commune de Aste nec illi qui istud (a) Marchione emerunt illud perdant, Et si scierint quod illud communi Astensi vel illis qui illud emerunt velint auferre, quod illi resistent quantum poterunt, et potestati Astensi vel consulibus per tempora existentibus quam citius poterunt manifestabunt, Et hec omnia attendere et observare iuraverunt predicti Otto Niger, Taxonus et Ansaldus usque ad unum anum, si potestas cum Marchione Montisferrati se non concordaverint. Ita quod predictum castrum Calianni eidem Marchioni restituat infra hunc terminum, et post predictum terminum per tantum quantum commune de Aste et illi qui emerunt illud tenuerint. Preterea iandicti Otto Taxonus et Ansaldus fecerunt donum et datum iandicto Alberto de Fontana potestati Astensi ad partem communis Astensis nominative de omnibus rebus eorum quas habent in Calianno et in eius posse et alibi, ut si ipsi predictum sacramentum non observarent, aut ipsi per se vel per submissam personam communi de Aste vel Castellano sive Vardijs de Calianno, qui ibi nunc sunt vel fuerint aliquod damnum inferrent vel ipsis pro eis vel pro ulla persona quam ibi mitterent, ullum malum eveniret quod tunc et decetero potestas Astensis vel consules tunc existentes ad partem et proprium communis omnes illas res teneant et possideant et faciant inde quicquid facere voluerint sine omni contradictione predictorum Ottonis Taxoni et Ansaldi et heredum eius. Actum Aste in domo Asinariorum. Interfuerunt testes Guilelmus de Cathena, Bayamondus de plathea, Robaldus de Aviancio et Maynfredus Junnitum de Curtecomario. Et Thomas notarius pallatinus hanc cartam fecit.

729. *De commissione facta in Castellano Noni et certis alijs super concordia facienda inter dictum dominum Bonefacium Marchionem et comune Ast cum datione obsidum ibidem nominatorum.* (1193) [1].

Hec sunt tria scripta in una carta. In nomine domini nostri Yhesu Christi, discordia que vertebatur inter homines et Bonefacium Marchionem Montisferrati posita est

[1] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcripsit J. Ficker ediditque; Böhmer *Act. Imp. Sel.* cit. pag. 819. N. 1132. cuius lectio omnino cum nostra convenit.

ab ipsis hominibus Astensibus et Marchione Bonefacio ad concordandum in domino Thoma Castellano Noni et Rogerio de Curia et Scarampo et Ogerio Catanico, Valentie et Raynerio de Grana, Qui Rogerius, Scarampus, Ogerius et Raynerius iuraverunt supra dei evangelia omnes querimonias que coram eis fient ex parte Astensium et ex parte Marchionis bona fide et sine fraude ad concordiam reducere, Et si de hoc isti quatuor non possent se concordare ad invicem inter se, dominus Thomas debet esse cum eis ad hanc concordiam faciendam Et si isti quinque inter se non possent se concordare debent communiter et communi eorum voluntate eligere unum sapientem qui secundum rationem discordiam istam difiniat et decidat.

Hec sunt nomina obsidum, quos Marchio Bonefacius Montisferrati dedit in manibus domini Thome et Rogerij de Curia et Scarampi Ogerij Catanici et Raynerij de Grana pro illa concordia quam fecerint, inter se et homines Astenses observanda, Biglus de Taurino, Guilelmus Nascus de Taurino, Rattus, Simplex de Canelio, Jacobus de cellis, Guilelmus de Calianno, Gualla pastronus, Obertus Siccus de Vignali, Qui omnes iuraverunt supra dei evangelia esse et stare in ostadio predictorum Thome, Rogerij, Scarampi, Catanici, et Raynerij, quandocumque isti omnes vel dominus Thomas per parabolam illorum omnium diceret eis ut starent in eorum ostadio, et ubicumque ipsi omnes vel dominus Thomas per parabolam omnium eorum diceret eis quod starent in eorum ostadio isti stare debent, nec inde se removere sine licentia omnium illorum vel sine licentia domini Thome data eis per parabolam omnium aliorum.

Hec sunt nomina obsidum, quos Astenses dederunt in manibus domini Thome et predictorum quatuor cum eo, pro predicta concordia ex eorum parte observanda, Obertus de Vivario, Jacobus de Vivario, Gualla Boyanus, Anselmus filius Mussi de Curia, Guilelmus filius Ottonis de Sicardo, Rufinus Bayverius, Jacobus de Nantico, Gualla lanfranchinus. Qui omnes illud idem iuraverunt de ostadio, quod supradicti obsides Marchionis observare si deus illos adiuvet et sancta dei evangelia, et de hoc sunt due carte incise per Alfabetum.

730. *De venditione facta per suprascriptum Ottonem Rapam et socios de suprascriptis Castro villa hominibus et iuribus Caliani ad proprium pro precio librarum DCCC Januensium.* 1201. 10 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo primo, Indictione quarta die sabbati decimo intrante Novembre, Cartam venditionis fecerunt Otto Rappa et Otto Albricus pro tercia parte atque Guilelmus laurentius pro sexta parte ad proprium in manibus domini Guidonis de piroano potestatis astensis a parte communis recipienti nominative de Castro et villa Caliani cum aquatico et pascuo cum terris cultis cum vineis et pratis cum ierbis nemoribus et silvis, cum montibus et vallibus et planis rupibus et rupinis cum venationibus et piscationibus cum militibus et hominibus feudatis et infeudatis cum rusticis cum ecclesijs et capellis cum fictis et redditibus et omnibus usibus et rebus et iuribus ad ipsum castrum et villam quocumque modo pertinentibus et cum omnibus que tenent et possident per se vel per alium in Calianno et pertinentijs et cum omni honore et districtu iuste vel iniuste vel hactenus visi sunt habere nichil in se retinentes et cum omnibus iuribus et rebus quas et que

Bonefacius Marchio Montisferrati et Guilelmus eius filius ante venditionem vel aliam dationem in predictis venditoribus factam de predicto castro et eius pertinentijs tenebant et possidebant per se vel per alium in Caliano et in hominibus Caliani et universis pertinentijs Calianni, et cum omni honore et districtu et usque ad illam diem iuste vel iniuste habere vel tenere visi erant, Et hoc totum pro precio librarum Octocentum Januensium pro indiviso, de quo precio vocaverunt sese tacitos et contentos atque pagatos in presenti pro omnibus supradictis et infrascriptis. Et quam predictam vendictionem ut supra legitur in integrum predicti venditores pro se suisque heredibus promiserunt obligando omnia sua bona pignori, ita quod unusquisque eorum pro sua parte teneatur et conveniri possit primo loco cum effectu, omni iuri renunciato, que habent vel sunt habituri ipsi Guidoni nomine communis Astensis vel ad partem stipulanti ipsi communi, et cui ipsum commune daret defendere et guarentare, et eam omni tempore firmam tenere et non removere per se nec per suos successores neque per aliquam suppositam personam, nec ratione dupli nec aliquo alio iure vel lege, Et promiserunt eidem Guidoni ad partem supradicti communis quod ipsi renunciabunt fidelitatem et fidelitati de qua sibi tenentur homines Calianni et pro quanto ex se erit facient predictos homines Calianni iurare fidelitatem predicto communi sicuti Vasalli iurare habent domino suo. In qua fidelitate iurabunt supra sancta dei evangelia salvare et custodire atque defendere predictum commune et homines ipsius comunis in rebus et in personis et nuncios ipsius communis, Et predictam venditionem semper firmam et ratam tenere et ipsum castrum et villam Calianni eidem communi ab omni homine defendere et conservare et eidem communi ipsum castrum et villam varnitum et varnitam vel disvarnitum vel disvarnitam ad suam voluntatem expedire et reddere et non impedire. Insuper predicti venditores dederunt cesserunt atque mandaverunt predicto domino Guidoni potestati Astensi nomine ipsius communis de Aste omnia iura et omnes actiones et rationes reales et personales utiles et directas exceptiones atque replicationes que et quas habent et habuerunt in Calianno in castro et in villa et in posse et in hominibus et in godimentis et in omnibus alijs rebus et iuribus illius castri et ad ipsum castrum pertinentibus et adversus quamlibet personam sicuti in carta venditionis continetur Calianni facta ipsis venditoribus a domino Bonefacio Marchione Montisferrati et Guilelmo eius filio, et facta a Thoma notario anno domini MCLXXXXVII° Indictione quintadecima, die lune tercio decimo kallendas Marcij, Et cartam illam et omnes alias cartas quas habebant de Calianno et de facto Calianni a Marchione Montisferrati et a Communi de Aste et a qualibet alia persona in debito sacramenti quo tenebantur eidem Guidoni, se reddidisse et dedisse illi Guidoni ad partem communis confessi fuerunt, Et insuper promiserunt eidem Guidoni si quod instrumentum de facto Calianni penes illos remansisset vel penes alium pro eis inveniretur vel recordaretur pro suo posse ipsum dare et restituere tali modo quod ipse Guido nomine communis Astensis et ipsum comune ex hac die in antea in omnibus et per omnia et pro omnibus in ipsorum venditorum sit loco, et eorum iuri et iuribus rationibus et actionibus realibus et personalibus defensionibus et exceptionibus et replicationibus in agendo conveniendo atque defendendo adversus quamlibet personam vel personas uti possit experiri convenire seseque ab omni persona defendere quemadmodum ipsi venditores poterant.

Insuper ipsi venditores ipsum dominum Guidonem nomine communis Astensis seu ipsum commune ad possessionem predicti loci Caliannj et ville et posse sua auctoritate intrandam et tenendam et ad omnes actiones et rationes movendas et omnes exceptiones et defensiones exercendas tanquam in rem suam procuratorem fecerunt et licenciam et potestatem atque auctoritatem dederunt. Promiserunt insuper ipsi venditores eidem potestati nomine communis quod supradicta vendictio vel iuris cessio pro eorum dato vel facto vel pignore a tempore sue emptionis si cum ratione eviceretur vel inquietaretur cum pignore suarum rerum suisque expensis defendere warentare et resarcire, ita quod quisque pro sua parte possit conveniri primo loco cum effectu omni renunciato iuri, salvis in omnibus supradictis, quod si predicta omnia vendita et cessa, vel aliqua de predictis inquietarentur vel evincerentur iure a Marchione Montisferrati vel eius filio vel eorum herede, predicti venditores evictionis nomine ultra acceptam quantitatem pro ipsa venditione et cessione non teneantur, et eatenus minus quatenus pro ipsis venditoribus ipsum commune ab ipso Marchione vel eius filio vel eius herede cum ratione recipere haberet. Preterea Obertus de Vivario, Azo Gotarubea, henricus de Sancto iohanne quisque insolidum pro Ottone Rapa promiserunt eidem potestati sic attendere ut Otto Rapa promiserat. Et pro hjs omnibus supradictis firmis tenendis et observandis, se suaque omnia bona obligaverunt, predicta omnia obligaverunt omnia in omnibus omni tempore firma tenere, et in omnibus tanquam ipsi rei observandis, se suaque omnia bona principales tenebunt cum rebus suis perpetuo obligati.

Actum est hoc Aste in domo communis, Testes fuerunt ibi Ubertus layolius, Robaldus Gardinus, Magister Petrus Becharius, Petrus Cicia, Girardus Ginorius, Albertus de Mocia, Otto vola, Robaldus Marucus, et plures alij, Et Otto Bassus notarius hanc cartam scripsit. Item die lune pridie kallendas Januarj Anno domini M°CC°II° Indictione quinta illam eandem venditionem promissionem atque cessionem quam fecerant Otto rapa, Otto Albricus atque Guilelmus laurentius de illorum parte Calianni de castro villa et posse ut per omnia supra legitur, fecerunt Maynfredus Cavazonus, Robaldus Faxolus, Goamondus nomine Jacobi de Sybona de Medietate Caliani pro indiviso quisque pro sua parte pro precio librarum Octocentum Januensium de quibus tenuerunt se pagatos. Insuper Bayamondus de platea atque Goamondus promiserunt eidem potestati nomine communis Astensis et res suas pignori obligaverunt, quod facerent Jacobum de Sybona predictam venditionem habere firmam tercio die postquam eis fuerit requisitum. Quam venditionem fecerunt predicti venditores in manibus domini Guidonis de piroano Potestatis Astensis nomine eiusdem communis Astensis, Et promissionem confessionem atque iurium cessionem de facto Calianni in omnibus et per omnia sicuti fecerant Otto Rapa, Otto Albricus atque Guilelmus laurentius, in fideiussoribus quos dederat Otto Rapa. Actum est hoc Aste in predicta domo communis, testes fuerunt ibi Albertus Savoritus, Ubertus layolius, Guilelmus Magnanus, Astesanus Vastafillatus et Philippus notarius. Et Otto Bassus hanc cartam scripsit.

731. *De confessione facta per dictum Ottonem Rapam de solutione sibi facta per comune Astense de libris ducentis in una parte, et de libris LXXX solidis VI denarijs VIII in alia parte pro facto Calianj.* 1202. 9 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo Indictione quinta die sabbati nono intrante Marcio, In presentia testium quorum nomina inferius designantur, Confessus fuit Otto Rapa se esse pagatum a communi de Aste de libris ducentis pro facto Calianni quas habere debebat pro pace Albe, de Alba et quod inde cartam reddiderat, et ex alia parte erat pagatus ab eodem communi de libris octuaginta tribus et solidis septem minus denarios IIII^or^ pro eodem facto Calianni, Et quod erat pagatus de Godimentis, quod recipere debebat de facto ejusdem Caliani ante annum novum proximum transactum. Actum est hoc Aste in domo communis. Testes interfuerunt ibi homodeus de Valfenaria, Andreas Rognonus, Anselmus de Curtemillia, Ubertus Arnulfus, Saracenus durnasus, Obertinus Arnulfus, Philipponus notarius omnes vocati et rogati.

Et ego Otto Bassus sacri pallatij notarius interfui rogatus et scripsi.

732. *De fidelitate comuni Ast facta de Castro Calianni per Raynerium filium Tisij de Calianno.* 1202. 30 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo, indictione quinta die Sabbati tercio kallendas Aprilis, presentia domini Guidonis de piroano potestatis Astensis Raynerius filius Taxj de Calianno, non ipso Taxo presente fecit fidelitatem communi de Aste de Castro Calianni talem qualem vasallus facit suo domino. Actum in Aste ante butecam Bonefacij de Cario, testes Robaldus Faxolius, Guilelmus de Cario, Jacobus Ottinus, Vaxellus damianus, heustachius Cacos et plures alij.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et iussu domini Guidonis potestatis Astensis scripsi.

733. *De simili fidelitate dicto comuni Ast facta de dicto castro Caliani per Ubertum Nigrum de Caliano.* 1202. 30 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo indictione quinta die sabbati tercio kallendas Aprilis, presentia domini Guidonis de piroano potestatis Astensis Ubertus niger de Calianno Ottone nigro patre suo ibi presente fecit fidelitatem communi de Aste de Castro calianni talem qualem vasallus facit domino suo. Actum in Aste ante butecam Bonefacij de Cario, Testes Rolandus de Fontana, Robaldus Faxolius, Petrus de Troya et Boninus frater eius.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et iussu domini Guidonis potestatis Astensis scripsi.

734. *De forma pacis et concordie ordinate inter dominum Guilelmum Marchionem Montisferrati filium domini Bonefacij pro se et dicto eius patre et dominum Maynfredum Marchionem de Buscha ex una parte, et comune Ast ex altera, inter alia super venditione Caliani, que promissa et iurata fuit per dictum dominum Marchionem Guilelmum.* 1206. 30 Aprilis.

In nomine domini nostri Yhesu christi amen, hec est forma pacis et concordie Astensium et domini Guilelmi Marchionis Montisferrati, quam Guilelmus Malusocellus et Mandrolio Vardalossus sunt operati, Marchio debet dare vel vendere Astensibus Calianum in alodium secundum hoc quod sapientibus de Aste ordinatum fuerit, homines debent reddere Calianum ipsi Marchioni in feudum liberum et absolutum ab omni debito communis de Aste et Maynfredi de Solario et Guilelmi doneti et Ardizonis Cavazoni, Marchio debet facere fidelitatem communi de Aste de Calianno in Aste in publica concione talem qualem Vasalus facit suo domino, et refutare fidelitates hominum, Et homines Calianni debent facere fidelitatem communi de Aste, et postea debent facere fidelitatem Marchioni, salva fidelitate communis Astensis, similiter idem Marchio debet facere fidelitatem communi de Aste de Feliciano talem qualem dominus Bonefacius pater eius fecit communi de Aste in ultima vice, Et homines Feliciani debent facere fidelitatem communi de Aste, talem qualem in ultima vice fecerunt. Item potestas de Aste nomine communis Astensis et Marchio Montisferrati inter se iurare consortitum de Montebersario et de Malamorte quisque de sua quam ibi habent uno mense ante quam hec guerra inciperetur. Item homines de Aste debent dare Marchioni stratam per Montem barucium tantum quantum ipsis Astensibus placuerit et homines de Aste debent dare Marchioni pro pedagio denarios quadraginta tres ianuenses pro denarijs XLIII papiensibus quos ibi capiebat de quibus denarijs XLIII Ianuensibus Marchio debet habere denarios XLIII papienses de quibus debet solvere Mandrolio Vardalosso et fratri suo et obertino Vardalosso et Guilelmo Sicardo et fratribus suis hoc quod eis dare debet, et hoc quod superest de cambio a denarijs XLIII papiensibus usque ad denarios XLIII Januenses debet dare suis creditoribus de Aste et alijs de Aste qui capti fuerunt ad Montilium et de fontanis debet eis dare tantum quantum habuerunt tempore patris et avi sui, Et quandocumque ipsi creditores et illi qui capti fuerunt ad Montilium soluti fuerint de hoc habere quod debent, Marchio debet reducere hos denarios XLIII Januenses ad denarios XLIII papienses sicut olim constituti sunt vel fuerunt. Marchio debet accipere stratam super se a Rupecula usque ad vulturem et a vulture usque ad rupeculam, Ita quod si quid damni alicui Astensi, quod deus Nolit, ibi acciderit, Marchio cum integritate ei restituere debet. Item Marchio debet reddere Astensibus autenticum illius instrumenti quod pater eius fecit ei, quod ratos haberet omnes contractus quos ipse filius eius faceret retinendo sibi exemplum si voluerit. Item Marchio debet reddere et absolvere omnes Astenses captos quos habet per se vel per se suos homines de Aste et de virtute Astensi et de eorum parte et securitates quas habet ac cartas et manulevationes eorum per se vel per alium prorsus absolvere et deliberare et cartas quas inde habet per se vel per alium, eis reddere, et omnes captos quos illi de sua parte habent de Aste et

securitates et manulevationes eorum facere similiter reddere et omnino deliberare et absolvere, et cartas quas inde habent eis reddi facere, Et hoc idem homines de Aste ex eorum parte Marchioni facere debent de suis captis. Item Marchio pro se et pro omnibus de sua parte debet facere pacem et finem hominibus de Aste et omnibus eorum auxiliatoribus et de omnibus damnis et vastis et incendijs et malefactis et maleficijs eis et suis auxiliatoribus datis et factis pro hac guerra. Item eis eorumque auxiliatoribus tenere pacem firmam in perpetuum, Et hoc idem Astenses pro se et pro eorum parte Marchioni et illis de sua parte facere debent. Concordia Astensium et illorum de Astesio super Marchionem et potestatem remanere debet. Preterea Marchio et dominus Maynfredus Marchio de Buscha debent facere communi de Aste donum vel datum vel venditionem de Castagnolis et de laureto et de Comitatu laureti, quod Astensibus magis placuerit secundum quod sapientes de Aste ordinare voluerint ut melius et liberius tenere possint, Et inde eis cartam fieri facere secundum consilium et ordinamentum sapientum de Aste. Item quod faciet ipsum dominum Maynfredum iurare hanc pacem firmam tenere, et ipse dominus Maynfredus debet refutare fidelitates omnium hominum laureti et comitatus et Castagnolarum, Et si contingeret quod dominus Maynfredus de Buscha hominibus de Aste pacem frangeret vel quod superius de laureto et comitatu et de castagnolis ordinatum est non observaret, vel hoc in totum vel in parte molestaret, Marchio debet iurare de hoc domino Maynfredo deficere, et inde ei guerram facere et Astenses contra eum adiuvare donec de hoc de sua voluntate Astensibus staret, vel quod supra legitur et continetur observaret. Insuper homines de Aste pro dono vel dato vel venditione laureti et Comitatus et Castagnolarum debent dare domino Maynfredo de Buscha libras quatuormillia Astenses ad illum terminum vel ad illos terminos de quo vel de quibus Marchio et potestas de Aste concordes fuerint. Item promittit potestas dare stratam Marchioni per Montembarucium hinc usque ad septem annos vel per aliam partem de qua Marchio cum potestate Astensi vel cum consulibus Astensibus credencie per campanam congregate totius vel maioris partis esset in concordia, salvo eo quod si aliquis vel aliqui per aliam stratam iret quod pro eo pax fracta non haberetur secundum modum pedagium, quod in alio capitulo continetur. Anno domini Millesimo ducentesimo sexto Indictione nona die dominica secunda kallendas Madij in foro domatis in publica concione de Aste presentia testium quorum nomina inferius leguntur dominus Guilelmus Marchio Montisferrati filius dominj Bonefacij Marchionis Montisferrati iuravit supra sancta dei evangelia et promisit domino lantelmo potestati Astensi nomine comunis de Aste stipulanti ut supra continetur in omnibus capitulis et per omnia capitula supra nominata attendere et observare per se et suam partem pacem tenere hominibus de Aste et sue parti. Testes fuerunt ibi Comes Grassus, Asaglitus de Sanctonazario, Ogerius Capitaneus Nicholaus de Foro, Albertus Strusus, Jacobus Rohat, Guilelmus Gardinus, Opizo de pusterna, Ubertus de platea, Azo palius, Systus de Concoregio et Mandrolio Vardalosso Guilelmus Malusocellus et multi alij. Et Otto Bassus notarius hanc cartam scripsit.

Isti iuraverunt hanc pacem ex parte domini Guilelmi Marchionis Montisferrati, Otto de Grafangno, Guilelmus de Munisengo, Raynerius de Grana, Gualla pastronus Et Otto Bassus notarius ibidem interfuit et scripsit.

735. *De venditione dicto comuni Ast facta per dictum dominum Guilelmum Marchionem Montisferrati de dictis Castro villa hominibus et juribus Caliani pro precio librarum quinquemillium.* 1206. 30 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto indictione nona die dominico pridie kallendas Madij, dominus Guilelmus filius domini Bonefacij Marchionis Montisferrati fecit cartam venditionis in manu domini lantelmi de landriano potestatis Astensis nomine communis Astensis et ad partem ipsius communis recipientis nominative de castro et de villa et de posse Calianni et de omnibus hjs que pertinent ad castrum villam et ad iurisdicionem Calianni vel que pertinere videntur, videlicet de ecclesijs et capellis de militibus et de ceteris hominibus feudatis, et infeudatis de terris et de vineis cultis et incultis de silvis et nemoribus de pratis et zerbis, de fluminibus et pascuis, de piscationibus et venationibus, de ripis, rupibus et ruynis de aquatu et ripatu de furnis et molendinis de drictis et fictis et de omnibus alijs rebus que predicto castro Calianni et curie et iurisdictioni pertinent vel pertinere videntur ullo modo cum omni honore et comitatu et curia et iurisdictione illius castri nichil in se retinendo, Eo modo ut homines de Aste et commune de Aste aut cui dederit a modo predictum castrum Calianni cum omnibus supradictis ad proprium et in alodium habeant teneant et libere et quiete iure proprietario possideant, et ex eo quicquid voluerint faciant sine omni contradictione ipsius Guilelmi Marchionis Montisferrati et heredum eius et omnium aliarum personarum pro eo. Quam venditionem sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione precij in consimili loco dictus Guilelmus Marchio pro se et suis heredibus dicto lantelmo de landriano Astensi potestati nomine communis de Aste stipulanti, sibi et communi de Aste et hominibus de Aste eorumque heredibus aut cui dederint ab omni homine sub pena dupli defendere promisit sub extimatione in consimili loco cum stipulatione subnixa, pro qua venditione dictus Guilelmus Marchio Montisferrati confessus fuit se pro precio recepisse a communi Astensi libras Quinque millia Astensis monete de quibus se tenuit solutum et quietum videlicet et pagatum, Renunciando exceptioni non numerate pecunie et non recepti precij, Et que libre Quinque millia confessus fuit solutas esse in debitis et creditoribus domini Bonefacij Marchionis Montisferrati patris sui, videlicet Maynfredo de Solario, Guilelmo donneto, Ardizoni Cavazono, Maynfredo Cavazono, Guilelmo laurencio, Jacobo de Sybona, Robaldo Faxolio et alijs creditoribus domini Bonefacij patris sui. Insuper nominatus Guilelmus Marchio promisit prefato lantelmo potestati Astensi vice et nomine communis Astensis et omnium hominum de Aste se proinde non venire contra hanc venditionem in aliquo tempore ea ratione quod sit deceptus vel quod res predicta valeat ultra dimidiam iusti precij nec aliqua ratione, Et pro hjs omnibus observandis et attendendis omnia sua bona habita et habenda hominibus et communi de Aste pignori obligavit. Insuper confessus fuit commune de Aste esse in possessione predicti Castri de Calianno et omnium aliorum supradictorum ad illud castrum pertinentium suo consensu, sua concessione voluntate et permissione. Preterea predictus Guilelmus Marchio Montisferrati profitendo se esse maiorem iuravit supra sancta dei evangelia predictam venditionem et pignus et possessionem et omnia supradicta in perpetuum firma tenere et observare nec per se nec per

aliam personam in aliquo tempore molestare nec removere de precio supra nominato, quietum se tenere et pagatum, nec per se nec per aliam personam in aliquo tempore illud repetere. Actum in urbe Aste in publica concione interfuerunt testes Comes Ubertus Grassus de Cochonato, Albertus Strufus de Cremona, Opizo de pusterna potestas Taurinj, Guilelmus Malusocellus, Jacobus Rohata, Guilelmus Gardinus, Systus de Concorezio, Mandrolius vardalosso, dominus Asalitus de Sanctonazario, Nicholaus de Foro, Ubertus de platea, Azo palius, Ogerius Catanicus. Gandulfus donaschus notarius hanc cartam scripsit.

736. *De investitura facta per comune Ast in dictum dominum Guilelmum Marchionem Montisferrati de Felizano et de Caliano in rectum feudum, Et de fidelitate quam juravit dictus Marchio predicto comuni de dictis locis.* 1206. 30 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto indictione nona die dominico pridie kallendas Madij dominus lantelmus de landriano potestas Astensis nomine communis astensis in publica concione populo laudante et vidente Investivit dominum Guilelmum Marchionem Montisferrati de Castro et villa Felizani cum omni honore et districtu in rectum feudum in filios et in filias, Et de castro et villa et posse Caliani cum omni honore et districtu illius castri sicut communi de Aste per venditionem dederat ut in carta inde facta vel tradita continetur in augmentum sui feudi scilicet in rectum feudum in filios et in filias eum investivit, Et ibidem nominatus dominus Guilelmus Marchio fecit eidem lantelmo potestati Astensi nomine communis de Aste et hominibus de Aste pro communi fidelitatem de castro et loco Felizani et de novo feudo scilicet de castro et loco Caliani sicut inferius continetur. Juro supra sancta dei evangelia quod a modo ero fidelis domino lantelmo potestati astensi nomine communis et alijs potestatibus de Aste dum in regimine civitatis Astensis extiterint et consulibus et hominibus de aste pro communi, Et non ero in consilio ut personam vitam vel membrum mentem vel sensum perdant vel quod habeant captionem aliquam contra eorum voluntatem, Et si sciero eorum malum, omnibus modis prohibebo ne fiat, et si illud prohibere non potero, per me vel per meum missum vel per meas literas eis denunciabo, Credenciam quam potestas vel consules de Aste michi dixerint privatam tenebo, nec eam ad eorum damnum alicui manifestabo contra eorum voluntatem donec palam fuerit, Felizanum et Calianum et totam aliam terram de qua sunt saxiti et investiti, item totam aliam terram de qua saxiti et investiti fuerint cum ratione adiuvabo eos tenere et defendere contra omnes homines, Et si eam perdiderint ad eam recuperandam et tenendam adiuvabo eos, et eam recuperatam adiuvabo eos tenere contra omnes homines, Castrum Felizani et Caliani non vetabo potestati et hominibus de aste guarnitis nec scaritis pro communi nec pro diviso, Et eis ea castra non vetabo quin faciant ex eis guerram vel pacem cuicumque voluerint, et eam pro communi et pro hominibus de aste ex illis castris faciam quotiens ipsi Astenses michi preceperint, Et si quid aliud in fidelitate, quam Vasallus facit suo domino continetur, illud observabo, Et ita ego Guilelmus Marchio Montisferrati iuro attendere si deus me adiuvet et sancta dei evangelia, Salvo Imperatore. Actum in Urbe Aste in publica concione, interfuerunt testes, Comes Ubertus Grassus de Coconato, Albertus Strufus de Cremona,

Opizo de pusterna potestas Taurinj, Jacobus Rohal, Guilelmus Gardinus, Guilelmus Malusocellus, Systus de Concorezio, Mandrolius Vardalos, Asalitus de Sancto nazario, Ogerius Catanicus, Nicolaus de Foro, Ubertus de platea et Azo palius.

Et Gandulfus domaschus notarius hanc cartam fecit.

737. *De renunciatione facta per dictum dominum Guilelmum Marchionem pro se et dicto eius patre de fidelitatibus hominum Caliani, Et de fidelitate per eos facta dicto comuni Ast precepto ipsius Marchionis.* 1206. 5 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto Indictione nona die Veneris quinto intrantis Madij In urbe de Aste in ecclesia sancti Johannis de domate coram credentia per campanam congregata, presentia infrascriptorum testium dominus Guilelmus filius domini Bonefacij Marchionis de Monteferrato suo et patris sui nomine abrenunciavit fidelitatibus hominum de Caliano qui ibi presentes erant et omnium aliorum hominum de Caliano, Eisque qui presentes erant precepit, quatenus ipsi domino lantelmo de landriano potestati Astensi nomine communis de aste fidelitatem facerent qui omnes, qui ibi presentes erant domino lantelmo de landriano potestati Astensi nomine comunis Astensis et hominibus de aste pro communi et pro diviso fidelitatem iuraverunt, sicut fidelis et vasallus facit suo domino. In qua fidelitate iuraverunt, quod non facerent fidelitatem alicui homini, nisi salva fidelitate Astensium. Nomina hominum de Caliano qui ibi presentes erant, et qui fidelitatem predictam domino lantelmo nomine communis astensis fecerunt ut superius legitur hec sunt, Otto Capa, Guala de Montecello, Arnaldus de Sancto petro, Robaldus de Mamuengo, Gualterius de Mamuengo, Aymarius de Sancto felice, Jacobus de Manzito, Gamundius de Mamuengo, Ambrosius de Sancto petro, Ogerius de Mamuengo, Jacobus Cazamol, Secundusodo de Montrusono, Obertus porcellus, Raynerius Sapiens, Rogerius de Sancto felixio, Berardus de Montrusono, Oddo de Area, Arnaldus de Vignalio, Astesanus de Caliano, Jacobus de Crosa, Germanus de Solenghello, Robaldus de Montrusono, Astesanus de Montrusono, Obertinus de Sancto felixio, Segnorius de Serra, Ardicio de Sancto petro, Guilelmus de Area, Obertus de Manzeto, Obertus Ferarius, Girardus porcellus, Bonefacius de arminia, Petrus de Caralio, Gandulfus de Sancto felixio, Guilelmus licafrigus et Jermanus de Mamuengo. Ad hec interfuerunt testes, dominus Ubertus Grassus Comes de Cochonata, dominus Albertus Struxus, Capitaneus de Valenza, Asalitus de Sancto nazario, Maynfredus de solario, Oddo Bassus.

Et Gandulfus notarius hanc cartam scripsit.

738. *De simili renunciatione et fidelitate per alios homines Caliani dicto comuni similiter facta.* 1206. 6 Maij.

Anno eiusdem Millesimo ducentesimo sexto Indictione nona die sabati sexto intrantis Madij, in via publica de Caliano dominus Guilelmus filius domini Bonefacij Marchionis de Monteferato suo et patris sui nomine abrenunciaverunt fidelitatibus hominum infrascriptorum de Caliano, et eis precepit ut domino lantelmo de landriano potestati astensi nomine communis faciant fidelitatem. Nomina eorum qui iuraverunt fidelitatem predicto domino lantelmo nomine et vice comunis Astensis, hec sunt Bonefacius Machius, Obertus de Serra, Ebecus, Rolandus de Monticello, henricus de

Sancto petro, Rolandus Falcus, Aycardus de Sancto petro, Guilelmus de Augusta, Guilelmus Molinus, Obertus Balbus, Maynfredus de Crosa, Bestosus, henricus de Vignali, Joannes de Vignali, Guilelmus Albus, Jacobus Claudus, Bonefacius de Mamuengo, Bonusiohannes Balbus, Alemus, Ascherius de Fossato, paternus Saxius, Obertus Niger, Johannes paradisus, Gilius de Frachia, Anfosus de Manzeto, Stefanus Oddinus de Sancto felice, Germanus Rubeus, Petrus de Monte, Jacobus de Monte, Guilelmus de Mamuengo, Henricus levaoculus, Rofinus de Manzeto et Maynfredus de Mamuengo. Interfuerunt testes Otto Capa de Caliano, Jacobus Bovetus notarius astensis et multi alij, Et Gandulfus sacri palatij notarius interfuit et scripsit. In sequenti die dominica proxima, Isti similiter iuraverunt fidelitatem prenominato domino lantelmo de landriano potestati Astensi nomine communis de aste, Rolandus de Mamuengo et obertus Rubeus.

Et Gandulfus notarius hanc cartam scripsit.

739. *De fidelitate dicto comuni Ast facta de Castro Caliani per Castellanos dicti Castri.* 1206. 7 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto Indictione VIII die dominica septima intrantis Madij in villa de Caliano presentia infrascriptorum testium Guilelmus de Sotaria et Ansaldus de Mommenzano, Castellani de Castro Caliani nomine et vice communis de aste fidelitatem de Castro Caliani iuraverunt domino lantelmo de landriano potestati Astensi, in qua fidelitate iuraverunt quod castrum Caliani pro domino Guilelmo Marchione de Monteferrato alicui persone non redderent nisi prius ille cui redderent fidelitatem communi de Aste de ipso Castro iuraverint. Interfuerunt testes Jacobus Bovetus notarius et Syxtus de Concorezio et multi alij.

Et Gandulfus notarius hanc cartam scripsit.

740. *De possessione castri Caliani per comune ast data in rectum feudum dicto domino Guilelmo Marchioni iuxta formam concordie suprascripte.* 1206. 7 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto Indictione nona die dominico septimo intrantis Madij, In castro Caliani presentia infrascriptorum testium, dominus lantelmus de landriano potestas Astensis nomine communis de aste tradidit domino Guilelmo Marchioni de Monteferrato possessionem Castri Caliani in rectum feudum in filios et in filias sicut eidem domino Guilelmo Marchioni Montisferrati promiserat secundum formam pacis et concordie quam cum eo fecerat. Interfuerunt testes Albertus Strusus, Raynerius de Grana, Asalitus de Sancto nazario, Obertus Sinistrarius, Girardus Ginorius, petrus laurencius et Girbaldus Mastrocius et plures alij.

741. *De renunciationibus factis per dictum dominum Marchionem et dominum Raynerium de Grana de fidelitatibus quorumdam de Paterno, et de precepto per eos dictis hominibus facto quod fidelitates faciant dicto comuni de castro predicto.* 1206. 7 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto, Indictione nona die dominica septima intrantis Madij In vico Caliani presentia infrascriptorum testium, dominus Guilelmus filius domini Bonefacij Marchionis Montisferrati suo et patris sui nomine abrenun-

ciavit fidelitatibus infrascriptorum hominum de paterno, et eis precepit ut potestati Astensi domino lantelmo de landriano nomine communis de Aste de Castro Caliani fidelitatem iurarent, Et Raynerius de Grana eodem modo abrenunciavit et precepit ipsis hominibus de paterno. Nomina quorum de paterno qui iuraverunt fidelitatem predicto potestati nomine communis de Aste sunt hec Amedeus Sappa, Bonusiohannes de paterno, Obertus Grassus, Villanus de paterno, Aycardus Garbella, Guilelmus de Castagnolis, Jordanus Alverius, Bonus Malavolia, Jacobus de Boscho, Obertus Revellus, Oddo de Boscis, Rufinus Poreta, Opizo de Castagnolis, Otto Oloellus, Guilelmus de valle, Gualterius de Sera, Obertus de valle, Astesanus de paterno, Arnaldus Corvus, Alinerius et Obertus Cervus. Interfuerunt testes, Girardus Ginorius, Petrus laurentius, Rolandus Sinistrarius, Guilelmus Ratio et multi alij.

Et Gandulfus notarius pallatinus interfuit et scripsit.

742. *De requisitione facta per comune Ast a domino Bonefacio Marchione predicto quod fidelitatem faciat dicto comuni de Caliano et medietate Felizani.* 1226. 21 Septembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo sexto indictione quartadecima die lune undecimo kallendas Octubris presentia subscriptorum testium, dominus Guilelmus Amatus potestas Astensis nomine et vice communis Astensis Requisivit a domino Bonefacio Marchione Montisferrati et ab eo postulavit ut faciat fidelitatem communi astensi de Caliano et de medietate Felizani et de eo quod tenet pro communi Astensi. Actum in posse Crixanj de subtus Mansionem templi. Interfuerunt testes Ubertus de Revello, Ansaldus de lanerio, Petrus Becharius, Guilelmus Cassanus et Rolandus Cazo.

Et Maynfredus Carena notarius hanc cartam scripsit.

743. *De concordia et conventionibus factis inter comune ast et homines Caliani in qua inter alia dederunt dicto comuni Ast Calianum cum omnibus suis pertinentijs, Et ipsi homines Caliani effecti fuerunt cives Astenses sub certis pactis.* 1292. 26 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo Indictione quinta die lune vigesimo sexto mensis Madij In nomine domini nostri Yhesu Christi amen. Infrascripta pacta et conventiones infrascripte facta et celebrata et facte et celebrate fuerunt inter nobilem militem dominum Guilelmum de lambertinjs honorabilem potestatem Astensem et discretos viros dominos Guilelmum Cazo, Filippum de platea, Raymondinum Falletum et Bartholomeum Alferium loco et vice dominj Ogerij Alferij patris sui quatuor sapientes quibus commissa sunt negocia communis Astensis auctoritate baylie et arbitrij eis concesse et concessi per ducentos sapientes de quatuor societatibus civitatis Astensis sicut patet per publicum instrumentum scriptum per Petrum Morandum notarium hoc eodem anno et indictione die ..... habentes bayliam et auctoritatem a generali consilio civitatis Astensi super omnibus et singulis factis et negocijs communis Astensis, Que baylia et auctoritas scripta est in libris consiliorum generalium civitatis Astensis, nomine et vice communis Astensis ex una parte, et Obertum Regem de Caliano sindicum et procuratorem communis et hominum Caliani de qua procuratione et de quo sindicatu apparet per publicum instrumentum

scriptum per Bertholotum Ferarium de Caliano notarium hoc eodem anno et indictione, die Mercurij XXI mensis Madij nomine et vice communis et hominum Caliani ex alia parte. In primis dictus Obertus Rex predicto nomine et omni iure et modo quo melius potuit, dedit tradidit et concessit dictis domino potestati et Sapientibus recipientibus nomine et vice communis Astensis, et eisdem predicto nomine stipulantibus dare tradere et concedere solemni stipulatione interveniente promisit castrum turrim pallatia et hedificia castri Caliani et villam Caliani cum omnibus et singulis pertinentibus ad dictum castrum et villam, Tali modo quod commune astense decetero et in perpetuum dictum castrum turrim pallatia et hedificia et villam cum omnibus et singulis pertinentibus ad predicta habeat teneat et quiete possideat et ex eo quicquid voluerit faciat non obstante contradictione comunis et hominum Caliani, quod castrum et quam villam dictus sindicus predicto nomine promisit dictis sapientibus nomine et vice communis Astensis stipulantibus defendere et conservare extra iudicium et de facto ad opus utilitatem et honorem communis Astensis ab omni persona et personis et universitate et contra omnes personas et universitates pro qua quidem datione et concessione et pro predictis omnibus et singulis ac etiam infrascriptis dicti domini potestas et quatuor sapientes auctoritate predicte baylie et omni jure et modo quo melius potuerunt receperunt dictum Obertum nomine et vice communis et hominum Caliani et per eum dictos commune et homines in cives civitatis Astensis, Tali modo et forma quod decetero predictum Commune et homines Calianj et posse, et qui decetero iverint ad habitandum in Caliano et posse exceptis civibus civitatis astensis et illis qui sunt de Villis vel locis comunis astensis quos dicti de Caliano ad habitandum in Caliano vel posse vel pro habitatoribus recipere nullo modo possint, sint cives perpetuo civitatis Astensis sicut sunt illi qui sunt origine de civitate astensi et in omnibus commodis et utilitatibus eorum tractentur et habeantur per commune astense, sicut cives origene civitatis astensis pactis et conventionibus infrascriptis, ita quod per predictum citaynaticum vel per predicta vel aliquod predictorum vel infrascripta vel aliquod infrascriptorum commune vel singulares persone Caliani non teneantur facere pro communi astensi nisi tantum et solomodo ea que inferius continentur et ad alia quam ad ea que inferius continentur nullo modo cogantur per commune Astense ita quod comune astense in villa vel Castro Vicinali vel hominibus Caliani nulla alia iura quam infrascripta possit petere exigere vel habere nisi esset de voluntate communis Caliani. Actum fuit enim inter dictas partes quod commune et homines Caliani de omnibus questionibus sive causis criminalibus excepto homicidio, strata rupta et femina vi rata vel cognita et exceptis omnibus et singulis maleficijs que committerentur in personam alicuius civis Astensis, et de omnibus et singulis questionibus et causis civilibus et de damnis datis et guastis et de omnibus alijs et singulis articulis sive capitulis que spectant ad causas criminales preter quam ad predictas et ad civiles questiones, et de omnibus et singulis debitis et petitionibus cuiuscumque sint quantitatis et summe vel rei coram potestate Caliani rectore, magistratu vel preside quocumque Caliani et non coram alio teneantur et debeant facere et faciant rationem et illic pro predictis omnibus et singulis iuri subiaceant, ita quod predicti potestates, rectores magistratus vel presides qui per tempora erunt in regimine dicti loci Caliani habeant merum et mixtum imperium et jurisdicionem

omnimodam in omnibus et singulis supradictis, adeo quod commune Astense per se vel per alium de predictis vel aliquo predictorum se nullatenus intromittat et dictum commune et homines Caliani exercere merum et mixtum imperium et iurisdictionem omnimodam in predictis omnibus et singulis per potestates et rectores magistratus vel presides dicti loci libere et sine questione permittant. Hoc acto quod questiones et cause homicidiorum et strate rupte et feminarum per vim raptarum vel cognitarum, et omnes questiones et cause maleficiorum que committentur in personam alicujus civis Astensis vel de posse seu virtute Astensi debeant cognosci ventilari et examinari in civitate Astensi per potestatem vel presides civitatis Astensis. Et predicta maleficia homicidia strate rupte femine vi rate vel cognite et omnia alia maleficia que comitterentur in personam alicujus civis Astensis vendicari debeant et puniri et malefactores inde condemnari et bannirj et contra eos procedi in civitate Astensi per potestatem vel presides civitatis Astensis. Item actum est inter predictas partes quod commune et homines Caliani sint liberi et immunes ab omnibus et singulis fodris, prestitis, dacitis, taleis et collectis militijs equationibus impositionibus et muneribus realibus et personalibus vel mixtis vel operibus publicis condictionibus scuffijs et exactionibus quibuscumque usque ad quindecim annos proximos venturos tali modo quod predictum commune et homines cogi non possint sub aliquo modo vel ingenio ad sustinendum faciendum vel solvendum aliqua munera scufias, fodra taleas vel milicias usque ad quindecim annos proxime venturos in civitate Astensi vel communi Astensi nec mittere aliquos clientes sive homines ad custodiam alicujus castri vel ville, neque carusas aliquas, ducere contra eorum voluntatem in aliquibus exercitibus vel cavalcatis. Elapsis vero quindecim annis predictis commune et homines dicti loci teneantur et debeant solvere communi Astensi quolibet anno in perpetuum ad festum omnium sanctorum libras vigintiquinque Astenses quas libras vigintiquinque omni anno ad festum omnium sanctorum in perpetuum dictus sindicus nomine communis et hominum Caliani dare et solvere promisit dictis potestati et sapientibus stipulantibus et recipientibus nomine et vice communis Astensis in pecunia numerata in civitate Astensi elapsis xv annis proxime venturis. Item actum est inter predictas partes quod commune et homines Caliani ex nunc et in perpetuum teneantur et debeant facere et faciant pro communi Astensi pacem et guerram ad voluntatem communis Astensis contra omnes personas et singulas universitates et communia, et specialiter contra Marchionem Montisferrati et universitatem, Et dare communi Astensi et diviso et omnibus amicis communis Astensis iter et reditum stallum et reductum in vila et posse, et per villam et posse Caliani et succursum facere bona fide et sine fraude communi Astensi et diviso et illis de posse Astensi et amicis communis Astensis, et vetare omnibus inimicis communis Astensis villam et locum Caliani et vetare ne commune vel terram Astensem offendant in rebus pariter vel personis. Salvo quod non teneantur predicti de Caliano mittere in exercitibus vel cavalcatis que fierent per commune Astense usque ad quinque annos nisi clientes vigintiquinque, In exercitibus vero et cavalcatis que fierent per commune Astense post quinque annos proxime venturos teneantur predicti de Caliano mittere in perpetuum in quolibet exercitu et in qualibet cavalcata ad voluntatem communis Astensis, clientes quinqueginta et non plus. Item actum est inter predictas partes quod commune et homines Caliani habeant molendinum totum et totum molegium quod

erat ad pulentam vel aliud molendinum si aliud de novo ibi fieret liberum et franchum ad eorum voluntatem, furni vero et jura furnorum Caliani et posse sint communis et hominum Caliani, salvis in ipsis mollendinis et furnis juribus civium civitatis Ast. Item actum est quod omnes et singuli de Aste et de posse Astensi, qui sunt creditores communis vel alicujus singularis persone de Caliano vel posse cum carta vel sine carta sua sorte debeant esse contenti, ita quod aliquod guierdonum vel aliquam uxuram a dictis communi et hominibus Caliani petere vel exigere non possint, nec eciam sortem usque ad sanctum Johannem de Junio proxime venturum et ibidem usque ad unum annum proxime post sequentem, hoc etiam acto quod illi creditores qui debent recipere vinum vel granum ab hominibus Caliani, debeant esse contenti de solidis quinque pro quolibet stario vinj, et de solidis tribus pro qualibet mina grani, ita quod ultra a predictis debitoribus petere vel exigere non possint. Et predicta vendicent sibi locum in contractibus et debitis celebratis et factis hinc retro. Item actum est inter predictas partes, quod si commune Astense processu temporis vellet circa castrum Caliani aliquod de novo facere reficere vel hedificare, et ab hoc expediret quod domus aliqua vel hedificium seu terra alicujus persone devastaretur vel occuparetur quod dicta domus sive hedificium vel terra debeat dari et concedi communi Astensi per illum cujus fuerit dum tamen comune Astense predicta emat precio quo fuerit extimata per quatuor bonos homines ipsius ville super hoc eligendos, hoc tamen acto quod in refectione vel hedificijs vel laborerijs que commune Astense fieri faceret circa castrum et villam Caliani homines dicti loci non teneantur nec debeant nec cogi possint per commune Astense ad aliquod laborerium faciendum vel operas prestandas in dictis laborerijs contra voluntatem eorum. Item actum est inter predictos contrahentes quod commune vel homines Caliani per commune Astense vel aliquem habentem causam a communi cogi non possint ducere vel duci facere ad civitatem Astensem aliquam quantitatem blave que nata vel natum fuerit vel habuerit in villa vel posse Caliani nisi prout de eorum processerit voluntate, salvo quod ducere possint blavam et victualia et vinum per posse et districtum Astensem ad eorum voluntatem, et ducere ad civitatem Astensem et posse, Calianum pro suis necessitatibus non obstantibus aliquibus inhibitionibus communis Astensis, Blavam vero et victualia restricta teneant et extrahi non permittant de posse Astensi nec ea conducant ad aliquas partes contra banna et inhibitiones communis Astensis, Item actum est inter predictas partes quod omnes et singuli de Aste et de posse Astensi et undecumque sint, qui habent vel in futurum habebunt terras vel possessiones vel domos in villa Caliani vel posse solvant et solvere teneantur et debeant fodra taleas et collectas presta et dacita et omnes et singulas faciones in villa Caliani et cum hominibus ipsius ville Et pro predictis terris possessionibus et domibus in Ast vel alibi predicta solvere non teneantur nec cogi possint, Eo salvo quod quilibet civis Astensis et omnes habentes terras vel possessiones ad registrum communis Astensis teneantur et debeant solvere de ipsis rebus in Ast fodra, taleas et collectas, quousque fines Caliani a finibus aliarum villarum communis Astensis fuerint definiti, Definitis vero dictis finibus, de illis terris possessionibus atque domibus que remanebunt de versus Calianum et in finibus Caliani solvantur predicta in Caliano et non in civitate Astensi vel alibi ubicumque, quorum finium divisio et terminatio atque definitio fieri

debet inter se et alias villas circumstantes eis per duodecim homines Caliani eligendos per commune Caliani et per duodecim alios homines eligendos per villas et communia villarum communis Astensis circumstantium Caliano. Item actum est inter predictas partes quod commune et homines Caliani non teneantur nec debeant nec etiam cogi possint aliquo tempore solvere in civitate Astensi vel posse seu virtute Astensi aliquod pedagium curayam vel aliquam malatotam de aliquibus rebus vel mercationibus quas conducerent ad civitatem Astensem vel per virtutem Astensem et posse sed a predictis pedagijs curays et malatotis sint liberi et immunes. Item actum est inter predictas partes quod pedagium quod solvebatur in villa Caliani et solitum est solvi, liberum sit et absolutum communis et hominum Caliani, Eo salvo quod aliquis de civitate vel posse vel virtute Astensi in Caliano vel posse pedagium curayam vel aliquam malamtotam aliquod solvere non teneantur sed a prestatione pedagij curaye vel alicujus Malatolte Astenses et illi de posse et de virtute Astensi in Caliano et posse sint perpetuo liberi et immunes. Item quod commune Caliani in una ex diebus septimane possint facere mercatum ad quod mercatum faciendum commune Astense det eis auxilium prout viderit expedire, communia vero et pascua et similia libere et absolute et sine impedimento communis Astensis, et illa de Ast et de posse Astensi remaneant communi et hominibus Caliani et ad ipsos pertineant pleno jure. Item actum est inter predictas partes quod commune Astense potestates judices et vicarij, Capitanei vel rectores magistratus vel presides vel alij officiales qui per tempora fuerint in regimine civitatis Astensis vel alicujus societatis civitatis Astensis non possint nec debeant aliquo tempore sub aliquo ingenio vel colore ob aliquam causam vel sine causa petere capere seu ducere seu duci facere de Villa Caliani aliquos homines vel aliquas personas pro obsidibus vel sub colore obsidum ad civitatem Astensem vel alibi contra voluntatem hominum ipsius ville, nisi ipsi vel major pars ipsorum consentirent et consentire vellent. Item actum est inter predictas partes quod omnes et singuli de villa Caliani et posse qui habent aliquas terras vel posse in Ast vel in posse Astensi sint liberi et absoluti et pro absolutis et liberis habeantur et reputentur ex nunc ab omnibus et singulis fodris prestis taleis et collectis et quibuscumque condictionibus quas solvere deberent in Ast vel in posse Astensi pro tempore preterito, Ab hodie vero in antea predicta solvere teneantur et debeant in civitate Ast et posse. Et versa vice omnes et singuli de Ast et de posse Astensi qui habent aliquas terras vel possessiones in Caliano vel in posse Caliani sint liberi et absoluti et pro absolutis et liberis habeantur et reputentur ex nunc ab omnibus et singulis fodris prestis taleis et collectis et quibuscumque condictionibus quas solvere deberent in Caliano pro tempore preterito, Ab hodie vero in antea predicta solvere teneantur in Caliano de possessionibus quas habent in finibus Caliani. Item quod per commune Astense non possit fieri aliqua pax vel treugua cum aliqua persona vel universitate propter quam castrum et villa Caliani deveniat vel cedat in manibus vel forcia alterius quam communis. Item actum est inter predictas partes quod quotienscumque commune Caliani voluerit se regere per potestatem, teneantur talem eligere qui sit de Ast vel de terra Astensi ad voluntatem ipsorum de Caliano. Item actum est quod omnia banna et judicature et date et extimature sive salarium extimatorum provenientia et provenientes in Calianum quacumque occasione sint et esse debeant communis Caliani, sine eo quod commune de Ast possit in ipsis aliqua ratione vel modo jus

aliquod petere vel habere, Exceptis in penis et bannis homicidiorum stratarum ruptarum et feminarum vi raptarum vel cognitarum et maleficiorum que committerentur in persona alicuius civis Astensis prout superius est expressum. Item quod commune et homines Caliani possint facere ad eorum voluntatem capitula statuta et ordinamenta sicut eis videbitur sine contradictione communis Astensis et sine contradictione alicuius potestatis vel Rectoris civitatis Astensis, Salvo quod non possint facere aliqua capitula statuta vel ordinamenta que sint vel veniant contra presentia pacta vel contra commune Astense. Item actum est inter predictas partes quod potestates et rectores et alij officiales civitatis astensis tam presentes quam futuri teneantur et debeant attendere et observare et manutenere communi et hominibus Caliani omnes suas bonas consuetudines et comunancias quas hinc retro habuerunt ad voluntatem communis Caliani. Item actum est inter predictas partes quod commune Astense teneatur et debeat facere ad expensas communis Astensis duas vel tres portas in villa Caliani muratas et hedificatas de lapidibus et calcina et de assidibus sicut communi Ast et hominibus Caliani pro meliori videbitur, Ita tamen quod homines Caliani teneantur habere et aquam necessarios et necessariam ad dictas portas. Item actum est inter predictas partes, quod aliqua persona de Ast vel de terra Astensi non possit vel debeat facere contra voluntatem comunis et hominum Caliani aliquam fornacem in Caliano vel posse, nec aliquam Casanam presti ibidem habere vel tenere, et quod commune de Aste vel aliqua singularis persona in ludis vel occasione ludorum qui fierent in Caliano vel posse nullum ius possint petere vel habere. Item quod omnes homines de Caliano vel posse, qui sint pro aliqua causa banniti communis Astensis ab ipsis bannis absolvantur et pro liberatis et canzellatis habeantur. Item actum est inter dictas partes quod aliquis camparius sive Guardia non possit nec debeat accusare aliquam personam de Caliano de aliquibus damnis factis in Caliano et posse nisi in Caliano tantum, Et si fecerit, illa talis denunciatio et accusa non valeat nec teneat ullo modo. Item actum est inter predictas partes quod quelibet persona de Caliano et posse possit facere testamentum, et quamlibet ultimam voluntatem et bona sua distribuere ad eorum voluntatem, Et quod quelibet persona de Caliano possit venari et cuniculos capere super suis terris et possessionibus ad suam liberam voluntatem, Commune etiam Caliani possit facere de suis molegijs et furnis quicquid voluerit ad suam liberam voluntatem. Item quod comune vel aliqua singularis persona de Caliano non possit vel debeat cogi aliqua ratione vel modo per commune vel officiales civitatis Astensis facere aliquod fossatum sive laborerium in aliqua villa vel loco qui vel que de novo fieret per commune Astense, nec etiam carusias ducere vel duci facere vel ad dandum seu ducendum aliquod caregium communi Astensi in exercitibus vel cavalcatis, Et quod commune Astense non possit capere vel capi facere bestias hominum Caliani pro caruxis ducendis vel caregio faciendo vel aliquo onere deferendo. Item actum est quod villa Caliani non possit vel debeat removeri de loco ubi est et sicut hedificata est sine voluntate communis et hominum Caliani. Item actum est inter predictas partes quod predicta ratificentur et approbentur per generale consilium civitatis Astensis, non obstantibus aliquibus capitulis statutis vel ordinamentis civitatis astensis factis vel imposterum faciendis. Et quod de predictis attendendis et observandis fiat capitulum speciale quod ponatur in libro capitulorum civitatis Astensis

ad voluntatem predictorum de Caliano. Et versa vice quod commune et homines Caliani et omnes et singuli de Caliano et posse qui excesserunt etatem quatuordecim annorum per se et eorum heredes et descendentes ratificent approbent et confirment omnia et singula supradicta et predicta omnia et singula sindico communis Astensis stipulanti et recipienti nomine et vice communis Astensis attendere et observare et rata et firma habere et tenere, et nullo tempore contrafacere vel venire promittant et iurent ad sancta dei evangelia tactis scripturis esse in perpetuum boni liberi franchi, legales, et fideles in omnibus communi Astensi et manutenere et conservare statum utilitatem et honorem communis Astensis suo posse, et contrarium inhibere. Que pacta omnia et singula supradicta dicte partes sibi ad invicem promiserunt attendere et observare et rata et firma habere et tenere in perpetuum et nullo tempore contrafacere vel venire, et nullo modo revocare retractare vel removere aliqua occasione iure vel modo, et si contrafieret, promiserunt sibi adinvicem restituere omne damnum expensas et interesse que pro inde fierent vel sustinerentur aliqua occasione vel modo eundo redeundo stando litigando vel alio quovis modo, Credendo sibi ad invicem de damnis expensis et interesse in eorum simplici verbo sine sacramento et sine probatione aliqua. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis dicte partes sibi adinvicem omnia sua bona pignori obligaverunt. Renunciantibus dictis partibus sibi ad invicem in omnibus et singulis supradictis exceptioni doli et in factum, condictioni et exceptioni sine causa vel ex iniusta causa, Et generaliter omni et cuilibet alij exceptioni defensioni et juri, Et pro emenda et satisfactione damnorum et guastorum, que commune de Aste vel eorum amici dederunt vel fecerunt communi et hominibus Caliani et que ipsi sustinuerunt tempore presentis guerre, dicti potestas et quatuor sapientes nomine et vice communis Astensis dicto Uberto sindico recipienti et stipulanti nomine et vice communis et hominum Caliani dare et solvere promiserunt libras Tria millia Astensium faciente dicto sindico predicto nomine remissionem et quietationem de omnibus et singulis damnis et guastis eis factis comuniter vel divisim per commune de Ast et per amicos et iuratos dicti communis et que ipsi sustinuerunt tempore presentis guerre. Versa vice commune de Ast faciat remissionem communi et hominibus Caliani de damnis et guastis factis et datis per homines Caliani communiter vel divisim communi et hominibus de Ast vel de posse Astensi. Et de predictis dicte partes preceperunt et voluerunt per me Maynfredum de Canonica notarium publicum fieri instrumentum unum et plura tam pro communi Astensi quam pro dictis communi et hominibus Caliani et quibuslibet personis quibus intererit vel interesse poterit. Actum est in posse Robelle in exercitu generali communis Astensis subtus Travacam dicti domini potestatis, Testes Guilelmus Guardeta, Carvotus Olivus, Ferarius, Bochonotus nuncius et preco communis, Andreas Robe, Jacobus Bertholotus et Astexanus de Mayna notarius. Et ego Rofinus de perdice notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Maynfredum de Canonica notarium extraxi de suo cartulario et iussu ipsius sic scripsi.

Et ego Maynfredus de Canonica notarius Pallatinus predictum instrumentum abreviavj et dictus Rofinus precepto et voluntate mei sic scripsit et ad maiorem firmitatem signum et nomen meum apposui.

744. *De sindicatu Oberti Regis de Caliano constituti per comune Caliani ad predictas conventiones et concordiam faciendas.* 1292. 21 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo indictione quinta die mercurj Vigesimo primo mensis Madij in presentia testium infrascriptorum Ghissonus de Monte et Armanus de Niella consules Caliani et ville ipsius loci consensu et voluntate omnium et singulorum hominum de dicto loco congregatorum in castro Caliani sub palam omnium nomina quorum inferius describuntur et ipsi omnes et singuli cum auctoritate et decreto dictorum consulum nomine et vice universitatis dicti loci et omni iure et modo quo melius potuerunt, fecerunt et ordinaverunt Obertum Regem de Caliano presentem et recipientem eorum et dicte universitatis certum nuncium sindicum et procuratorem ad omnia eorum et dicte universitatis certum nuncium Sindicum et procuratorem negocia peragenda, ad capiendum mutuo ad obligandum ipsos et dictam universitatem et bona ipsorum et dicte universitatis et in quolibet contractu ad compromittendum, et penam in ipso compromisso apponendum, ad transigendum et paciscendum, et ad iura dandum et recipiendum, et ad faciendum pacta et conventiones cum quacumque persona ad divisiones faciendum, et ad omnes causas lites, questiones controversias, quas habent vel habere sperant cum aliqua persona vel personis collegio vel universitate, dantes et concedentes predicto sindico et procuratori plenam et liberam et generalem administrationem omnium bonorum suorum et dicte universitatis Et generaliter ad omnia et singula alia facienda que per verum et legitimum procuratorem fieri possent et que ipsimet facere possunt si presentes essent, Promittentes michi notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine et vice omnium quorum interest vel intererit sese in perpetuum ratum et firmum habituros quicquid per predictum Obertum Regem factum fuerit vel etiam procuratum, Et volentes ipsum relevare ab onere satisdationis, et iudicatum solvi, et ipsum relevari volentes promiserunt michi notario recipienti nomine et vice omnium quorum interest vel intererit dictum Obertum iudicatum solvi, pro eodem sindico et procuratore intercesserunt et fideiusserunt omnes et singuli infrascripti sub ypoteca et obligatione omnium bonorum suorum et dicte universitatis, que omnia pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis dictus procurator et sindicus et omnes et singuli homines infrascripti et quilibet eorum insolidum michi notario recipienti nomine et vice omnium quorum interest vel intererit pignori obligavit. Nomina autem hominum sunt hec Primo Facius de omiberto, danius de Gilba, Johannes Paradisus, Jacobus de Frecoto, salvo, Rofinus de Valle, Mutus Bestosius, Guilelmus de Archa, Perosa Guilelmeti de Castangno quondam, Robaldus Gutuerius, Rolla de Sylvatico, Guilelmus Azerius, Obertus de Valle, Facinus de Falzono, Henricus Berrutus, Verasius Albertolle, Guilelmus de lu, Jacobus de Brayda, Obertus Benitus, Petrus Rolandus, Petrus de Marcengo, Johannes de la ripa, Jordanus de la fracta, Rolandus Acerius, Guilelmus de Arduyno, Germanus Guillardus, Rollinus de Valle, Murutus de Monte, Manuellus de Valle, Petrus Astlerius, Roffinus Ferarius, Guilelmus Malavolia, Joannes Cazamolinus, Petrus longus, Bertolotus de Raymondino, Rolandus Aselerius, Petrus darea, Petrus Macia, Vivaldus porata, Rubeus Albetus, Vercellus Garbellinus, Jacobus Alverius, Obertus Ferarius, Henricus de Andrea,

Jacobus de Mazarello, Raynerius de Solario, Ghicinus de Mela, Guilelmus de Serra, de paerno, Guilelmus Cazamolinus, Conradus Barellus, Guilelmus de Valle, Oppicius Ossazocha de Monte, Niger Boetus, Vercellus Aloa, Obertus Segnorius, Johannes de Rivello, Viola Austa, Jacobus Aselerius, Maynfredus de Castagnolis, Henricus Galesius, Nicholaus Sappa, Jordanus de Monalfarengo, Nicholaus de Raymondino, Facinus de Rubeo de Barata, Guilelmus Alpinus, Jacobus Ferarius, Guilelmus Cavalilla, Conradus dulacius, Petrus Albetus, Jacobus de Serra, Vercellus Schallinus, Jacobus Bareria, Vercellus pectus, Guilelmus Villanus, Jacobus dolino, Jacobus petenatus, Conradus Aymarius, Jacobus Maza, Nicholaus de Area, Berthola Bechus, Jacobus Marchixius, frater Barata, Jacobus de Galleto, deasallus de Thoma, Jacobus Alpionus, Berardonus Schallinus, Gamba Capa, Petrus Rubeus, Anselmus de Momberardo, Berthollus, Guilelmus de villa quondam, Obertus Barberius, Obertus Petenatus, Jacobus Candalarius, Johannes dulacius, Marchus de Area, Petrus Barberius, Obertus Buchafolla, Vercellus Signorius, Germanus Aymarius, Niger de Serra, Petrus de Area, Facinus de Ansaldo, Raynerius Sartorius, Conradus de Thoma, Jacobus de Grazano, Barera de Carniloy, Cura de Gayrono, Guilelmus Rex, Torcallus Villanus, Facinus Barellus, Guillaxonus de Monte, Petrus paradisus, Ogerius de Manuengo, Alexandrius Malavolia, Facinus de Nigerli. Et inde predicti consules hanc cartam fieri praeceperunt de voluntate predictorum hominum. Actum in Caliano sub palacio Castri dicti loci. Interfuerunt testes Falzonus de Montefarengo de Caliano, Petrus de Cumberto, Obertus filius Zoche de Monte eiusdem loci et Vivaldus Malavolia de Paerno de Caliano inde testes vocati et rogati.

Et ego Bertholotus Ferarius de Caliano hanc cartam michi preceptam sic tradidi et scripsi.

CXXIX. De Casurcio.

745. *De Conventionibus factis inter comune Ast ex una parte et comune Casurcij ex altera, in quibus inter alia dederunt se et dictam terram Casurcij comuni Ast, debendo ibi habere comune Ast merum et mixtum imperium.* 1290. 2 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione Tercia die Sabbati secundo mensis decembris In presentia testium infrascriptorum domini henricus de Tangatinjs potestas, Beltramus de Carcano Capitaneus populi, Bertramus de Comentina, Thomas Garretus, Henricus Pelleta et Berardus Ysnardus, loco Facini Ysnardi, quatuor sapientes quibus comissa sunt negocia communis Astensis facienda auctoritate Baylie eis concesse per generale consilium civitatis Astensis cuius baylie tenor inferius continetur nomine et vice communis Astensis ex una parte et Guilelmus Picha, Conradus de Operto, Jacobus Cavaza et Girardus de prando de Casurcio sindici et procuratores communis et hominum Casurcij sicut patet per instrumentum factum per henricum Capellum de Casurcio notarium hoc eodem anno indictione et die nomine et vice communis et hominum Casurcij ex altera taliter convenerunt, et prout inferius continetur adinvicem stipulati sunt. In primis dicti sindici et procuratores communis et hominum Casurcij nomine et vice dictorum communis et hominum

de Casurcio et cuiuslibet de Casurcio, Renunciant omnibus fidelitatibus quibus tenerentur vel obligati essent Marchioni Montisferrati et cuilibet seu quibuslibet alijs personis quibus obligati essent vel tenerentur de fidelitatibus, Tali modo quod omnes et singuli de dicta Villa Casurcij qui sunt maiores quatuordecim annorum teneantur et debeant cum promissionibus et sacramento facere fidelitatem communi Astensi. Item dicti Sindici et procuratores nomine et vice dictorum communis et hominum sese dederunt et exposuerunt libere et pure in manibus dictorum dominorum potestatis et Capitanei et quatuor recipientium nomine et vice communis Astensis, Tali modo quod decetero commune Astense pleno iure habeat et habere debeat in Casurcio et hominibus Casurcij et in omnibus et singulis stantibus et habitantibus in Casurcio seu qui decetero stabunt et habitabunt in Casurcio, dum tamen non essent cives civitatis Astensis ipsi vel eorum antecessores, vel non essent de vilis veteribus vel novis communis Astensis et in toto districtu et posse Casurcij merum et mixtum imperium et omnimodam iurisdicionem, eo modo et forma, quo et qua habet in castro et villa et hominibus Montismagni. Et predicto modo et forma dicti sindici et procuratores Casurcij nomine et vice communis et hominum de Casurcio dictum merum et mixtum imperium atque iurisdictionem a sese et a dicto communi Casurcij abdicaverunt, Et dictis potestati et Capitaneo et quatuor recipientibus nomine et vice communis Astensis dederunt et concesserunt et michi ipsos predicto nomine recipienti pure et libere transtulerunt sub pactis conventionibus et formis inferius denotatis, ita quod predicta vel aliquod predictorum commune Astense vel alius pro communi nil aliud possit petere exigere vel habere a dictis communi et hominibus vel in dictos commune et homines nisi prout in infrascriptis pactionibus et conventionibus continetur. Et secundum formam pactorum que commune Astense habet cum communi et hominibus Montismagni, Tenor quorum pactorum talis est, Anno domini MCCLV. Indictione XII[a] die XIIII[a] intrantis mensis Septembris, In presentia testium infrascriptorum dominus Michael delaccota potestas Astensis voluntate et consensu utriusque credentie et Rectorum societatum more solito per nuncios et campanam congregate et ore ad os interogate et scripte et ipsi credendarij et Rectores nomine et vice communis Astensis receperunt in cives Astenses Girardum Gatum et Germanum notarium de Montemangno ambaxiatores et nuncios communis et hominum de Montemagno eorum nomine et communis Montismagni et nomine aliorum hominum de Montemangno et singulorum qui nunc habitant in loco Montismagni vel per tempora illuc iverint ad habitandum, promittentes ipsos, et omnes alios qui nunc habitant in Montemangno vel per tempora illuc venerint habitare et ab eis descendentes salvare defendere et manutenere et adiuvare in avere et personis sicut alios cives in civitate ast et burgis coherentibus civitati habitantes, contra omnes personas universitates et collegia et omnes predictos et nominatos et singulos ad modum et formam aliorum hominum regere et tenere secundum usus et consuetudines civitatis Astensis solventes predicti homines de Montemagno et commune Montismagni in perpetuum anuatim libras quadraginta Astenses per sese et suos heredes communi Astensi. Et predicti Girardus et Germanus ambaxiatores et nuncij communis Montismagni eorum nomine et nomine communis et hominum de Montemangno qui nunc habitant in Montemagno vel per tempore illuc venerint ad habitandum promiserunt dicto domino Michaeli potestati

Astensi nomine communis recipienti per sese et suos heredes in perpetuum esse cives Astenses, et solvere fodrum civitati et communi Astensi ad rationem predictam singulis annis in festo sancti Martini, Et facere pacem et guerram succursus itinera et cavalcatas pro communi Astensi ad voluntatem potestatis et communis Astensis contra omnes personas et communia locorum universitates et collegia pro toto eorum posse et exforcio ad voluntatem communis Astensis. Hoc acto in presenti promissione et contractu quod commune Montismagni possit et debeat capere potestatem omni anno de civitate Astensi vel de Burgis coherentibus civitati ad eius voluntatem ipsum potestatem eligendum, Et quod potestas Astensis et consilium, illum quem elegerint si videbitur communi Astensi quod sit conveniens et utilis pro communi Astensi et communis Montismagni debeat confirmare, Et si contigerit quod commune Montismagni et consilium ipsius loci de potestate eligendo se convenire non possent quod tunc commune Astense possit eidem communi Montismagni et hominibus ipsius loci dare potestatem quem voluerit de Ast ad voluntatem Consilij Astensis bonum et utilem pro communi Montismagni solvendo commune Montismagni salarium potestatis. Item actum est in presenti contractu quod commune et homines Montismagni iuxta eorum posse teneantur sese munire equis et armis quotiens et quandocumque communi Astensi placuerit. Item actum est quod propter exercitum qui ordinaretur pro comuni Astensi fieri non possit communi et hominibus Montismagni imponere vel iniungere carusias vel precipere quod carusias transmittant nisi ad modum et formam quo et qua iniungeretur vel imponeretur communi Astensi vel hominibus de civitate Astensi et quod commune Astense vel alius pro communi non possit compellere commune Montismagni ut blava hominum de Montemagno vel alicuius eorum reducatur in Ast vel alibi nisi de voluntate communis et hominum de Montemagno sed liceat communi et hominibus eorum blavam portare et ducere quo voluerint in posse Ast dum tamen illam non extrahant de posse Astensi. Item actum est quod ille qui fuerit potestas Montismagni non possit habere partem in penis vel bannis communis Montismagni nisi illam que per commune Montismagni ei fuerit constituta et non aliam nec etiam commune Astense in illis penis vel bannis partem habere possit. Item actum est in presenti contractu quod omnes illi qui habitant in Montemangno vel in posse Montismagni vel qui ibidem poderium habuerint aut terras vel possessiones vel qui in posse Montismagni aliquid acquisiverint quod teneatur ..... sit nobilis vel non solvere partem sibi contingentem et impositam pro communi Montismagni de fodro quod communi Astensi ut supra commune Montismagni solvere tenetur anuatim respectu terrarum et possessionum quas habuerint in dicto loco. Item actum est in presenti contractu quod si per aliqua tempora Molendina fierent in posse Montismangni in Grana vel alicubi quod fructus ipsorum molendinorum pro medietate sint communis Astensis, et communis Montismagni, quolibet commune faciente medietatem expensarum ipsorum molendinorum, Confirmando dictus potestas nomine communis Astensis predictis ambaxiatoribus et nuncijs communis Montismagni eorum nomine et communis Montismagni omnes bonas consuetudines hactenus observatas in loco Montismagni, et eas commune Astense hominibus Montismagni debeat et debet observare, Concedendo etiam communi Montismagni habere furnos, et si mercatum fieret vel ordinaretur aliquo tempore in loco Montismagni,

quod curaia et proficuum ipsius mercati pro medietate esse debeat communis Astensis et communis Montismagni, faciendo quodlibet commune medietatem expensarum que fient pro ipso mercato manutenendo. Item actum est in presenti contractu quod communia Montismagni absoluta sint et libera communis Montismagni, sicut erant tempore quo domini de Montemagno tenebant Montemmagnum, salvo eo quod commune Montismagni proprietatem et possessionem predictorum communium vendere vel alienare non possit sed redditus ipsorum communium bene vendere possit, sicut facere consuevit tempore quo domini de Montemangno communia tenebant et habebant. Et predicta omnia et singula facta sunt salvo eo quod commune Astense in se retinuit omnes questiones criminales a centum solidis supra et omnes causas appellationum et pugnarum et omnium criminum que sanguis vindictam desiderant. Actum Ast in pallatio comunis, Testes interfuerunt petrus Sylvanus, Jacobus pelleta et Guillelmus Alionus. Et ego Mehlanus Grillus notarius pallatinus interfui et precepto domini potestatis plura instrumenta istius tenoris composui et me subscripsi. Hoc acto in presenti contractu specialiter et expresse inter partes predictas quod commune et homines Casurcij teneantur et debeant dare et solvere omni anno in festo sancti Martini libras quadraginta Astenses et tantum plus vel minus quantum reperiretur quod homines et bona hominum de Casurcio pauciores vel plures essent, et minus vel plus valerent quod sint homines et valeant bona hominum Montismagni ita quod pro rata hominum et bonorum Casurcij et Montismagni dicta quantitas librarum quadraginta Astensium debeat diminui vel augeri, hoc etiam apposito et specialiter intellecto atque expresse acto in contractu presenti quod pro restitutione et emenda damnorum et guastorum que commune et homines de Aste fecerunt communi et hominibus Casurcij non teneantur nec compelli possint usque ad quinque annos proxime venturos ad solvendum aliquod fodrum vel aliquam taliam vel collectam vel aliquid aliud dacitum in civitate Astensi nec etiam predictas libras quadraginta Astenses anuatim nec aliquam partem de predictis libris Quadraginta Astenses, sed ab omni solutione et exactione predictorum sint dicti de Casurcio usque ad predictos quinque annos proximos venturos penitus absoluti liberi et immunes. Elapsis vero predictis quinque annis teneantur solvere predictas libras quadraginta Astenses, anuatim prout superius continetur, Tali modo quod omnes cives Astenses qui modo habent aliquas possessiones vel quibus aliquid debetur in Casurcio et posse teneantur et debeant solvere communi Casurcij partem eis contingentem de expensis hinc retro factis per commune Casurcij usque ad hodiernum diem eo modo et forma, quo et qua, solvebant ante presentem contractum. Dicti vero potestas Capitaneus et sapientes auctoritate baylie que inferius continetur et nomine et vice communis Astensis receperunt et asumpserunt predictos sindicos et procuratores communis et hominum Casurcij eorum nominibus proprijs et nomine et vice communis et hominum Casurcij et per eos dictum commune et homines Casurcij per sese et eorum heredes et descendentes ab eis et illos qui decetero venerint ad habitandum in villa Casurcij, dum tamen non sint de civitate et villis communis Astensis, in cives civitatis Astensis, tali modo quod ipsi communiter et divisim gaudeant et utantur omnibus beneficijs et privilegijs quibus gaudent et utuntur homines Montismagni, et sub illis pactis et conventionibus quibus commune et homines Montismagni sunt cives Astenses et tenor quorum pactorum superius est descriptus.

Ita quod commune et homines Astenses vel alius pro communi nichil aliud petat vel exigat a communi vel hominibus de Casurcio nisi secundum quod petere et exigere potest a communi et hominibus Montismagni et secundum formam pactorum que superius describuntur. Hoc acto quod comune et homines Casurcij sint liberi et absoluti per comune Astense ab omnibus et singulis fictis, dritis tercijs quartis, quintis sparolijs, spalis, caponibus molegijs furnis successionibus decimis primicijs penis bannis et condemnationibus, et quibuscumque alijs iuribus quibus tenerentur marchioni Montisferrati, ita quod per comune Astense vel per alium pro comuni ab ipsis vel ab aliquo ipsorum vel in bonis eorum nichil possit peti vel exigi occasione predictorum fictuum drituum, terciorum, quartorum, quintorum, sparaliorum, spallarum caponum, molegiorum, furnorum successionum, decimarum, primiciarum, penarum, bannorum condemnationum et quorumlibet aliorum iurium, quibus tenerentur vel obligati essent Marchioni Montisferrati nisi secundum quod in pactis communis Montismagni continetur, Et salvo semper et reservato pacto predicto. Item actum est in contractu presenti quod commune et homines Casurcij et quilibet ipsorum sint liberi et absoluti ab omnibus et singulis usuris damnis et interesse, que aliquis de Ast vel de posse Astensi posset ab eis vel ab aliquo ipsorum petere aliquo iure vel modo usque ad hodiernum diem occasione aliquorum debitorum, que ipsi de Casurcio vel aliquis eorum dare deberet vel debuisset alicui de Aste vel de posse Astensi, Et quod ad solutionem aliquarum usurarum damnorum et interesse usque ad hodiernum diem compelli non possint sed sint ab ipsis debitis liberati si solverint solummodo capitale, Ab hodie vero in antea sint iura cuiuslibet creditoris in eo statu quo erant ante presentem contractum secundum formam capitulorum civitatis Astensis circa uxuras damna et interesse ipsorum debitorum dum tamen ratione preteriti temporis creditorum eorum ab eis vel ab aliquo eorum nichil possint petere vel exigere pro uxuris damnis et interesse debitorum predictorum. Hoc etiam acto specialiter et expresse in presenti contractu, quod domini quondam de Cortexellis scilicet Mayne seu alij pro eis vel ab ipsis seu aliquo ipsorum causam habentes non possint habere aliquod dominium iurisdictionem nec aliquid aliud quod ad iurisdictionem pertineat in castro villa nec in hominibus Casurcij nec pro debitis vel alia occasione, sed ipso iure ipsa debita et instrumenta et iura que haberent pro predictis vel aliquo predictorum et iura si qua alicui cessissent vel crederent sint cassa irrita et nullius valoris quantum ad illos de Cortexellis, et illos ad quos cederent et pleno iure sint communis Astensis et perveniant in commune. Que omnia et singula dicte partes sibi ad invicem solemni stipulatione interveniente promiserunt rata et firma habere et tenere et attendere et observare et facere et complere, et ullo tempore contrafacere vel venire, et nullo modo revocare vel retractare aliqua occasione iure vel modo sub obligatione omnium bonorum communis Astensis, et communis et hominum Casurcij que omnia pro sic attendendo et observando dicte partes sibi ad invicem pignori obligaverunt, dictis partibus renunciantibus sibi ad invicem in omnibus et singulis supradictis exceptioni doli et in factum condicioni et exceptioni sine causa, et ex iniusta causa, Et generaliter omni et cuilibet alij exceptioni defensioni et iuri. Insuper dicti potestas Capitaneus et quatuor auctoritate baylie eis concesse, statuerunt ordinaverunt, voluerunt et decreverunt capitulantes in hac parte de novo quod omnia et singula

supradicta attendantur et fiant per commune Astense, et quod aliqua persona decetero non possit nec debeat aliquid facere ordinare quod sit vel veniat contra predicta vel aliquod predictorum, Et si aliquis contrafaceret vel venire attentaret pro non facto penitus habeatur et reputetur, sed ad observanciam omnium et singulorum predictorum omnes et singuli potestates Iudices Vicarij presides Capitanei Rectores et omnes et singuli de civitate Astensi teneantur precise et sine tenore, vinculo sacramenti, de quo non possit peti vel dari parabola vel absoltum, Et quod omnia et singula supradicta sint capitulum speciale civitatis Astensis, Et tanquam capitulum speciale debeant observari et quod etiam de predictis observandis fiat capitulum speciale quod apponatur in libro capitulorum civitatis Astensis ad voluntatem predictorum de Casurcio. Et ad maiorem negocij firmitatem predicti sindici et procuratores de Casurcio nomine et vice comunis et hominum dicti loci et cuiuslibet de dicto loco delato eis sacramento per me notarium infrascriptum ipsi et quilibet eorum corporaliter tactis scripturis in presentia dictorum potestatis capitanei et quatuor iuraverunt ad sancta dei evangelia in animas suas et cuiuslibet de dicto loco omnia et singula supradicta in perpetuum rata et firma habere et tenere et attendere et observare et nullo tempore contrafacere vel venire aliqua forma vel modo. Et inde dictus dominus potestas precepit michi notario duo fieri instrumenta unius tenoris. Actum in ecclesia sancti Georgij de Casurcio, interfuerunt testes, leo, Garetus, Alexander Malbechus, Fulco Cazo et plures alij.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et iussu dicti domini potestatis sic scripsi.

746. *De nominibus hominum Casurcij qui fidelitatem fecerunt comuni Ast.* a. p.

Nomina autem hominum Casurcij qui fecerunt fidelitatem in manibus Alexandri Malbechi sindici comunis Astensis et mei Jalnei de poncio notarij infrascripti nomine et vice comunis astensis, sunt hec, ut supra in pactis superius denotatis continetur, in primis Guilelmus Romeus, Guilelmus Pasignanus, Jacobus de Quarino, Perotus perobesius, Obertus Corezarius, henricus de Aralj consules, Obertus de Antylia, Obertus de Monliplando, Germanus lodri consul, Ansermus Vayus, Germanus pomus, Obertus Cavallus, Obertus Scaravellus, Maynfredus Bava, Girardus Vasonus, Guilelmus Calcaneus, Obertus Vacerius, Fazonus de pipere, Rofinus Boglana, Oddo Bena, Maynfredus Rubeus, Germanus de Serra, Michael Bucius, Germanus Calcaneus, Arnaldus Vaschus, Guillus pomus, henricus de Villana, Obertus Romeus, Anselmus Formentus, Plandus de Serra, petrus Gaza, Obertus Scanavellus, Germanus Ferarius, Johannes de puteo, Guilelmus de Alberto sive Costancia, Acatus de Castroveteri, Rofinus Cavacia, Petrus cavacia, Guilelmus Ferarius, jacobus de Bonoiohanne sive de puteo, Obertus de Crossijs, Vivaldus Bonus sive de Costancia, Germanus Brescellus, Guilelmus Vaschus, Germanus Schana, Obertus Rubeus, Guilelmus de Barborio, Aymerius de Vertello de Casabello, Petrus Cocha, Germanus de Castroveteri, Bartolomeus Canutus, Guilelmus de Benengio, Girardus Formentus, Petrus paulus, Jacobus de Casabello, Robaudus de Sanna, Rofinus Cavallus, Guilelmus Corezarius, henricus buchus, Jacobus lodora, Ascherius Cavacia; Germanus de puteo, Germanus de Serra, Rofinus Vayrus, Nicholaus Bochonus, henricus Gandulfus, Jacobus Gayus, petrus lupus, Guilelmus Picha, filius Mombellihominis,

Guilelmus Cavallus, Petrus Becharius, Guilelmus Bava, Guilelmus Cocius, Almerius pena, Germanus de Valle, Maynfredus Rubeus, Guilelmus Camagna, Germanus Rubeus, Albertus Cavallus, Petrus Berutus, Maynfredus Gerbinus, Jacobus Cavacia, Guilelmus Scaravellus, Petrus Calcaneus, Jacobus Berutus, Germanus Syulfus, Obertus filius domini Tebaldi de Castroveteri, Manuel de Castroveteri, Anselmus Raffus, Fazonus lavecia, Bosius de Valle, Georgius de Morra, Magister Franciscus de Scaravello, Anthonius de Crossijs, Germanus Plandus, Guilelmus Raffus, Jacobus de Costancia, Bonellus Corezarius, Obertus de Nono, Guilelmus de Valle, Guilelmus filius Vercellis de Casarello, Jacomellus Cavacia, Jacobus pecollus, Guilelmus filius Jacobi de Casarello, Petrus Balchata, Arnaldus Schofonus, Guilelmus Vayrus, Maynfredus de Conrado Vilano, Germanus Scharavellus, Jacobus Rubeus, Germanus plandus, Pomus de Casarello, henricus Raffus, Jacobus Cavallus, Petrus Broxelle, Otto Grullus, Obertus Maza, Raynerius Coya, Germanus Cavallus, henricus Calcaneus, dominus Roffinus de Castroveteri, Guilelmus Vayrus, Rofinus Gayraudus, Johannes de putheo sive ferrarius, Nicholaus Breselle, Germanus Cavallus, Germanus de Vercello de Casarello, Otto Pomus, Guilelmus pocholus, Petrus Plandus, Jacobus de Quarino, Provanus Ordius, Bertorolus de Serra, Guilelmus Vayrus, Obertus pena, Belhomo de Baudeto, Franciscus Garandus, Rofinus Cyalla, Rofinus Ferarius, Jacobus perla de Baudeto, Coffus, Johannes Ferarius, Rofinus de Conrado vilanus, Girardus Ferarius, Rollandus Albricus, filius Guilelmi, Guilelmus Gastaldus, Guilelmus plandus, Johannes de putheo, Albertus Berna, Ogerius de Monteogerio, henricus pena, Germanus Canutus, Germanus vayrus, Petrus Berna, Otto Barchus, Germanus Ordinus, Corezarius de valle, Nicholaus Stermitus, Anselmus de Antilia, Jacobus Cavacia filius henrici, Henricus Formentus, Rollandus de Quarino, Guilelmus albus, Boninus plandus, Guilelmus de Avunda, Germanus Ordius, Guilelmus Scaravellus, Obertus Rubeus, Guilelmus de Accia, Gilius Cavallus, Peco Momus, Stephanus filius domini Aymerij de Castroveteri et Vercellus qui dicitur Cerrutus.

Ego Jalneus de Ponzio notarius pallatinus hjs interfui et sic scripsi. Actum in villa Casurcij in platea dicte Ville ante portam Castri presentibus testibus Cochino nuncio communis Astensis, antonius Cazo, Berardo de Viglano, die iovis tercio mensis decembris Millesimo ducentesimo nonagesimo Indictione Tercia.

CXXX. De Castroalferio.

747. *De venditione communi Ast facta de una pecia terre iacente in castro alferio pro precio solidorum quindecim cum dimidio Astensium.* 1189. 29 Aprilis.

Anno domini Millesimo centesimo octuagesimo nono indictione septima die sabbati tercio kalendas Madij, cartam venditionis sub dupli defensione fecit Jacobus de valle in manibus Astensium consulum de Communi, nomine Astensis communis, quorum nomina sunt Guilelmus Calvus, Rollandus Berardensis, Oppizo de Vivario, Rollandus Bergogninus et Oddo Vola nominative de una pecia terre, quam habebat in Castroalferio, cui coherent Valla de Caxano, Gisalbertus, Sacerdos sancte Marie nove et est per mensuram iustam sextaria quinque pro precio denariorum bonorum Astensis monete solidorum quindecim et dimidij, Quam venditionem predictus Jacobus

per se et per heredes suos promisit prefatis consulibus vice communis Astensis stipulantibus eorumque successoribus aut cui dederint sub pena dupli defendere sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione in consimili loco. Insuper Dyana uxor ipsius Jacobi iuravit ad sancta dei evangelia supradictam venditionem ut supra legitur tenere firmam et non molestare seu removere nec per se nec per aliam personam suppositam. Actum Aste sub porticu consulum de sancto Systo. Interfuerunt testes, Robaldus Nasellus, Petrus de Vetula, Gandulfus Zincellarius.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui et huius carte venditionis scriptor et auctor estiti.

748. *De simili venditione dicto comuni Ast facta de alia pecia terre jacente in dicto Castroalferio.* 1189. 1 Maij.

Anno domini Millesimo centesimo octuagesimo nono Indictione septima die lune in kalendis Madij. Cartam venditionis sub dupli defensione fecerunt petrus Rex, Guido et Oddo fratres eius germani in manibus Rollandi Berardensis et Oppizonis de vivario Astensium consulum vice et nomine communis astensis nominative de quinque pedibus terre et octo tabulis et uno pede et dimidio, quam habebant in Castro alferio, cui coherent Gisalbertus, via, pro precio denariorum bonorum Astensis Monete solidorum decem septem et denarij unius. Quam venditionem predicti Petrus, Guido et Oddo germani pro se et pro suis heredibus promiserunt predictis consulibus eorumque successoribus aut cui dederint nomine communis Astensis ut supra legitur ab omni homine sub pena dupli defendere stipulatione subnixa sicut pro tempore meliorata fuerit aut valuerit sub extimatione in consimili loco. Insuper Alaxia uxor predicti Guidonis, Ota uxor predicti Oddonis et Alexandria uxor supradicti petri iuraverunt sacrosanctis tactis evangelijs prescriptam venditionem tenere firmam nec in ullo tempore removere nec per aliam personam submissam. Actum in castro alferio in domo comunis, interfuerunt testes Ardicio dotinus, Gisalbertus, Ansaldus Folia, Guilelmus Crosa et valla de Caxano.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui rogatus et huius carte venditionis scriptor estiti.

749. *De simili venditione dicto comuni Ast facta de una alia pecia terre iacente in dicto loco pro precio solidorum duorum et denariorum trium Astensium.* 1189. 1 Maij.

Anno domini Millesimo centesimo octuagesimo nono Indictione septima die lune in kalendis Madij, Cartam venditionis sub dupli defensione fecit Petrus Barro in manibus Rollandi Berardensis et Oppizonis de Vivario nomine communis astensis nominative de una pecia terre quam habebat in Castro alferio, cui coherent Jordanus Canis, odonus Bremondus, Maynfredus filius petri de Sanctoiohanne et est per mensuram iustam tabularum novem pro precio solidorum et denariorum trium astensis monete. Quam venditionem prefatus petrus per se et per heredes suos promisit dictis consulibus vice et nomine communis eorumque successoribus aut cui dederit ut supra legitur ab omni homine sub dupli pena defensare stipulatione subnixa sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione in consimili loco. Insuper Maximilia

uxor ipsius petri iuravit supra dei evangelia ut superius legitur tenere firmam et nullo tempore removere nec per se nec per aliam personam suppositam. Actum in castro alferio, in domo communis. Interfuerunt textes Ardicio dotinus, Ansaldus Folia, Danius, Bertolotus calzavacha.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui rogatus et huius carte venditionis scriptor estiti.

750. *De simili venditione facta dicto comuni Astensi de alia pecia terre iacente in dicto loco.* 1189. 1 Maij.

Anno domini Millesimo centesimo octuagesimo nono Indictione septima die lune in kalendis Madij, Cartam venditionis sub dupli defensione fecerunt Ansaldus Folia et Obertus frater eius pro medietate et Ottolinus et Jordanus de Garbagla pro altera medietate in manibus Rollandi Berrardensis et oppizonis de Vivario, Astensium consulum nomine Astensis communis, Nominative de una pecia terre quam habebant in Castro alferio, cui coherent, Jacobus de Valle, Gisalbertus via et est per mensuram iustam sextaria quatuor et tabule quinque pro precio denariorum bonorum Astensis Monete solidorum tredecim finito precio. Quam venditionem predicti Ansaldus et obertus frater eius pro medietate et Ottolinus et Jordanus de Garbagla pro altera medietate pro sese et heredibus suis promiserunt, dictis consulibus eorumque successoribus aut cui dederint, a parte communis Astensis ab omni homine defendere sub pena dupli sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione in consimili loco. Insuper Matilda mater predictorum Ansaldi et Oberti abrenunciando omne Jus quod habebat in hac venditione, et Mayolica uxor Ansaldi et Viviana uxor Oberti et ipse Obertus iuraverunt ad sancta dei evangelia hanc eandem venditionem tenere firmam et nullo tempore removere nec per se nec per aliam personam suppositam. Preterea Ottolinus et Jordanus obligaverunt prefatis consulibus pignori omnes res suas vice communis. Eo modo si contingeret quod frater eorum hanc aliquo tempore molestaret venditionem communi Astensi aut cui dederit ut tunc ad illud pignus regressum habeat usque quo omne damnum sibi inde datum in causa vel in Judicio et alio modo ei integre restituatur. Actum in Castro alferio in domo communis. Interfuerunt testes ardicio dotinus, Bertolotus Calciavacha, et Bonusiohannes Eustachius nuncij consulum.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui rogatus et huius carte venditionis scriptor estiti.

751. *De simili venditione facta comuni ast de una alia pecia terre jacente in dicto loco precio solidorum octo astensiun.* 1189. 1 Maij.

Anno domini Millesimo centesimo octuagesimo nono Indictione septima die lune in kalendis Madij Cartam venditionis sub dupli defensione fecit Jordanus Canis pro tercia parte et Bremundus pro tribus partibus aliarum duarum partium et Albertus Bera pro altera quarta parte earundem duarum partium in manibus Rollandi Berrardensis et Opiconis de Vivario Astensium Consulum nomine communis Astensis nominative de una pecia terre que iacet in Castro alferio, cui coherent laurencij, Petrus Barro et est per mensuram iustam sextaria duo et octo tabule minus pedes quatuor

pro precio solidorum octo Astensis monete. Quam venditionem predicti Jordanus, Bremundus et Albertus promiserunt predictis consulibus eorumque successoribus aut cui dederint per se et per suos heredes ab omni homine sub pena dupli defendere sicut pro tempore fuerit meliorata vel valuerit sub extimatione in consimili loco. Insuper Maria mater Jordani abrenunciando omne ius quod habebat in hac venditione et vigla uxor dicti Jordani, et Maria uxor Alberti et Matilda uxor Bremundi iuraverunt supra dei evangelia hanc venditionem habere firmam et non removere ullo tempore nec per se nec per aliam summissam personam. Actum in Castroalferio in domo communis. Interfuerunt testes Ardicio dotinus, henricus Gastaldus et Johannes Bera.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui et scripsi.

752. *De simili venditione facta dicto comuni Ast.* 1189. 2 Maij.

Anno domini Millesimo centesimo octuagesimo nono, Indictione septima die martis secundo intrante Madio Cartam venditionis sub dupli defensione fecerunt Guilelmus Gastaldus et Alaxina filia quondam Tebaldj de Valle in manibus Astensium consulum quorum nomina sunt Oppizo de Vivario et Rollandus Berrardensis nomine comunis Astensis nominative de pecia una terre iuris illorum que iacet in Castroalferio, cui coherent Maynfredus filius petri de Sanctoiohanne, via, Oddo Calvus et est per mensuram iustam sextaria tredecim precio denariorum bonorum astensis monete solidorum triginta novem, predicti Guilelmus et Alaxina per se et per heredes suos predictis consulibus nomine et vice communis astensis eorumque successoribus aut cui dederint ab omni homine defendere sub dupli pena promiserunt per stipulatum sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione in consimili loco. Insuper predicta Alaxina et Galicia uxor predicti Guilelmi iuraverunt supra dei evangelia predictam venditionem ut supra legitur firmam tenere et nullo tempore removere nec per se nec per submissam personam. Actum in Castroalferio ante domum Guisalberti. Interfuerunt testes Ardicio dotinus, Guisalbertus Castaldus, Petrus Buder, Guilelmus de Vicinalj.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui et huius carte venditionis scriptor extiti.

753. *De simili venditione facta dicto comuni Astensi.* 1180. 3 Augusti.

Anno domini Millesimo centesimo octuagesimo nono, Indictione septima die iovis tercio intrantis Augusti. Cartam venditionis sub dupli defensione fecit Maynfredus filius petri de Sanctoiohanne precepto ipsius patris sui in manibus henrici de Aste Astensis Clavarij nomine communis Astensis nominative de una pecia terre, que iacet in castro alferio cui coherent undique terra communis astensis, et est per mensuram sextaria tres et tabule quatuor pro precio solidorum decem Astensis monete. Quam venditionem prefatus Maynfredus pro se et suis heredibus predicto henrico vice communis Astensis, ab omni homine sub dupli pena defendere promisit per stipulatum sicut pro tempore fuerit meliorata vel valuerit sub extimatione precij in consimili loco. Insuper Matilda uxor ipsius Maynfredj iuravit supra dei evangelia hanc venditionem firmam tenere nec per se nec per aliam personam in aliquo tempore molestare nec removere. Actum Urbe aste in domo Petri de Sanctoiohanne. Testes

interfuerunt Petrus de Sanctoiohanne, qui hanc cartam filio suo Mainfredo fieri precepit, item Guilelmus Magister et Bonusiohannes de vigono.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

754. *De testibus receptis pro discernendis finibus et posse Castri alferij sive ville que dicitur Guadarabium a finibus et posse Caliani autenticandis et in formam publicam redigendis.* 1288. 10 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo Indictione prima die martis decimo mensis Augusti. Actum Ast in domo Machaluforum in qua moratur dominus Anthonius de Cereta potestas Astensis. Testes Jacobus Morandus, Guilelmus de Gorzano et Jacobus Malbechus notarij, quorum presentia dominus Albertus de Baldechinijs iudex et vicarius dicti domini potestatis precepit michi Guilelmo de Montrosono notario infrascripto tanquam publice persone recipienti et stipulanti nomine et vice communis Astensis et omnium quorum interest seu interesse posset, quatenus infrascriptos testes et dicta ipsorum autenticarem et in formam publicam redigerem, ut vim et robur tantam obtineant, quantam obtinent principales, et ad hoc ut semper ad eternam rei memoriam habeantur, Interponendo dictus Judex suam pro communi auctoritatem et decretum, quorum testium tenor inferius continetur.

Attestationes et dicta ipsorum testium subsequntur.

Inquisitio facta ex officio per dominum Obertum Asinarum pro se et suo nomine et nomine dominici pellete socij sui ex baylia eis concessa a comuni Astensi nomine et vice eiusdem communis Astensis ad inquirendum veritatem super finibus Grixani et Burgi sancti petri de Quadarabio et Grane et partium illarum versus Calianum et Tongum et aliam terram domini Marchionis Montisferrati difiniendis et terminandis seu cognoscendis.

Die iovis tercio decimo mensis Madij. Jacobus Baronus de Burgo sancti petri de Gualdarabio, qui iuravit dicere veritatem, Interrogatus si scit fines dicti Burgi versus Calianum et versus Tongum, et quousque protenduntur fines dicti burgi sancti petri de valle verse, Respondit et dicit, quod finis dicti burgi sancti petri protenditur et vadit incipiendo ad campum unum terre Oberti dyani, qui est ubi dicitur ad sangonam, qui campus est de posse Tongi, et eundo per viam levatam usque ad unum fontem qui vocatur puteus Anchius, veniendo recte a Guado sangone ad fontem illum qui est in campo Georgij Bertaldi et a dicto fonte prieri usque ad dictum puteum Anchium, et a dicto puteo Anchio veniendo ad domum Rasparelorum per seam Montis alfarengi, quod totum illud quod est a dictis confinibus infra versus dictum burgum sancti Petri sicut aquam pluit, est de posse et iurisdictione Astensi et dicti burgi, et ab inde superius est de finibus et in finibus Caliani. Item protenditur a dicta domo Rasparelorum transeundo ipsam domum usque subtus Canalem Molendinj veteris de pullenta, et totum illud quod est et pendet a dictis confinibus versus dictum Burgum, est de posse ipsius, et ab inde supra de posse Calianj.

Item interogatus si scit quomodo sint et vadant fines dicti Burgi sancti petri et quomodo discernantur et discerni possint a finibus Tongi, Respondit et dixit quod sicut versa et lectus verse iacet, ita discernuntur fines predicti, et sunt usque in

posse castri fringi, et quod omnia que sunt a versa citra versus dictum burgum sunt de posse et iurisdictione ac virtute Astensi et dicti Burgi, et omnia que sunt a versa versus Tongum a finibus Caliani de campo Oberti dyani de Sangona redeundo recte usque in versam sunt de finibus et in finibus et virtute Tongi. Interrogatus quomodo sit predicta, Respondit et dixit quod vidit predictos fines dicti burgi sancti Petri, et sic et modo predicto difiniri a finibus Caliani et Tongi et etiam ipsemet testis sic difinivit. Interogatus a quibus vidit predictos fines predicto modo difiniri. Respondit ab Oddone Sacho, et Marchione Benedicto de dicto burgo, et pro parte Tongi ab oddone et ab oberto Sacho et Guilelmo de Ordengho et a Guilelmo de Terneng, pro parte Caliani, nescit a quibus, Interrogatus si aliter esse possent, quam dixit, Respondit quod non a sua memoria et recordatu citra, et bene recordatur de annis quinqueginta.

Die eodem Boninus de Incivali qui iuravit dicere veritatem interogatus quid scit de predictis finibus, et quomodo discernuntur fines Burgi predicti a finibus Calianj, Respondit et dicit quod intendit quod fines predicti protenduntur hoc modo videlicet quod incipiendo ad conforcium de Sangona, et eundo recte ad fontem de via levata et a dicto fonte de via levata, eundo ad fontem de puteo anchio, et a dicto fonte de puteo anchio eundo per limium de Montealfarengo usque ad limium et usque ad domum Rasparellorum et ab inde inferius eundo super seam Montis alfarengi per unum valogium usque subter canales Molendini templi de puulenta, ... a dictis finibus versus dictum burgum sanctipetri sunt de finibus et virtute et posse Astensi et dicti burgi ut intendit, Et ab inde versus Calianum omnia que sunt versus Calianum ab ipsis confinibus ut intendit, sunt de posse et in finibus Caliani.

Item interogatus quid scit de finibus dicti burgi sancti petri de Guadarabio et finibus Tongi, et quomodo protenduntur et vadunt dicti fines et quomodo discernuntur, Respondit et dixit quod nescit, nisi quod intendit et credit quod a dicto conforcio Sangone supra sicut stat versa quod dicti fines sint et discernantur scilicet quod omnia que sunt ultra versam a dicto conforcio supra sunt de posse et finibus Tongi, et omnia que sunt a versa citra versus dictum burgum sunt de posse Astensi et finibus dicti burgi. Item interogatus super predictis finibus omnibus quid scit, quare hoc dicat et credit et intendit, Respondit quod nescit aliter nisi quod hoc audivit dici, quod sic protenduntur et discernuntur fines predicti a pluribus hominibus de contrata illa antiquis et bene sunt triginta anni et plures quod audivit dici ab eisdem quod sic protenduntur et discernuntur et vadunt. Interogatus qui sunt illi a quibus hoc audivit dici, respondit quod non recordatur sed tamen a multis et pluribus hoc audivit. Interrogatus si aliter protendi possent et discerni fines predicti et nesciret Respondit non, ut sciat nec credat, Et quod de hoc est publica vox et fama. Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium.

Die eodem Jovis. Ascherius Sgocius qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Caliani, et dicti Burgi, et quomodo protenduntur et discernuntur fines dicti Burgi a finibus Caliani, Respondit et dixit quod audivit dici ab illis qui discreverunt et determinaverunt dictos fines scilicet Jacobo Barono et Jacobo Sacho quod dicti fines dicti Burgi discernuntur a finibus Caliani et protenduntur isto modo videlicet incipiendo ad conforcium Sangone et eundo usque ad fontem de via levata,

et a dicto fonte vie levate dicebant quod ibant postea recte usque ad fontem de puteo anchio, et a dicto fonte de puteo anchio usque ad limum de falchis, et a dicto limo eundo per montem Alfarengum usque ad domum Rasparellorum, et a dicta domo Rasparellorum dimittendo ipsam domum deversus Calianum usque subter molendinum de punlenta, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus dictum Burgum sancti Petri, sunt de posse et virtute Astensi, et de finibus dicti burgi, Et omnia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Caliani, Et a suo recordatu citra hoc audivit dici ab omnibus, Et etiam homines dicti burgi dictos fines sic tenuerunt et possederunt, Et etiam vidit Petrum Buchafolam et filios ducere granum de messibus ad dictum burgum ad rebatendum, quia non audebant ipsum ducere Calianum quia exivissent de posse Astensi, et extraxissent victualia contra bannum, Et dixit quod bene recordatur de annis quadraginta.

Item interogatus quid scit de finibus dicti burgi et finibus Tongi, et quomodo protenduntur discernuntur et vadunt dicti fines, Respondit et dixit quod a dicto confurcio sangone ultra versam totum illud quod est ab inde versus Tongum ultra versam est de posse et finibus Tongi, et totum illud qnod est a versa citra versus dictum burgum sancti petri, est de posse et virtute Astensi et finibus dicti burgi. Interogatus quomodo sit predicta, Respondit quod scit auditu. Interogatus a quibus hoc audivit dici, Respondit quod audivit dici a Guillelmo de Moncucho, et Johanne duxio. Interogatus si fama et vox est in partibus illis, quod fines dicti Gualdarabij et Caliani et Tongi protendantur et discernantur modo predicto, et prout superius dixit, Respondit quod sic, et quod bene ita dicitur per terram, precepto unius nuncij perhibuit testimonium.

Die eodem iovis, Rofinus Capa qui iuravit dicere veritatem, interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Burgi Guadarabij, et quomodo protenduntur et discernuntur fines dicti Burgi a finibus Caliani, Respondit et dixit quod fines predicti difiniuntnr et discernuntur in hunc modum videlicet quod incipendo per subter canalem Molendinj de punlenta, quod erat mansionis de templo, et eundo super cimam Serre Montis alfarengi usque ad cauzom unius grosse ulmi, que est super Monte Alfarengo, et a cauzo dicti ulmi veniendo per serram Montis de laverna, usque ad fontem putei anchij, et a dicto puteo Travversando per unum campum Jacobi Frenarij, et veniendo recte ad confurgium, de subter serram Mamuenghi, quod conforcium est in bucha de poylano, et a dicto confurcio eundo recte usque ad confurcium de Sangona, quod omnia que sunt a dictis confinibus infra, versus dictum burgum sancti petri sunt de posse et virtute Astensi, et finibus dicti burgi, et omnia que sunt a dictis confinibus supra versus Calianum sunt de posse et finibus Caliani. Interogatus quomodo scit, quod audivit dici, et etiam vidit dictos fines ut predixit difiniri et terminari. Interogatus a quibus vidit difiniri et terminari, Respondit a Jacobo Sacho et Marchiono Benedicto, et a pluribus alijs, et pro parte Caliani et dicti Burgi de quibus non recordatur. Item interogatus quid scit de finibus Tongi et dicti burgi et quomodo vadunt difiniuntur et discernuntur dicti fines Tongi et Guadarabij, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur, in hunc modum videlicet, quod incipiendo in lecto verse Recte ad vadum de Salice, et eundo recte per lectum verse usque in posse Fringi, quod omnia que sunt a versa citra versus

Guadarabium, sunt de posse et virtute Astensi et de finibus dicti burgi, Et omnia que sunt a versa ultra versus Tongum a dictis confinibus supra, sunt de posse et virtute Tongi, et in finibus Tongi, Interogatus quomodo scit, Respondit quod audivit dici, ab antecessoribus suis. Interogatus a quibus audivit dici, Respondit a Marchiono Benedicto, Jacobo Sacho et Johanne lupo et a pluribus alijs. Interogatus si publica vox et fama est in contrata et partibus illis, quod dicti fines discernantur et difiniantur sicut ipse dixit, Respondit sic. Precepto unius nuncij perhibuit testimonium, et dixit quod a suo recordatu citra, comune Guadarabij predictos fines versus Tongum et versus Calianum ut ipse dixit, semper tenuit et possedit, Et bene recordatur de annis quinquegintaquinque.

Die eodem iovis, Guillelmus de Montecucho, qui iuravit dicere veritatem, interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Burgi sancti petri de Guadarabio et quomodo fines predicti protenduntur et discernuntur a finibus Caliani, Respondit et dixit quod fines predicti protenduntur et discernuntur et difiniuntur in hunc modum, videlicet incipiendo subter canales Molendinj de punlenta, quod fuit mansionis templi, et eundo contra Montem usque ad domum Rasparellorum dimittendo dictam domum de versus Calianum, et a dicta domo eundo per serram Montisalfarenghi usque ad limium desuper ipsum limium ad ulmum unam que est desuper limium, et a dicto limio veniendo infra per seam recte usque ad funtem putei anchij eundo recte ad conforcium quod venit de versus Mamuengum desubter poylanum, et a dicto conforcio de poylano usque ad confurcium de la sangona recte quod omnia que sunt a dictis confinibus infra, versus dictum burgum sancti petri, sunt de posse et virtute Astensi et finibus dicti Burgi, Et ab inde superius versus Calianum sunt de posse et finibus Caliani. Interogatus quomodo scit, Respondit per patrem suum et alios veteres et antiquos homines de terra sua, qui determinaverant et discreverant fines predictos a quibus predicta audivit dici.

Item interogatus super finibus Tongi et dicti burgi sancti petri quomodo protenduntur vadunt et discernuntur fines predicti, quid inde scit, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet incipiendo ad confurcium delasangona et veniendo recte in versam, et eundo contra montem sicut vadit versa, usque in posse Fringi, ita quod totus lectus verse remaneat de versus fines dicti burgi, quod omnia que sunt a versa citra cum dicto lecto verse versus dictum burgum Guadarabij sunt de posse et virtute Astensi, et finibus dicti burgi, et omnia que sunt a versa versus Tongum sunt de posse finibus et virtute Tongi. Interogatus quomodo scit, Respondit quod ipsemet ivit ad faciendum fossatum verse, et a suo recordatu citra, comune Guadarabij predictos fines Caliani et Guadarabij et Tongi prout superius dixit tenuit et possedit, Et de hoc etiam publica vox et fama est in contrata illa, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et bene recordatur annis sexaginta et plus.

Die martis decimo octavo mensis Madij, Vercellus lechafrugus, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et burgi sancti petri de Guadarabio, et quomodo fines predicti protenduntur et vadunt et quomodo discernuntur fines dicti burgi a finibus Caliani, et quomodo consueti sunt esse difiniti, Respondit et dixit quod difiniuntur in hunc modum secundum quod ipse

audivit dici, videlicet quod incipiendo ad molendinum de punlenta, et eundo recte ad domum Rasparellorum dimittendo molendinum de polenta deversus Ast, et a domo predicta Rasparellorum eundo desubter limium de falchjs de Montealfarengo, et ab inde supra nescit, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus dictum burgum, sunt et esse consueta sunt ut audivit de posse et virtute Astensi et finibus dicti burgi, et omnia que sunt a dictis confinibus versus Calianum sunt et esse consueta sunt de posse et finibus Caliani, Aliud de predictis nescit, precepto nuncij perhibuit testimonium, et de predictis que dixit, est publica vox et fama in contrata illa.

Die mercurij decimonono mensis Madij, Guiellelmus Sachus qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus burgi sancti petri de Guadarabio et Calianj, et si scit quomodo discernuntur et difiniuntur fines dicti Burgi a finibus Caliani, et si scit quomodo protenduntur et vadunt dicti fines et quomodo consueti sunt dicti fines esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum secundum quod semper a veteribus hominibus audivit dici, et secundum quod vidit a suo recordatu citra, videlicet quod incipiendo ad confurcium Sangone et eundo usque ad fontem unum, qui est iuxta pratum Georgij Bertaldj, et a dicto fonte usque ad confurcium Jacobi Frenarij et a dicto confurcio usque ad funtem putei anghij, qui est in terra Jacobi Frenarij, et a dicto funte eundo super seam usque ad limium de falchjs et a dicto limio de falchjs eundo usque ad domum Rasparelorum, dimittendo dictam domum deversus Calianum, et a dicta domo Rasparelorum veniendo usque de subter Canalem molendinj veteris de punlenta, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus dictum burgum sunt de posse et de virtute Astensi et finibus dicti burgi, et omnia alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum sunt de posse virtute et finibus Calianj. Interogatus quomodo scit Respondit quod vidit a suo recordatu citra, comune dicti burgi tenere et possidere dictos fines, sic difinitos et determinatos, Et etiam omnes illi qui habent terras infra dictos confines aliquotiens duxerunt eorum messes ad batendum in dicto burgo, et dixit quod bene recordatur annis quadraginta.

Item interogatus super finibus Tongi et finibus dicti burgi quid inde scit et quomodo dicti fines protenduntur vadunt et discernuntur, Respondit et dixit, quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet incipiendo in bucha de versa, et eundo super lectum verse usque in posse fringi, quod omnia que sunt a lecto verse versus dictum Burgum cum dicto lecto verse sunt et esse consueta sunt et esse debent de posse Astensi et finibus dicti Burgi, Et omnia que sunt a lecto verse versus Tongum sunt et esse consueta sunt de posse et finibus Tongi, Interogatus quomodo scit, Respondit quod predictos fines sic difinitos et determinatos vidit semper, et etiam comune dicti Burgi ipsos semper sic difinitos et determinatos tenuit et possedit, a suo recordatu citra sine molestia aliquorum et bene recordatur annis quadraginta.

Die eodem mercurij, Jacobus Cavacia qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus dicti Burgi sancti petri et Caliani, et si scit quomodo discernantur et difiniantur fines dicti burgi a finibus Caliani, Et si scit quomodo protendantur et vadant dicti fines et quomodo consueti sunt esse determinati et difiniti, Respondit et dixit, quod nescit de predictis aliquid nisi auditu, Audivit enim dici a pluribus quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet quod incipiendo

ad confurcium delasangona et eundo usque ad confurcium de Montexello ad funtem unum ubi dicitur ad viam levatam, et a dicto funte eundo in capite Montexelli, et postea redeundo ad funtem de puteo anghio, et a dicto funte putei anghij eundo usque ad limum de falchjs, et a dicto limo revolvendo et eundo usque ad domum Rasparellorum dimittendo dictam domum de versus Calianum, et a dicta domo descendendo usque ad beale de punlenta, quod omnia ea, que sunt a dictis confinibus versus Burgum, sunt et esse consueta sunt et esse debent de posse et virtute Astensi et finibus dicti Burgi, et omnia alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt et esse debent de posse et finibus Caliani. Interogatus a quibus predicta audivit dici, Respondit a Jacobo Sacho qui dicebat quod sic determinaverat dictos fines et ab Astesano pastrono et a Johanne lupo, et Jacobo Barono et Guillelmo de Montecucho, Et dixit quod a suo recordatu citra, comune dicti burgi tenuit et possedit dictos fines sic difinitos et determinatos, Et quod de predictis est publica vox et fama in partibns illis et maxime in dicto burgo sancti petri de Guadarabio, Et dixit quod bene recordatur annis vigintiquinque.

Item interogatus super finibus Tongi, et finibus dicti burgi quid inde scit et quomodo dicti fines protenduntur vadunt et discernuntur a finibus Tongi, Respondit quod audivit dici a predictis Jacobo Sacho Astesano pastrono, Johanne lupo et Jacobo lupo et Jacobo barono et Guillelmo de Montecucho, et pluribus alijs quod dicti fines discernebantur in hunc modum videlicet a confurcio Sangone eundo super lectum verse usque in posse Fringi dimittendo dictum lectum de versus dictum burgum, quod omnia que sunt a dicto lecto versus dictum burgum toto dicto lecto sunt de posse Astensi et finibus dicti burgi, ei omnia alia que sunt a dicto lecto versus dictum Tongum, sunt et esse debent de posse et finibus Tongi, Et predictos fines sic difinitos et determinatos tenuit et possedit comune dicti burgi a suo recordatu citra, et adhuc ipsos tenet et possidet sine contradictione alicuius persone, Et de hoc est publica vox et fama et dixit quod bene recordatur annis xxv.

Die iovis vigesimo mensis Madij, Petrus de Robella, qui iuravit dicere veritatem, interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Burgi sancti petri de Guadarabio, Et si scit quomodo fines dicti Burgi discernantur et difiniantur a finibus Caliani, Et si scit quomodo protendantur et vadant, et quomodo consueti sunt dicti fines esse distincti et determinati, Respondit et dixit quod nescit aliquid nisi auditu, Sed tamen bene audivit dici quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet, quod incipiendo ad confurcium de Sangona, et eundo recte ad fontem unum de puteo anghio, et a dicto fonte eundo usque super montemalfarengum in capite ipsius Montis, et a dicto monte eundo usque ad domum Rasparelorum, et a dicta domo Rasparellorum descendendo et veniendo usque subter Canalem molendinj veteris de punlenta, quod omnia que sunt a dictis finibus versus dictum burgum, sunt et esse debent de virtute et posse Astensi et finibus dicti burgi, Et omnia alia que sunt a dictis finibus versus Calianum, sunt et esse debent de posse et finibus Caliani. Interogatus a quibus predicta audivit dici, Respondit ab Astesano pastrono et Gislaberto et Rofino Capa, et pluribus alijs de quibus non recordatur, Interogatus si comune Guadarabij predictos fines sic difinitos et determinatos tenuit et possedit a suo recordatu citra, Respondit sic, Et de predictis est etiam publica vox et fama, et bene recordatur annis quadragintaquinque.

Item interogatus super finibus Tongi et dicti burgi, quid inde scit et quomodo fines dicti burgi discernuntur et difiniuntur a finibus Tongi, et soliti sunt esse difiniti et determinati, Respondit quod nescit.

Eodem die iovis, Petrus de Cazo qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et dicti burgi, et si scit quomodo protendantur et vadant, et si scit quomodo discernantur fines dicti Burgi a finibus Caliani et quomodo consueti sunt esse dicti fines difiniti et determinati, Respondit quod nescit nisi quod audivit dici quod fines dicti burgi vadunt et protenduntur usque ad domum Rasparellorum dimittendo dictam domum deversus Calianum et postea descendunt usque subter Canales Molendinj veteris de punlenta et aliud nescit. Interogatus a quibus audivit predicta dici, Respondit a pluribus, et etiam audivit dici quod comune dicti burgi, bene tenuit et possedit dictos fines sic difinitos et determinatos et etiam de predictis est publica vox et fama inter illos de dicto burgo,

Item interrogatus super finibus Tongi et dicti burgi quid inde scit, et si scit quomodo fines dicti burgi discernuntur et difiniuntur a finibus Tongi, Respondit et dixit quod nescit nisi tantum, quod audivit dici, quod sicut vadit versa et lectus verse ita discernuntur et difiniuntur dicti fines. Interogatus a quibus audivit, Respondit a pluribus, et quod de hoc est vox et fama, inter illos de dicto burgo.

Eodem die iovis, Gislambertus Maynardus, qui iuravit dicere veritatem interogatus quid scit de predictis finibus dicti Burgi et Caliani, et si scit quomodo dicti fines protendantur et vadant, et quomodo fines dicti burgi discernuntur et difiniuntur a finibus Caliani, et si scit quomodo dicti fines consueverunt esse definiti et determinati, Respondit et dixit quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum, videlicet, quod incipiendo ad conforcium vie de Sangona, et eundo usque ad confurcium vie, que venit de versus Mamuengum, et a dicto confurcio eundo usque ad fontem putei anghii, et a dicto fonte putei Anghij eundo usque in Montemalfarengum, et a dicto Montealfarengo eundo usque ad domum Rasparellorum dimittendo dictam domum deversus Calianum, et ayrale dicte domus deversus dictum burgum, et a dicta domo Rasparellorum eundo usque subter canales molendinj veteris de punlenta et a conforcio Sangone quod primo dixit, eundo recte usque ad versam, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus dictum burgum sunt et esse debent et esse consueta sunt de posse Astensi et finibus dicti burgi, Et omnia alia que sunt a dictis finibus versus Calianum sunt et esse consueta sunt de posse et finibus Caliani. Interogatus quomodo scit Respondit auditu vicinorum suorum, et semper a suo recordatu citra audivit dici quod sic discernuntur et difiniuntur fines predicti, et etiam de predictis est publica vox et fama, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, et bene recordatur ut dixit annis sexaginta.

Item interogatus super finibus Tongi et dicti burgi quid inde scit, et si scit quomodo discernantur fines dicti burgi a finibus Tongi, Respondit et dixit quod nescit, nisi quod credit quod versa et lectus verse difiniat et discernat fines dicti burgi a finibus Tongi, et semper a suo recordatu, citra sic comune dicti burgi tenuit et possedit dictos fines, Et de hoc etiam est pubblica vox et fama, Et dixit quod bene recordatur annis LX.

Eodem die iovis Astesanus pastronus, qui iuravit dicere veritatem interrogatus

quid scit de predictis finibus dicti burgi et Caliani, Et si scit quomodo dicti fines dicti burgi discernuntur et difiniuntur a finibus Caliani, et consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum secundum quod audivit dici videlicet quod incipiendo ad beale punlente aliquantulum desubter clusam Philippi laurencij, et eundo super unum scarronum usque ad domum Rasparelorum dimittendo dictam domum deversus Calianum, et a dicta domo eundo usque subter limium de falchis, et a dicto limio de falchis descendendo per unum scaronum usque ad funtem putei anghij, et a dicto funte eundo usque ad unum confurcium quod est desubter brayam Jacobi Frenarij, et a dicto confurcio eundo usque ad confurcium Sangone de versa, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus dictum burgum, sunt et esse debent et esse consueta sunt de posse Astensi et finibus dicti burgi, Et omnia que sunt a dictis finibus versus Calianum sunt et esse consueta sunt de posse et finibus Caliani. Interogatus a quibus audivit predicta dici, Respondit ab illis qui sic determinaverant et difinierant, scilicet a Jacobo Sacho quondam, Et insuper comune dicti burgi semper dictos fines tenuit ut dixit et possedit a suo recordatu citra. Et de hoc etiam dixit quod est publica vox et fama. Et dixit quod bene recordatur annis sexaginta quinque.

Item interogatus super finibus dicti burgi et Tongi quid inde scit et quomodo dicti fines discernuntur et difiniuntur a finibus Tongi, Respondit et dixit quod sicut stat versa et decurrit, et iacet lectus verse usque in posse Fringi, omnia que sunt a versa versus Burgum predictum, sunt de posse et finibus burgi, et omnia que sunt a versa versus Tongum sunt de posse et finibus Tongi, Et predicto modo comune burgi tenuit et possedit a suo recordatu citra, Et de hoc etiam est publica vox et fama, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium et dixit quod bene recordatur annis LXV.

Die eodem iovis, Petrus pastronus qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus dicti burgi et Caliani, et si scit quomodo discernantur et difiniantur fines dicti burgi a finibus Caliani, et quomodo consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet incipiendo ad grognam de punlenta et eundo super serram usque ad domum Rasparellorum et plus ante dimittendo domum predictam deversus Calianum, et a dicta domo eundo usque ad montem Henrici Falchi quondam, dimittendo dictum montem deversus Calianum, et a dicto monte descendendo usque ad funtem putei anghij, et a dicto funte putei anghij usque ad confurcium vie levate, et a dicto confurcio usque ad confurcium de Sangona, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus dictum burgum, sunt de posse et finibus dicti Burgi, Et omnia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Caliani. Interogatus quomodo scit, Respondit quod audivit dici a Jacobo Sacho et a domino Johanne presbitero et a pluribus alijs, Et semper a suo recordatu citra comune dicti burgi tenuit et possedit sine contradictione aliquorum dictos fines, nisi postquam sunt in contentione cum hominibus Callianj, et de hoc est publica vox et fama, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis vigintiquinque.

Item interogatus super finibus Tongi et dicti burgi quid scit, Respondit et dixit quod discernuntur a Guado salicis eundo super versam sicut vadit lectus verse, et

a guado salicis eundo usque ad confurcium Sangone, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus burgum et a versa citra cum toto lecto verse sunt et esse consueta sunt de finibus dicti burgi, Et ea omnia comune burgi semper tenuit et possedit, Et omnia alia que sunt a dictis confinibus versus Tongum sunt de finibus et posse Tongi, Et quod de hoc est in partibus illis publica vox et fama.

Die sabbati vigesimo secundo mensis Madij, Rollandus Benedictus, qui juravit dicere veritatem, interogatus super predictis finibus dicti burgi, et Caliani quid inde scit, Et si scit quomodo et qualiter fines dicti burgi discernantur et difiniantur a finibus Caliani, et quomodo fines predicti consueti sunt esse difiniti et terminati, Respondit et dixit, quod nunquam vidit dictos fines discerni, sed scit quod ipsi fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum, secundum quod audivit dici a pluribus veteribus hominibus, et qui etiam ostenderunt ei, videlicet quod incipiendo ad confurcium de Sangona, eundo usque ad confurcium prati de guado sive de Montisello, et a dicto confurcio de Montisello eundo usque ad aliud confurcium, quod est in capite campi Jacobi Frenarij, et dicitur confurcium vie levate, et ab ipso confurcio eundo usque ad puteum anghium, et a puteo anghio, eundo super seam Montis de laverna, usque in cimam dicti montis, et a dicta cima montis de verna, eundo super seam usque ad limum de falchis, et a limo de falchis, eundo subter ipsum limum usque in via serre usque in via Montisalfarengi, et a dicta via, eundo infra dictam viam usque ad unum scaronetum campi Rasparellorum, et a dicto scaroneto eundo usque ad fontem de Petra et super Archum ipsius fontis, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus burgum sunt de posse et virtute Astensi et finibus dicti burgi, Et omnia alia, que a dictis confinibus versus Calianum sunt et esse debent de posse et finibus Caliani. Interogatus a quibus audivit predicta dici, Respondit, a Marchiono Benedicto, qui dicebat quod fuerat ad discernendum, et a Jacobo Sacho, et a Jacobo Marcho et a pluribus alijs, Et predictos fines sic difinitos et determinatos comune dicti burgi semper a recordatu suo citra tenuit et possedit, et semper illi qui habent facere infra dictos confines solverunt taleas et condictiones de terris quas habebant infra dictos confines in dicto burgo in posse Astensi, Et de hoc etiam est publica vox et fama in dicto burgo et partibus illis, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis trigintaduobus.

Die veneris vigesimo octavo mensis Madij, Jacobus lechafricus qui iuravit dicere veritatem interrogatus super predictis finibus Guadarabij et Caliani quid inde scit, Et si scit quomodo fines dicti burgi discernantur et difiniantur a finibus Caliani, Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum secundum quod audivit dici, videlicet incipiendo ad molendinum vetus de punlenta, et eundo recte usque ad domum Rasparellorum, et a domo Rasparellorum eundo recte in Montemalfarengum, et a montealfarengo eundo contra vallem versus Montexellum, usque in Montexellum, et a montexello eundo usque ad stratam que venit deversus Mamuengum, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus dictum burgum sunt et esse debent de posse Astensi, et finibus dicti Burgi, et alia que sunt a dictis finibus versus Calianum sunt de posse et finibus Caliani. Interogatus a quibus audivit dici predicta, Respondit, a Jacobo Frenario et Guillelmo Rasparello et Ogerio de Rabio et pluribus alijs

de quibus non recordatur, Et dixit quod audivit semper dici, a suo recordatu citra quod comune dicti burgi dictos fines sic tenuit et possedit et de hoc est publica vox et fama, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis triginta et pluribus.

De Testibus receptis super finibus Caliani et Scrizollengi etc.

Die veneris vigesimo octavo mensis Madij, Jacobus de Mola de Scrizolengo, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super finibus Caliani et Scrizolengi, quid inde scit, et scit quomodo fines Scrizolengi discernantur et difiniantur a finibus Caliani, Respondit et dixit quod ipse multotiens fuit ad discernendum et difiniendum, et difiniuntur et discernuntur in hunc modum videlicet quod incipiendo per medium Montisgretoni et Montisgretoninj, et eundo per schinam et salexinam usque ad fontem orioram, et a dicto funte eundo et transeundo ultra per prata recte ad viam unam que venit a perno, et que est inter fines Scrizolenghi et Caliani, et a dicta via eundo infra per ipsam usque ad confurcium prati domine Rofine sive de strata, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Scrizolengum sunt de posse et virtute Astensi et finibus Scrizolengi, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Caliani, Interogatus quomodo scit, Respondit quod pluries ipse cum vicinis suis fuit ad discernendum et determinandum dictos fines, et ipsos sic difinivit et determinavit, et semper a suo recordatu citra comune Scrizolengi predictos fines sic tenuit et possedit difinitos et determinatos, Et quod comune Scrizolengi semper scuravit fontem orioram, et fontem illum qui est in prato de Mazijs, et hoc sine molestia et impedimento aliquorum, de hoc etiam est publica vox et fama in Scrizolengo, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis octuagintaquinque.

Die eodem veneris, Ardicio de portis, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Caliani et Scrizolengi quid inde scit, et si scit quomodo fines Scrizolengi discernantur et difiniantur a finibus Caliani, Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod nunquam fuit ad discernendum et difiniendum dictos fines, sed audivit dici quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet, quod incipiendo per medium Montisgretoninj et Montisgretoni, et veniendo sive eundo infra per schinam de Salesina usque ad fontem Orioram, et a dicto fonte oriora eundo sive veniendo usque ad alium funtem de prato de Mazijs, et a dicto funte eundo per viam que est iuxta dictum funtem usque in stratam ad pratum domine Rofine, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Scrizolengum, sunt et esse debent de finibus Scrizolengi, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Calianj. Interogatus a quibus predicta audivit dici, Respondit a Balbo et a Gualfredo piloso, et a petro de Johanne quondam, et a pluribus alijs, dixit quod vidit comune Scrizolengi scurare dictos fontes et quod aliqua persona nichil dixit ei, Et etiam vidit in dictis confinibus fossas factas occasione seminandj sed ipsas non vidit fieri, Et etiam dixit quod comune Scrizolengi semper a suo recordatu citra dictos fines sic difinitos tenuit et possedit et de predictis dixit quod est publica vox et fama. Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis vigintiquinque et pluribus.

Eodem die veneris, Germanus Ferarius de Scrizolengo qui iuravit dicere veritatem, interogatus super predictis finibus Caliani et Scrizolengi quid inde scit, et si scit quomodo discernantur fines Grixani a finibus Caliani, Et si scit quomodo consueti sunt dicti fines esse difiniti et determinati Respondit et dixit quod nunquam fuit ad dictos fines discernendos nec etiam vidit unquam ipsos difiniri, tamen dixit quod audivit dici quod dicti fines discernebantur et difiniebantur in hunc modum, videlicet quod incipiendo subter Montemgretonum, et eundo per rocham salixinam usque ad fontem orioram, et a dicto fonte oriora, transeundo per prata usque ad viam, et postea eundo per viam usque ad stratam sive ad pratum strate, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Scrizolengum, sunt et esse debent de posse et virtute Astensi et finibus Scrizolengi, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de finibus Caliani, Et hoc audivit dici a Gualfredo piloso, et Henrico Gueyvacia et a pluribus alijs, et dixit quod vidit, quod dictum comune Scrizolengi semper a suo recordatu citra, dictos fines sic difinitos tenuit et possedit, Et de hoc est publica vox et fama, in Scrizolengo et partibus illis, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis quinquegintaquinque salvo plurj.

Meylanus de Casascho, qui iuravit dicere veritatem Interogatus super predictis finibus Caliani et Scrizolengi quid inde scit, et si scit quomodo dicti fines Scrizolengi discernuntur et difiniuntur a finibus Caliani, Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit se nichil scire de predictis.

Eodem die veneris, Bellengerius Rapa, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Caliani et Scrizolengi, et quid inde scit et si scit quomodo dicti fines Scrizolengi discernantur et difiniantur a finibus Caliani. Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet, quod incipiendo ad Salexinam et eundo infra per Salexinam dimittendo boschum illorum de portis de versus Scrizolengum, eundo usque ad fontem orioram et a fonte oriora eundo et passando ad viam que vadit inter fines perni et scrizolengi, et postea eundo per viam usque ad pratum de ossis, dimittendo dictum pratum de versus fines Scrizolengi, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Scrizolengum sunt et esse debent et consueta sunt esse de posse Astensi et finibus Scrizolengi, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt et esse debent de finibus Caliani. Interogatus quomodo scit, Respondit quod ipsemet cum comuni Scrizolengi fuit ad difiniendum et discernendum fines predictos, Bis, et bene sunt quadraginta anni, quod primitus fuit ad dictos fines discernendos et difiniendos modo predicto cum comuni et hominibus Scrizolengi, et in secunda vice fuit similiter cum dictis comuni et hominibus Scrizolengi modo est unus annus et dimidius vel circa, ad dictos fines sic difiniendos et determinandos, et ipsos sic difinivit et determinavit sine contradictione alicuius persone. Interogatus si comune Scrizolengi tenuit et possedit dictos fines sic difinitos et determinatos et modo tenet et possidet, Respondit sic tenet modo et semper tenuit et possedit a suo recordatu citra sine impedimento et molestia aliquorum. Interogatus si de predictis omnibus et singulis est publica vox et fama in Scrizolengo et partibus illis, Respondit sic. Interogatus cuius precepto perhibet testimonium, Respondit precepto unius nuncij, dixit etenim quod nunquam fuit positus aliquis

terminus in predictis finibus, quos difinivit, sed tamen bene fuit ut predixit ad ipsos discernendos, Et dixit quod bene recordatur annis sexaginta et pluribus.

Eodem die veneris, Guillelmus de Rocha, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Caliani et Scrizolengi, quid inde scit, et si scit quomodo dicti fines Scrizolengi difiniantur et discernantur, et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod nescit aliud de predictis, nisi tantum, quod audivit dici quod fines Scrizolengi protenduntur et vadunt usque ad castelletum desubter pernum, et usque ad Montroxonum, et usque ad montem gratonum, Et aliud nescit. Interogatus a quibus hoc audivit dici, Respondit a pluribus veteribus hominibus, Et semper audivit dici quod comune Scrizolengi usque in dicta loca pro suis finibus tenuit et possedit, Et quod de hoc est publica vox et fama, in Scrizolengo et partibus illis. Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium.

Eodem die veneris, Thomas Scotus, qui iuravit dicere veritatem, interogatus super predictis finibus quid inde scit, Et si scit quomodo discernantur et difiniuntur fines Scrizolengi a finibus Calianj, Et si scit quomodo consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit quod nescit aliquid de predictis, quia nunquam fuit ad discernendum et difiniendum dictos fines, nec etiam vidit unquam ipsos difinirj.

Die Sabbati vigesimo nono mensis Madij, Vivianus de portis qui iuravit dicere veritatem, interogatus super predictis finibus Scrizolengi et Caliani, quid inde scit, et si scit qualiter difiniantur et determinentur fines Scrizolengi a finibus Caliani, Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod nescit bene, tamen dixit quod vidit homines Scrizolengi ire difiniendo dictos fines in hunc modum videlicet quod Ibant ultra poteglanum ultra pratum Conradj Osse, et Gualfredj pilosi, et domini Girardj de platea, et de Mazijs, et dicebant quod ibat finis Scrizolengi satis plus ulterius versus gissos, versus Castelletum, Et audivit dici a domino Ascherio de Caliano, quod dictus finis Scrizolengi protendebatur usque in Montemgretoninum, et quod ibi difiniebantur fines Scrizolengi a finibus Caliani, et castegnolarum, et aliud nescit, nisi quod comune Scrizolengi sine contradictione alicuius predictos fines sic difinitos et determinatos a suo recordatu citra tenuit et possedit et de hoc est publica vox et fama, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis quadraginta-quinque.

Eodem die sabbati, Bertolinus de Quaranta, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super finibus Scrizolengi et Caliani quid inde scit, et si scit quomodo fines Scrizolengi discernuntur et difiniuntur a finibus Caliani, et quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod nescit aliquid de predictis.

Die eodem Sabbati, Ogerius Bonellus de Cortacomario qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Caliani, et quid inde scit, et si scit quomodo dicti fines Scrizolengi discernuntur et difiniuntur a finibus Caliani, Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit se nichil scire.

Die martis primo mensis Junij, Gualfredus pilosus de Scrizolengo, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Scrizolengi et Caliani, quid inde

scit, et scit qualiter fines Scrizolengi discernantur et difiniantur a finibus Caliani, Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit, quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum, scilicet quod incipiendo, ad Montegretoninum, desubter Montemgretonum et eundo contra vallem versus vallem pontiglani usque in prata, que sunt desubter, et a dictis pratis eundo usque ad fontem orioram, et a funte oriora scavizando prata, et eundo usque ad pratum de Mazijs ad quandam viam veterem, et postea eundo per dictam viam veterem usque ad stratam, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Scrizolengum sunt de posse Astensi et finibus Scrizolengi, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse, et finibus Caliani. Interogatus quomodo scit, Respondit quia vidit et pluries fuit ad dictos fines sic difiniendos et discernendos, et semper a suo recordatu citra comune Scrizolengi dictos fines sic tenuit difinitos, Et de predictis est publica vox et fama, in Scrizolengo et partibus illis. Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis Octuaginta duobus.

Eodem die martis primo Junij, Henricus Veynacius, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Scrizolengi et Caliani, quid inde scit, et si scit quomodo et qualiter fines Scrizolenghi discernantur et difiniantur a finibus Caliani, et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum, videlicet quod incipiendo ad puteum de punlina, et eundo super valegium funtane gontande, et postea eundo super cimam Montisgretoninj, et a cima Montegretoninj eundo infra per seam inter pannilium et salexinam, et eundo usque ad fontanam orioram, et a fontana oriora transeundo ultra per prata usque ad viam veterem, et a via vetere eundo infra per ipsam viam usque in boscheam que est Infra stratam, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Scrizolengum, sunt de posse Astensi et finibus Scrizolengi, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Calianj. Interogatus quomodo scit, Respondit quia fuit pluries pro comuni Scrizolengi cum alijs de Scrizolengo ad dictos fines sic discernendos, et semper a suo recordatu citra comune Scrizolenghi dictos fines sic difinitos et determinatos tenuit et possedit, et inde est publica vox et fama, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis sexaginta.

Eodem die martis primo Junij, Jacobus de Garona qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Scrizolengi et Caliani, et quid inde scit, et si scit, quomodo dicti fines Scrizolengi difiniuntur et discernuntur a finibus Caliani, Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum, videlicet incipiendo desubter Montemgretoninum, et eundo infra inter paliulum et Salexinam usque ad fontem orioram, et a fonte oriora transeundo ultra per prata usque ad viam veterem, et eundo postea per dictam viam veterem usque ad stratam, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Scrizolengum, sunt de posse Astensi et finibus Scrizolengi, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Calianj. Interogatus quomodo scit, Respondit quod hoc audivit dici, Et etiam fuit cum comuni Scrizolengi ad dictos fines discernendos usque ad fontem

orioram, Et semper a suo recordatu citra comune Scrizolengi dictos fines sic tenuit difinitos, et de hoc est publica vox et fama, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis sexagintaquinque.

Testes recepti super finibus et occasione finium Grixanj et Calianj.

Die veneris quartodecimo mensis Madij, Bertholinus de Quaranta qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de finibus Grixani et Calianj, et quomodo protenduntur et vadunt et protendi et ire consueti sunt fines predicti, et quomodo discernuntur fines Grixani a finibus Caliani, Respondit et dixit quod dicti fines discernuntur in hunc modum et difiniuntur prout pater eiusdem testis dicebat eidem et ipsum docebat, qui pater ipsius stabat in curte Marchionis Montisferrati et ostendit ei pluries sicut fines predicti discernebantur, videlicet primo discernuntur incipiendo per medium vie, que venit de Gratina, et veniendo usque ad confurcium de Torrellis a dicto confurcio de torrellis usque ad gissa de Montroxonis, et a dictis gissis, faciendo plures scazias usque super montem Gretonum, in medio dicti Montisgretonj, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Caliani. Et omnia que sunt a dictis confinibus infra versus Grixanum, sunt de posse et virtute Astensi, et finibus loci Grixani. Interogatus quomodo scit predicta, Respondit, et dixit auditu dicti patris sui, et etiam ipsemet testis existens potestas Grixani cum comuni et hominibus Grixani predicto modo difinivit et decrevit fines predictos ut predixit, sine impedimento et aliqua molestia aliquorum. Interogatus si comune Grixani tenuit et possedit fines predictos sicut ipse testis dixit, Respondit sic a suo recordatu citra. Interogatus si de predictis est publica vox et fama, in contrata illa et partibus illis, quod predicti fines sic protendantur et difiniantur, et quod comune Grixani ipsos sic possederit et tenuerit, Respondit sic, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis sexaginta et pluribus.

Eodem die veneris, Johannes Borsetus sive Bergagnus qui iuravit dicere veritatem Interogatus quid scit de predictis finibus Calianj et Grixani, et quomodo protenduntur et vadunt fines predicti, et quomodo discernuntur fines Grixanj a finibus Caliani, et quomodo consueti sunt dicti fines esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod audivit dici a pluribus quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet incipiendo ad domum Torellorum in qua stare consueverunt et eundo infra usque ad locum ubi dicitur ad sedimen et a dicto sedimine eundo usque ad casalias dimittendo dictas casalias deversus fines de Aste, et a dictis Casalijs eundo recte usque ad stratam que venit de ponteglano, omnia deversus Grixanum sunt de posse Grixani, Et predicto modo usque ad dictam stratam vidit ipsos fines difiniri ab hominibus Grixani eundo cum potestate Grixannj, inquirendo fines Grixanni et a dicta strata de poglano audivit dici quod ibat usque ad montemgretonum, ita quod Monsgretonus remanebat de finibus et posse Astensis comunis, Et monsgretoninus permanebat de posse et finibus Caliani, Et quod omnia que sunt a dictis finibus versus Calianum sunt et esse debent de posse et finibus Caliani, Et omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum sunt et esse debent de posse Astensi et finibus Grixani. Interogatus si comune Grixani tenet et possidet et tenuit et possedit et consuetum est tenere et possidere usque in confinibus supradictis sine aliquo impedimento

et molestia, Respondit sic, postquam ibidem in Grixano ipse testis moratur. Interogatus quantum tempus est quod ibi moratur, Respondit quod bene sunt anni sedecim et plures. Interogatus si de predictis est publica vox et fama in contrata et partibus illis Grixani, Respondit sic, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium.

Eodem dieveneris, Gandulfus de pascario, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Grixani, et quomodo protenduntur et vadunt fines predicti et quomodo discernuntur fines Grixani, a finibus Caliani, et quomodo consueti sunt dicti fines esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod comune Grixani sine aliqua questione tenet modo, et a suo recordatu citra tenuit et possedit de dictis finibus a confurcio Torellorum usque ad Casalias, et a Casalijs usque ad pontemglanum, Et Casalie semper a suo recordatu citra, fuerunt de posse Astensi et de finibus et in finibus Grixani, nisi a quinque annis citra, quod homines Caliani fecerunt comuni Grixani questionem, Et insuper audivit dici a petro de Grixano et Jacobo Reverdito quod fines Grixani protendebantur usque ad fossatum magnum, de quibus modo est questio inter comune Caliani et Grixani, Et aliud nescit. Interogatus si de predictis est publica fama et vox in contrata Grixani et partibus illis, Respondit sic, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium. Item dixit quod comune Grixani sine aliqua questione semper tenuit et possedit et adhuc tenet et possidet pro suis finibus a confurcio Torellorum usque ad petram, Et omnia que sunt ab inde infra versus Grixanum, Et quod de hoc homines Caliani nullam comuni Grixani moverunt vel fecerunt questionem, Et dixit quod bene recordatur annis triginta.

Eodem die veneris Johannes Rubeus qui juravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Grixani, Et si scit quomodo protendantur et vadant dicti fines et quomodo discernuntur fines Grixani a finibus Caliani, et quomodo consueti sunt dicti fines esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod dicti fines discernuntur, et difiniuntur, et consueti sunt esse difiniti et determinati in hunc modum videlicet incipiendo ad petram et eundo usque ad fossatum magnum ubi consueverat esse unum paxonum pro termino, et eundo recte usque ad casalias dimittendo Casalias deversus fines Grixani, et a dictis Casalijs eundo recte usque ad gessum, et postea transversando, et eundo usque ad Montemgretonum, quod omnia que sunt a dictis confinibus infra versus Grixanum, sunt de posse et virtute Astensi et finibus Grixani, Et omnia alia que sunt a dictis finibus supra versus Calianum sunt et erant de finibus Caliani. Interogatus quomodo scit, Respondit quod scit, quod omnia predicta que sunt a dictis confinibus versus Grixanum et dicte Casaligie semper a suo recordatu citra, scilicet quadraginta annorum et plurium solverunt et fecerunt comuni Grixani fodra, taleas et scufias et ceteras condictiones, quas solvebant et faciebant alie possessiones de Grixano, Et etiam dictos fines sic difinitos ostendebant ei et pluribus alijs, Jacobus Garonus de Grixano et Petrus de Rocha et plures alij, antiqui homines, Item interogatus si comune Grixani tenet et possidet, et a suo tempore et recordatu citra tenuit, et possedit predictos fines sic difinitos et determinatos et omnia que sunt a dictis confinibus infra, versus Grixanum, Respondit quod sic, exceptis a duobus annis citra, quod comune et homines Caliani, abstulerunt per vim, dicto comuni Grixani Casalias predictas, Interogatus si de predictis omnibus que dixit est publica vox et fama in Grixano et posse et partibus illis Respondit sic, et precepto

unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis sexaginta et pluribus.

Die martis decimo octavo mensis Madij, Boninus Cazamolinus qui iuravit dicere veritatem, interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Grixani, Et si scit quomodo protendantur et vadant dicti fines et quomodo discernuntur et difiniuntur fines Grixani a finibus Caliani, Et quomodo consueti sunt dicti fines esse difiniti et determinati, Respondit quod nescit aliquid de dictis finibus, nisi tantum quod vidit plures previsores et discernitores viarum Grixani ire previdendo et discernendo dictas vias in hunc modum, videlicet quod incipiebant ad confurcium panialis et ibant usque ad gessa Montroxoni et usque ad Casalias, et a dictis Casalijs revertebantur per pratum sancti Marci aptando eorum vias et aliud nescit, Interogatus qui erant illi previsores et discernitores, Respondit Bertolinus de Quadraginta, Johannes Rubeus et Jacobus Rubeus, et plures alij.

Die eodem, Oddinus Torrellus, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Caliani, et Grixani, et si scit quomodo protendantur et vadant dicti fines et quomodo discernantur et difiniantur, et consueti sunt difiniti et determinati, Respondit quod audivit multotiens dici a petro de Grixano et pluribus alijs, quod dicti fines discernuntur et consueti sunt esse difiniti in hunc modum videlicet quod incipiendo ad fosatum magnum et eundo usque ad montroxonum ubi est quidam lapis de Gisso, et a dicto lapide eundo usque ad montemgretonum, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum, sunt de posse Astensi et finibus Grixanj, et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de finibus Caliani, Et predictos fines sic difinitos comune Grixani tenuit et possedit a suo recordatu citra, nisi postquam Conradus Merlus est Castellanus Caliani. Precepto unius nuncij perhibuit testimonium, et dixit quod bene recordatur annis quindecim.

Eodem die martis, Vercellus lecafrigus, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Grixani et Caliani, et quomodo discernuntur et difiniuntur et protenduntur et vadunt dicti fines et quomodo consueti sunt esse difiniti fines predicti Grixani a finibus Caliani, Respondit et dixit quod audivit dici a pluribus quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet primo incipiendo ad montem de Gays, et eundo desubter limum de Vigrilengis usque ad fossatum magnum, et a fossato magno usque ad vineam Gaytoni, quondam, et a dicta vinea descendendo ad pratum de Torellis, et a dicto prato ascendendo usque ad gessum de Montroxono, et a dicto Gesso usque ad Casalias, dimittendo Casalias deversus fines Grixani, et a dictis Casalijs eundo desuper prata sancti Marci et desubter puteum perni usque ad montemgretonum, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum sunt et esse consueverunt de posse Astensi et finibus Grixani, Et a dictis confinibus versus Calianum sunt omnia de posse et finibus Caliani. Interogatus si comune Grixani predictos fines sic difinitos et determinatos tenuit et possedit et tenet et possidet, Respondit quod nescit, nisi quod audivit dici ea que superius dixit in eius testimonio. Interogatus si de predictis que dixit est in Grixano et illis partibus publica vox et fama, Respondit quod sic, quia predicta multotiens a pluribus audivit dici, sed nunquam vidit, Interogatus a quibus predicta audivit, Respondit a domino Alcherio de Curte quondam, et pluribus alijs, de quibus non recordatur, dicit tamen quod

predicta similiter audivit dici a Jacobo Reverdito. Precepto unius nuncij perhibuit testimonium.

Eodem die martis, Petrus de Grixano qui iuravit dicere veritatem, interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Grixani, et si scit quomodo discernantur et difiniantur fines Grixani a finibus Caliani, et si scit quomodo protendantur et vadant fines predicti et quomodo consueti sunt ire et protendi et esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum, secundum quod audivit dici a patre suo, videlicet quod incipiendo ad polandinum de punlenta et eundo super valem usque ad fossatum magnum, et a fossato magno usque ad lapidem unum Gissi de Montroxono, et a dicto lapide eundo per transversum ad pratum unum ubi dicitur ad puteum, et a dicto prato usque ad Montegretonum, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum, sunt et esse debent et esse consueta sunt de posse Astensi et finibus Grixani, Et predicta scit auditu patris sui, Et bene sunt triginta anni quod hec audivit ab eo, Et etiam dicebat ei dictus pater eius, quod bene erant octuaginta anni quod viderat dictos fines sic difinitos et sic stare. Item dixit, quod ipse vidit unum pallum fixum ad fossatum magnum, quod posuerant et ficaverant seu ficari fecerant causa dictorum finium, et causa apliandj vias comune Ast, Et sic audivit et vidit ut superius dixit, nec etiam aliquo tempore vidit nec audivit quod comune Caliani aliquid peteret in terris et possessionibus, nec super ipsis terris et possessionibus super quibus petit modo, sed semper a suo recordatu citra vidit ut superius dixit, predictos fines sic difinitos a dictis confinibus versus Grixanum esse de posse Astensi et finibus Calianni. Interogatus si de predictis que dixit est publica vox et fama, in Grixano et contrata, atque partibus illis, Respondit quod sic est et esse debet, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et insuper dixit quod vidit multotiens homines Caliani ludere et venire ad ludendum ad Casalias ad taxillos, quia non audebant ludere in Caliano nec in posse, Et dixit quod bene recordatur annis sexaginta et pluribus.

Eodem die martis, Obertus Torellus qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Caliani, et Grixani, Et si scit quomodo discernantur et difiniantur fines Grixani a finibus Caliani, Et si scit qualiter dicti fines protendantur et vadant, et quomodo sunt soliti dicti fines esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod nescit de predictis aliquid nisi tantum quantum audivit dici a patre suo, a quo audivit dici pluries quod discernebantur in hunc modum incipiendo ad funtem de punlenta ubi dicitur ad petram et eundo usque ad foxatum magnum, et a fossato magno usque ad gessum de Montroxono, et a dicto Gisso transeundo valem perni usque in Gualfis, et a Gualfis usque in Montemgretonum, quod omnia que erant a dictis confinibus versus Grixanum, erant de posse et virtute Astensi, et finibus Grixani, Et omnia que erant a dictis confinibus versus Çalianum, erant de posse et finibus Çaliani, Et predicta etiam a pluribus alijs audivit dici. Interogatus si de predictis que dixit est publica vox et fama, Respondit sic in Grixano et posse, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et insuper dixit quod pluries audivit dici a domino Vivaldo presbitero sancti Secundi de Sancto, quod ipse quando erat parvus ibat cum quodam homine de Quarto versus Montemferratum, Et quando fuit ad fossatum magnum, ille homo de quarto dixit ei, vide hic difiniuntur fines comunis

Astensis a finibus domini Marchionis, Et dicit quod audivit a dicto domino Vivaldo, quod ibi erat in quodam gerbo unus lapis grossus, Et quod postea vidit ibi ubi erat dictus lapis unum pallum fixum.

Die mercurij decimo nono mensis Madij, Jacobus Baronus, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Grixanj, Et si scit quomodo protenduntur et vadunt dicti fines, et quomodo fines Grixani discernantur et difiniantur a finibus Caliani Et quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod audivit dici, quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum, videlicet quod incipiendo subter Canalem Molendinj veteris punlente et eundo usque ad fontem de petra, deversus Grixanum, et a dicto fonte de petra ascendendo et eundo supra usque ad campum de Ribalda, et a dicto campo de Ribalda dimittendo ipsum de versus Grixanum, usque ad confurcium quod est citra domum Torellorum, et a dicto confurcio transeundo ante domum Torellorum, dimittendo ipsam domum deversus Calianum et descendendo usque in valem demptam, que venit deversus Çalianum, Et ulterius nichil scit, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum sunt et esse consueta sunt et esse debent de posse Astensi et finibus Grixani et omnia que sunt a dictis confinibus versus Çalianum sunt et esse debent de posse et finibus Caliani. Interogatus a quibus audivit predicta dici, Respondit a Tebaldo desubter vineas quondam et a payrolio de pascuario quondam, et oberto Cavacia quondam, et a pluribus alijs de quibus non recordatur. Interogatus si de predictis que dixit est publica vox et fama in Grixano et contrata et partibus illis, Respondit sic.

Eodem die mercurij, Jacobus Cavazia qui iuravit dicere veritatem, interogatus quid scit de predictis finibus Caliani et Grixani, et si scit quomodo protendantur et vadant dicti fines, et quomodo difiniantur et discernantur fines Grixanni a finibus Caliani, Et si scit qualiter consueti sunt dicti fines esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod secundum quod audivit dici, dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum, videlicet quod incipiendo ad canales molendini de punlenta et eundo supra beale usque ad funtem de punlenta et ad fontem de petra dimittendo dictos funtes deversus Grixanum et a dictis funtibus ascendendo supra unum Scaronum, inter terram domini Raynerij de Castagnolis et terram Petri Caleati quondam, et eundo usque ad limum delarobauda, et a dicto limo volvendo desubter ipsum limum et eundo per serram usque ad confurcium torrellorum et a dicto confurcio Torellorum transeundo ultra usque ad montroxonum, et ab inde ulterius nihil scit, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum sunt de posse et virtute Astensi et finibus Grixani, et omnia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Caliani. Interogatus a quibus audivit predicta dici, Respondit a patre suo, Oberto Cavazia, qui erat de antiquioribus hominibus illius contrate, et dixit etiam quod vidit comune Grixani semper a suo Recordatu citra tenere et possidere predictos fines sic difinitos et determinatos, et etiam audivit predicta dici a Guillelmo de pascuario, et a fratre Oberto converso mansionis Ferranie, et a pluribus alijs de quibus non recordatur. Interogatus si de predictis que dixit est publica vox et fama, Respondit sic, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium et dixit quod bene recordatur annis vigintiquinque.

Die iovis vigesimo mensis Madij, Petrus de Cazo qui Iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Grixani et Caliani, et si scit quomodo protendantur et vadant dicti fines, et quomodo discernantur fines Grixani a finibus Calianj, Et quomodo consueti sunt esse dicti fines difiniti et determinati, Respondit et dixit quod nescit aliquid.

Eodem die Gislambertus qui iuravit dicere veritatem interogatus quid scit de predictis finibus Grixani et Caliani, et si scit quomodo dicti fines protendantur et vadant, et si scit quomodo discernantur et difiniantur fines Grixani a finibns Caliani et quomodo consueti sunt esse difiniti et determinati dicti fines, Respondit et dixit quod nescit nisi tantum quod audivit dici quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum videlicet, quod incipiendo ad molendinum vetus de punlenta, et eundo usque ad domum ubi stant pyole, quod omnia que sunt ab inde versus Grixanum sunt de posse Astensi et finibus Grixani, Et omnia que sunt ab inde versus Calianum sunt de posse et finibus Caliani, Et a dicta domo de piolis in antea, nichil scit nec etiam audivit dici, Et ea que dixit audivit dici a pluribus de villa sua, Et de hoc etiam est publica vox et fama.

Eodem dieiovis, Astesanus pastronus qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Grixani et Caliani, et si scit quomodo fines Grixani discernuntur a finibus Caliani, Et quomodo consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod nescit nisi tantum quod audivit dici quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum, scilicet incipiendo ad molendinum vetus de punlenta, quod erat mansionis templi, Et eundo recte usque ad domum Gandulfi piole, dimittendo dictam domum deversus dictum Burgum, et ab inde ulterius nichil scit, quod omnia que erant a dictis finibus versus Burgum, erant de posse et finibus Burgi, Et alia deversus Calianum, erant de finibus Caliani, Et predicta audivit dici, et aliud nescit.

Eodem dieiovis, Guillelmus de Moncucho, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Grixani et Caliani quid inde scit, Et si scit qualiter fines Grixani discernantur a finibus Caliani, Respondit quod audivit dici quod fines Grixani protendebantur incipiendo subter Canales veteres molendini de punlenta usque ad petram dimittendo petram de versus dictum Burgum, et a dicta petra eundo contra montem, usque ad domum de piolis, Et aliud nescit, et quod de hoc est publica vox et fama.

Eodem dieiovis petrus pastronus, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Grixani et Caliani quid inde scit, Respondit et dixit quod audivit dici quod fines Grixani protenduntur incipiendo subter Canales Molendini veteris de punlenta usque ad petram, dimittendo petram deversus dictum Burgum, et a dicta petra usque ad domum Gandulfi pyole, et a dicta domo usque ad fossatum magnum, et ab inde ulterius nescit, et quod de hoc est publica vox et fama, et semper audivit dici.

Eodem dieiovis, Guibertus Corlexinus, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus quid scit de predictis finibus Grixani et Caliani, Et si scit quomodo dicti fines Grixani discernuntur et difiniuntur a finibus Caliani, Et si scit quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur in hunc modum, videlicet quod incipiendo ad foxatum Grande, ubi ipsemet vidit

poni unum pallum pro termino, Et eundo usque ad Casalias subter Montroxonum, et a dictis Casalijs eundo usque ad gessum desubter pernum, et ulterius nichil scit, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum, sunt et esse debent et consueta sunt de posse Astensi et finibus Grixani, et omnia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt et esse consueta sunt de posse et finibus Caliani. Interogatus quomodo scit, Respondit quia ipse fuit presens, quando difiniti fuerunt, et vidit ipsos fines sic difiniri a patre suo, et a pluribus alijs de quibus non recordatur, quia parvus erat, Et quia semper a suo recordatu citra, comune Grixani predictos fines sic tenuit difinitos et possedit et de hoc est publica vox et fama, in Grixano et partibus Illis, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium et dixit quod bene recordatur annis quinqueginta et pluribus.

Eodem dieiovis, Guillelmus de Rocha, qui iuravit dicere veritatem, interogatus super predictis finibus Caliani et Grixani quid inde scit, et si scit quomodo protendantur dicti fines, et quomodo discernantur et difiniantur fines Grixani a finibus Caliani, et quomodo consueti sunt dicti fines esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur et consueti sunt esse difiniti et determinati in hunc modum videlicet, primo quod incipiendo ad domum Torellorum dimittendo ipsam domum deversus Calianum et a dicta domo eundo infra, usque ad funtem donnam, dimittendo totum campum Torellorum deversus Ast, et a dicto funte eundo infra, et dimittendo totum pratum Torellorum deversus Grixanum, et eundo usque ad vineam oberti polerij et a dicta vinea eundo desuper campum Torelorum et dimittendo ipsum, de versus Grixanum, et etiam dimittendo omnes Casalias deversus Grixanum, et a dicto campo et a dictis Casalijs eundo usque ad funtem prati sancti Marci, et a dicto funte eundo usque ad pratum strate quod erat Conradi Osse, et dimittendo dictum pratum deversus fines Grixani, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum sunt et esse debent et esse consueta sunt de posse et virtute Astensi et finibus Grixani. Interogatus quomodo scit, Respondit quod scit quia audivit dici semper a patre suo, et etiam vidit ipsemet ipsos fines sic determinari et difiniri. Item dixit quod audivit a patre suo et a petro de Grixano et a Bertholino de Quadraginta quod ipsi viderant poni terminos in predictis finibus quos dixit, Et etiam audivit dici, quod terminus fuit positus inter fines Grixani et Caliani ad fossatum magnum et desubter Montroxonum, et ultra Montroxonum ad castelletum desubter pernum usque ad Montegretonum. Item dixit quod a suo recordatu citra, semper comune Grixani tenuerat et possederat dictos fines sicut dixit, quod ipsemet vidit, et tenuit et possedit, Et alia que audivit dici non vidit ipsum comune tenere. Item dixit quod audivit dici a predictis quod a fossato magno, usque ad petram sicut est et pendet deversus Grixanum est de posse Astensi et finibus Grixani, Et hoc etiam scit pro firmo quod a dicto fossato usque ad petram, et fons petre, est de posse et finibus Astensis comunis et Grixani, Et semper comune Grixanni tenuit et possedit sine aliquo impedimento, Et de predictis est publica vox et fama, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, et dixit quod bene recordatur annis quadraginta et pluribus.

Dieveneris vigesimoprimo mensis Madij, Jacobus filius Petri Cazamolini sive de Javenno quondam qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus

Caliani quid inde scit, Et si scit qualiter discernantur fines Grixani a finibus Caliani, et si scit qualiter dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod discernuntur et difiniuntur secundum quod audivit dici a pluribus veteribus hominibus in hunc modum videlicet quod incipiendo ad domum Guillelmi Rasparelli, de Montealfarengo, et veniendo infra usque ad molendinum vetus de punlenta et eundo a dicto molendino usque ad fossatum magnum, et a fossato magno eundo desubter Montroxonum usque ad Casalias dimittendo Casalias de versus Grixanum, et a dictis Casalijs passando usque in gualfis, et a dictis gualfis eundo usque in Montem gretonum, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum sunt et esse debent et esse consueta sunt de posse Astensi et finibus Grixani, et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt et esse debent de finibus Caliani. Interogatus a quibus predicta audivit dici, Respondit a Rufino de Grafangno et petro de Rocha qui erant de antiquioribus hominibus Grixani et Caliani, Et etiam a pluribus alijs hoc audivit, et semper a suo recordatu citra comune Grixani tenuit casalias, et semper solverunt Casalie in Grixano, et non alibi, nisi a duobus vel tribus annis citra, quod homines Caliani fecerunt dictas Casalias solvere in Caliano per vim, Et de predictis omnibus dixit quod est publica vox et fama, in Grixano et partibus illis, Et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis triginta quinque.

Eodem dieveneris, Jacobus Fusserius qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus quid inde scit, et si scit quomodo dicti fines protenduntur et vadunt et quomodo ipsi fines Grixani difiniuntur et discernuntur a finibus Caliani et quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod dicti fines difiniuntur et discernuntur secundum quod audivit dici in hunc modum, videlicet incipiendo ubi dicitur ad sedimen Torellorum ubi dicitur ad paniale, et a dicto sedimine eundo per viam usque ad pratum Torellorum ubi dicitur ad fontem doneam, et a dicto funte eundo desuper Casalias usque in montemgrotonum, dimittendo Casalias deversus Grixanum, et fines Grixani, quod omnia que sunt a dictis confinibus versus Grixanum sunt et esse debent et esse consueta sunt de posse Astensi et finibus Grixani, Et omnia alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt et esse debent de finibus Caliani, Et aliud nescit. Interogatus a quibus predicta audivit dici, Respondit a pluribus gentibus, Et de hoc est publica vox et fama, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium. Item dixit quod semper audivit dici quod a sedimine Torellorum finis Grixani protenditur usque ad molendinum vetus de punlenta, et ibi difinitur a finibus Caliani.

Die sabbati vigesimosecundo mensis Madij, Magister Jacobus de Montroxono murator, qui iuravit dicere veritatem, Interogatus super predictis finibus Grixani et Caliani, quid inde scit, et si scit quomodo et qualiter fines Grixani discernuntur et difiniuntur a finibus Caliannj, Et quomodo dicti fines consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit, se nichil scire de predictis.

Die sabbati vigesimosecundo mensis Madij, Rofinus Capa qui iuravit dicere veritatem super predictis finibus Grixani et Caliani, quid inde scit, Et si scit quomodo fines Grixani discernuntur et difiniuntur a finibus Caliani, Et si scit quomodo consueti sunt esse difiniti et determinati dicti fines, Respondit et dixit, quod dicti

fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum secundum quod audivit dici a patre suo, et a pluribus alijs veteribus hominibus scilicet ab Henrico Torello et Oberto Cavazia et a payrolio de pascuario et a Marchiono Benedicto et alijs pluribus de quibus non recordatur, videlicet quod incipiendo subtus Canales molendini veteris de puulenta, dimittendo dictum molendinum de versus fines Grixani, et eundo super canale de punlenta recte ad foxatum magnum, dimittendo funtes puulente et portas deversus Grixanum, et eundo recte super valem puulente usque ad fosatum magnum ubi fuit positum et fixum unum pallum pro termino de castanea, quod apportatum fuit a domo Torellorum, Et etiam audivit dici a dicto patre suo, quod fuit ad ponendum dictum pallum pro termino, et dedit bibere terminatoribus de vino domus sive mansure mansionis Foranie, qui terminatores posuissent ibi unum pallum de ferro, nisi esset quod timuerunt de ribaudis ne desportarent et disficarent eum, Et dixit etiam quod audivit dici a dicto patre suo, quod bene viginti homines et plures de Caliano, Grixano, Castagnolis, et Scherzolengo Iverunt ad ponendum et ficandum dictum pallum pro termino et percuserunt de una Mazia super ipsum pallum, et a dicto fossato magno eundo recte usque ad gissum de Montroxono, et a gisso de Montrossono eundo recte usque ad pratum illorum de perno ubi dicitur ad puteum et a prato eundo recte usque in cimam Montisgretoni, quod omnia que sunt a dictis finibus versus Grixanum, sunt de posse et virtute Astensi et finibus Grixani, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum, sunt de posse et finibus Caliani, Et predicto modo sunt consueti esse difiniti et determinati dicti fines, Et ipsos sic difinitos et determinatos comune Grixani a suo recordatu citra tenuit et possedit, Et de hoc est publica vox et fama in partibus illis, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis quinqueginta quinque.

Die veneris vigesimo octavo mensis Madij, Jacobus lechafrigus, qui iuravit dicere veritatem, interogatus super predictis finibus Caliani et Grixani quid inde scit, et si scit qualiter protendantur fines predicti, et quomodo discernantur fines Grixani a finibus Caliani, Et si scit quomodo fines predicti consueti sunt esse difiniti et determinati, Respondit et dixit quod dicti fines discernuntur et difiniuntur in hunc modum, et consueti sunt esse difiniti et determinati secundum quod ipse audivit dici videlicet Incipiendo ad molendinum vetus de punlenta, et eundo usque ad confurcium domus Torellorum, et a dicto confurcio eundo usque ad pratum donneum, et a dicto prato eundo usque ad vineam filij Acij de Montroxono, et a dicta vinea eundo usque ad giosum de Vilanis, et a dicto ghiosso de Villanis eundo usque in montemgretonum, quod omnia que sunt a dictis finibus versus Grixanum, sunt et esse debent et consueta sunt esse de finibus Grixani et de posse et iurisdictione Astensi, Et alia que sunt a dictis confinibus versus Calianum sunt et esse debent et esse consueta sunt, de posse et finibus Caliani. Interogatus a quibus audivit predicta dici, Respondit a pluribus hominibus Caliani scilicet ab Andrea de Mamuengo, et a Jacobo fuserio et vercello de Caliano et a Rofino Capa et a Johanne Boysseto, et a Jacobo Reverdito, et a Jacobo de Grixanno et Petro de Grixanno et a pluribus alijs de quorum nominibus non recordatur, Et dixit quod semper vidit a suo recordatu citra, quod omnes illi qui habent terras et possessiones a dictis confinibus versus Grixanum semper solverunt fodra et taleas et condictiones in

Grixano, et non alibi, nisi postquam Conradus Merlus Castellanus Caliani fecit aliquos ex ipsis solvere per vim in Caliano, Et dixit quod vidit homines Caliani venire ad ludendum in dictis confinibus propter bannum quod erat in Caliano, et quia ibi non poterant amittere penam, Et dixit quod audivit dici ab Andrea de Mamuengo, quod maius peccatum quod haberet, ipse habebat de Casalijs, quas posuerat in finibus Caliani, et debebant esse in finibus Grixani, Et dixit quod semper a suo recordatu citra, comune Grixani predictos fines tenuit et possedit sic difinitos et determinatos sine molestia aliquorum, nisi postquam dictus Conradus Merlus ei questionem movit, Et de predictis etiam est publica vox et fama, et precepto unius nuncij perhibuit testimonium, Et dixit quod bene recordatur annis triginta et pluribus.

Et ego Guillemus de Montrosono imperiali auctoritate notarius predictos testes et dicta ipsorum autenticavi et exemplavi et in formam publicam redegi et precepto iudicis suprascripti sic scripsi.

Die lune nono mensis Junij, dominus Gualterius de Mangano potestas Astensis celebravit consilium prime et secunde credentie, et Rectorum omnium societatum per campanam et nuncios more solito congregatum, super infrascriptis.

In primis super inveniendo modum et formam etc.

Item super eligendo duos bonos homines qui intersint ad difiniendum fines Grixani, Guardarabij et Calianj, in reformatione cuius consilij placuit omnibus quod domini Obertus Asinarius et dominicus pelleta sint pro comuni Astensi et nomine et vice comunis Astensis difinitores et determinatores finium infrascriptarum villarum et locorum comunis Astensis, videlicet Guadarabij, sive burgi sancti petri, de valle verse, Scrizolengi, et Quarti et Grixani et Grane, a finibus Caliani et aliarum terrarum et locorum domini Marchionis Montisferrati seu vasallorum eius Marcantium et confinantium cum predictis villis et qualibet earum, et fines et terminos inter ipsos fines ponere seu poni facere, et ipsos fines discernere ad eorum liberam voluntatem, Et super predictis et in predictis habeant auctoritate presentis consilj plenam et generalem auctoritatem et bayliam tantam quantam habet totum consilium civitatis Astensis, Et sicut predicti difinierint et determinaverint fines predictos, et ordinaverint atque preceperint ipsos fines esse debere, ita stare debeant perpetuo et firma teneantur et habeantur per comune Astense et quemlibet locorum predictorum, Et quod super predictis exequendis possint imponere penas et banna ad eorum voluntatem, et imponendi bayliam habeant omnibus et singulis comunibus locorum predictorum et cuilibet ipsorum, et cuilibet singulari persone ipsorum locorum et villarum, Et stent, et stare debeant perpetuo determinationi et difinitioni predictorum duorum, Et quicquid in predictis fininibus difiniendis fecerint, determinaverint ordinaverint et preceperint, valeat et teneat et perpetuo attendatur et observetur, per comune Astense et per comunia villarum supradictarum et quamlibet singularem personam ipsarum villarum, Ac si factum esset vel fieret per comune Astense seu per consilium civitatis Astensis aliquo consilio publico vel privato statuto vel ordinamento facto vel faciendo non obstante, interogatis Rectoribus et credendarijs de ore ad os more solito. Et de predictis fieri faciendis predictis duobus, et Maynfredo de Canonica notario qui sit et esse debeat cum ipsis ad faciendum predicta, teneatur

proxime futurus potestas, dominus Anthonius de Cereta precise et sine tenore vinculo iuramenti aliquo capitulo non obstante.

Et ego Guillelmus de Montroxono imperiali auctoritate notarius predictam reformationem extraxj de libro consiliorum publicorum comunis Astensis, de tempore domini Gualterij de Mangano potestatis Astensis in anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, Indictione quintadecima, et ad maiorem cautelam me subscripsi.

CXXXI. De Vineali.

755. *De donatione comuni Ast facta per Marchiones Ocimiani de castello villa et hominibus Vinealis, Et de datione predictorum in feudum per comune Ast facta dictis Marchionibus, qui una cum hominibus dicti loci iuraverunt ex inde fidelitatem dicto comuni Ast.* 1149. 18 Augusti.

Anno domini Millesimo centesimo quadragesimo nono, quintodecimo kallendas Septembris, Indictione XII[a], Cartam donationis nomine alodij fecerunt Marchiones Ocimiani scilicet dominus Henricus dominus Bernardus fratres et nepotes et dominus Maynfredus de lanerio cum suis nepotibus, Astensibus consulibus et comuni, nominative de Castello et villa vinealis et pertinentijs scilicet cum pascuis et Rivis et ierbis et silvis et aquadis et cum toto illo honore qui pertinet ad predictum castellum tali modo quod liceat Astensibus consulibus et communitati, et domum et robamentum ibi facere fieri si eis placuerit et mittere suas custodias ad morandum quantum eis placuerit, Et si consules per illas horas perexerint debent se ibi hospitari cum decem militibus sine expensa sua, Et cum consules suam terram tributaverint, debent accipere in Vineali libras viginti denariorum Astensium, Et Marchiones Ocimiani refutaverunt fidelitatem domini Maynfredi et omnium hominum quos tenet pro ipsis in Vineali et in pertinenti, Et dominus Maynfredus cum suis nepotibus refutavit similiter, Et si consules in ipsis habere voluerint ipsi non debent vetare supradictum castellum Astensibus consulibus nec communi munitum nec sine munitione ad guerram faciendam, cum eis placuerit, Et cum consules exercitum facere voluerint supradicti Marchiones et dominus Maynfredus et sui nepotes debent venire ut vasalus ad suum seniorem bona fide, et Marchiones Ocimiani iuraverunt fidelitatem Astensibus consulibus et communi de loco Vinealis contra omnes homines, si perdiderint, quod debent ipsum adiuvare ad recuperandum bona fide, Et dominus Maynfredus juravit fidelitatem Marchionibus salva fidelitate Astensium consulum et comunis, Et populus Vinealis iuravit similiter, Et in capite decem annorum, illi qui non fecerunt fidelitatem, debent eam facere si placuerit consulibus, Et consules reddiderunt predictum castellum Marchionibus nomine feudi, Tali modo quod consules et comune debent eos adiuvare ad manutenere totum hoc quod possident in Vineale, Et si perdiderint, debent adiuvare ad recuperandum bona fide, nec debent istud feudum amittere ipsi nec eorum heredes quam diu voluerint tenere salva fidelitate Astensi, sine legali iudicio Astensis curie. Acta in Astensi concione a consulibus nomina quorum hec sunt, Ribaldus curialis, Robaldus iudex, Robaldus Gardinus, Conradus de placia, Henricus pulmo, pepinus de Santoiuliano. Testes petrus Rodulfus,

Henricus Judex, Valfredus Ottinj, Robaldus Calcaneus, Bonusiohannes de Andona, Berrardus Scarampus, Guillelmus Colorius, Ottolinus Gastus, Ottolinus Grignola, Opizo Vola, Maynfredus Rastellus, Secundus Romipeta et alij quam plures inde sunt testes.

Et ego Ego Guillelmus Astensis causidicus interfui et scripsi.

Et Gandulfus Sacri pallatij notarius autenticum huius legit et vidit, et sicut in eo continebatur, sic in isto exemplavit et scripsit, nichil addens vel minuens preter punctum vel litteram vel silabam partium significatione retenta.

756. *De quodam godimento quod Maynfredus de lanerio et nepotes habuerant in Vineali eis restituto per comune Ast, et de certis alijs promissionibus inter eos simul factis.* 1152. 8 Septembris.

Anno domini Millesimo centesimo quinquegesimo secundo, sexto Idus Septembris, Indictione quintadecima, Astenses consules, Conradus de platea, Robaldus Gardinus, Gandulfus Durnasus, Maynfredus Rastellus, Merlo et Guillelmus Culusaureus, reddiderunt Maynfredo de lanerio et suis nepotibus illud gaudimentum, quod ipsi habebant in vineali, quando ab hominibus de Aste se discordaverunt, cum fructibus qui nunc sunt ibi, et Maynfredus et Henriotus et Conradus confirmaverunt donum de castello Vinealis Astensi communi ut prius factum fuerit, et cartam laudaverunt, Et insuper iuraverunt quod non appellabunt Astense commune de Castelania Venialis contra voluntatem predicti comunis in aliquo tempore. Quod si Astenses consules a Maynfredo vel a suis nepotibus per potestatem vel guerram quam ipsi hominibus Aste fecissent de predicta castellania fuerint appellati, Maynfredus et nepotes debent amittere totum jus, quod habent in Vineale, nec Astenses debent detineri in aliquo erga eos stare in villa vinealis, nec alienare godimentum absque voluntate Astensium debent, Si vero qui absens est, hoc idem facere noluerit Maynfredus Henriotus et Conradus debent ei nocere omnibus modis quoadusque donum faciat et sacramentum. Insuper Ansaldus de Calamandrana et Guillelmus de lanerio et Jacobus iuraverunt si Maynfredus vel sui nepotes ab hominibus de Aste se discordaverint, et quod eos non adiuvaverint, sed potius eis nocebunt, Et consules per unum missum iuraverunt cum duobus hominibus per portam adiuvare manutenere Maynfredo et suis nepotibus hoc, unde sunt saxiti et Investiti. Ipse vero Maynfredus et Henriotus et Conradus iuraverunt Astensi comuni quod tenet et possidet. Actum in Astensi concione, Testes Obertus Gardinus, Robaldus Judex, Cunibertus de Quadraginta, Careoz, Petrus Celoria, Rolandus Caliada, Gandulfus Carena, Bertholomeus Judex, Otto Judex, Obertus Belbel, Paganus Medicus, Obertus laurencius, Aytor Antonius, Baldeconus Recalcatus et alij quam plures.

757. *De comuni et hominibus Vinealis effectis civibus Ast cum multis pactis et conventionibus.* 1290. 20 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo Indictione tercia die dominico vigesimo Augusti. Actum est super voltis de Sancto. Testes Manuel Bovetus, Jacobus Besustus, Borinus Brunus, Bucheta nuncius comunis Astensis, presentia quorum dominus Bertramus de Carchano Rector et gubernator civitatis Astensis voluntate consilio et consensu Rectorum militum et credendariorum prime et secunde credentie sono

campanarum et voce preconia more solito congregatorum super voltis de sancto, et ipsi Rectores et credendarij sufficienti numero constituti, interogati de ore ad os more solito nomine et vice comunis Astensis et pro ipso comuni ex una parte, et pastronus Baliandrus et Bertramus Cornalia, et Girardus de petra de Vignalj sindici et procuratores comunis et hominum Vignalis nomine et vice ipsius communis et hominum et pro ipso comuni ex altera, Infrascripta pacta et conventiones stipulatione firmata ad invicem contraxerunt. In primis enim assumpserunt et receperunt Pastronum Baliandrum, Bertramum Cornaliam et Girardum de petra, de Vignali predictos, sindicos et procuratores comunis et hominum Vignalis nomine ipsius comunis et hominum, et pro ipso comuni et hominibus, et per ipsos, homines Vignalis pro se et heredibus suis in cives civitatis Astensis, ut ipsi homines Vignalis et de posse et districtu eiusdem, qui nunc sunt seu per tempora fuerint seu ad habitandum ibi venerint, Exceptis civibus civitatis Astensis, et qui sunt soliti esse cives civitatis Astensis, sint cives et esse debeant teneantur et habeantur in perpetuum cives et pro civibus civitatis Astensis, et se se cives constituerunt civitatis predicte, gaudentes et habentes omnia privillegia, beneficia, honores et immunitates et omnia in eorum utilitate que habent seu habebunt gaudebunt et utentur cives origene civitatis Astensis. Item convenerunt pacti et adinvicem stipulati sunt inter sese tam ex parte comunis Astensis, quam ex parte dicti comunis Vignalis et nomine et vice ipsius comunis et hominum posse et districtus et qui per tempora illuc venerint, quod ipsi homines de Vignalj posse et districtu in perpetuum sint liberi et immunes ab omni fodro presto collecta impositione exactione et ab omni salario potestarie et duplicis protestarie, et ab omnibus Rosijs Caregijs et omni constructione et refectione pontium et villarum et ab omni impositione ductionis vinj et grani seu alicuius blave, vel alicuius alterius rei, Ita etiam quod granum blava seu vinum, non inquiratur eis seu alicui eorum, nec illud ostendere seu manifestare teneantur alicui persone vel comuni, nec ea vel aliquod eorum ducere vel duci facere seu vendere contra eorum voluntatem, et ab omnibus exactionibus et compulsionibus, que dici vel excogitari possint, Salvo quod aliquod genus blave vel victualis non possint ducere vel duci facere in terram inimicorum comunis Astensis. Item actum factum pactum et stipulatione firmatum est inter partes supradictas quod homines Vignalis et de posse et districtu qui nunc sunt et per tempora fuerint teneantur et debeant facere pro comuni Astensi pacem et guerram contra omnes personas, et ipsi comuni Astensi et singularibus personis dare succursum et reductum in loco et districtu Vignalis bona fide et sine fraude, contra omnes personas et contra omnia communia, et custodire et salvare et manutenere locum Vignalis et posse ad onorem et utilitatem comunis Astensis et ipsius loci Vignalis et contra omnes ut supra, et tenere et habere pro amicis omnes amicos communis Astensis, et pro eorum inimicis omnes et singulos qui erunt inimici communis Astensis, Et quandocumque comune Astense faceret exercitum generaliter pro comuni, dabunt homines Vignalis comuni Astensi, si inde pro comuni fuerint requisiti Centum clientes per quindecim dies tantum ad expensas comunis Vignalis, Et si comune Astense in illo exercitu ultra quindecim dies ipsos clientes retinere vellet, possit eos habere ad expensas comunis Astensis, aliter vero ipsos compellere non possit, nisi ad expensas comunis Astensis, Et ulterius non teneantur ratione exercitus seu cavalcate alicuius seu andate

vel alia occasione homines seu comune Vignalis, et occasione alicuius guerre seu discordie vel aliqua alia occasione comune seu homines Vignalis non teneantur nec possint compelli tenere seu habere aliquam militiam seu militias vel solvere aliquid pro militijs seu equacione miliciarum vel ipsarum occasione aliqua vel ratione vel modo. Item actum statutum firmatum et ordinatum est inter ipsos quod omnes homines de Vignalj et de posse et qui per tempora fuerint seu ibi ad habitandum venerint, Exceptis civibus et qui consueti sunt esse cives civitatis Astensis possint et debeant iuri parere in omni causa et questione tam civilj quam criminalj in loco Vignalis sub eorum consulibus vel potestate et non alibi seu alio loco possint convenirj vel exigi in personis vel rebus, Salvo quod si aliqua cognitio fiet in dicto loco per aliquem iudicem, quod non possit fieri per aliquem, qui non sit de amicis comunis Astensis. Item actum firmatum et ordinatum est quod homines Vignalis et qui per tempora fuerint, habeant teneant faciant, construant ad eorum liberam voluntatem in Vignali mercatum et mercata et nundinas ad modum consuetum seu qualitercumque et quomodocumque eis placuerit, Et quod ipsum comune et homines Vignalis habeant et habere debeant in Vignalj et posse omnes curayas consuetas et pedagia consueta, seu que Ibi vel in posse consueverunt capi exigi, colligi, ita quod nullus alius pro comuni vel diviso habeat vel habere possit in Vignali vel posse aliquam curayam vel predagium vel aliam exactionem preter dictum comune et homines Vignalis, Et que pedagia et curayas ipsi homines Vignalis imponant et construant ad eorum voluntatem, Eo salvo et excepto quod homines de Ast et de posse Astensi in loco vel posse Vignalis pedagia vel curayas solvere non teneantur. Item Actum et firmatum est, quod comune et homines Vignalis possint ad eorum liberam voluntatem facere inter se et eorum factis, dummodo non veniant contra formam istarum pactionum vel in preiudicium comunis Astensis, statuta, decreta, et ordinamenta, ita, quod omnia maleficia et delicta in dicto loco vel posse commissa puniantur per eorum consules vel potestatem undecumque sint qui maleficium seu maleficia commisissent, tractassent vel fecissent, Et facere statuta, decreta seu ordinamenta tam super facto ludj, quam super damnis seu guastis, que darentur seu fierent super civilibus questionibus sive causis generaliter et singulariter in omnibus et singulis negocijs factis et rebus ad eorum liberam voluntatem, non obstante aliquo instrumento statuto vel ordinamento facto, vel quod fieri posset, et aliquo alio non obstante, quod dici vel excogitari posset, Salvo eo, quod si aliquis civis civitatis vel burgorum coherentium civitati Astensi, committeret in dicto loco vel posse aliquod maleficium, quod vindictam sanguinis exigeret secundum formam capitulorum ipsius, quod facta inquisitione per potestatem vel consules Vignalis ante sententiam requiratur potestas Astensis per ipsum potestatem vel consules Vignalis quod vadat vel mittat ad dictum locum pro ferrenda sentencia super inquisitione facta occaxione dicti maleficij et pro ipsa sentencia exequenda, Et si infra quindecim dies non iverit vel miserit ac sentenciam protulerit secundum formam capitulorum Vignalis et executus fuerit potestas Astensis, Ex tunc potestas Vignalis seu consules possint super dicta iuquisitione proferre sentenciam et ipsam exequi secundum formam capitulorum dicti loci. Item quod omnes et singuli habentes et qui decetero habebunt terras et possessiones seu res aliquas in posse seu districtu Vignalis undecunque sint illi habentes, teneantur et debeant de

ipsis possessionibus et rebus solvere in loco Vignalis, fodra, presta, collectas impositiones compulsiones et omnia de hjs et pro hjs facere ad modum et formam aliorum hominum Vignalis et de loco Vignalis, Salvo quod si quis civis civitatis et burgorum coherentium civitati Astensi deberet recipere debitum vel debita, quod de ipso vel ipsis non teneatur solvere, dummodo non habeat possessiones in dicto loco, Si vero ibi habuerit possessiones et debita, solvat de ipsis possessionibus et debitis. Item quod si comune Astense seu alius pro ipso comuni voluerit custodire reficere vel reforzare vel claudere claustrum seu villam Vignalis veterem muratam, illud faciat et facere debeat et teneatur ad expensas comunis Astensis. Ita quod homines Vignalis pro comuni seu pro diviso in hjs aliquos sumptus minime facere teneantur. Item quod castrum Vignalis seu castellanus vel castellani dicti castri pro ipso castro seu eius occasione vel aliqua alia occasione ratione vel modo non habeat seu habere possit aliquod dominium seu Jurisdictionem aliquam in villa Vignalis vel hominibus ipsius loci, iurisdictionis vel posse. Item quod omnes possessiones terre et res omnes mobiles et Immobiles et iura omnia que fuerunt erant vel sunt domini Marchionis Montisferrati seu castellani dicti castri in Vignali vel posse sint ex nunc pleno iure et esse debeant comunis et hominum Vignalis, et de hjs libere et quiete et in hjs faciant quicquid voluerint et eis placuerit ad eorum liberam voluntatem, non obstante alicuius vel aliquorum contradictione, excepto castro Vignalis et territorio quod erat in eo. Item quod potestas Astensis et omnes Rectores et omnis Rector seu preses communis Astensis quocumque nomine censeatur et comune ipsius civitatis, Et tam rectores militum sancti Secundi quam omnes alij consiliarij civitatis Astensis faciant et curent et facere teneantur omnino sine aliquo tenore sic quod omnes homines de Aste seu posse habentes aliquam discordiam malivolenciam seu rancorem in aliquem seu aliquos seu versus vel contra aliquem vel aliquos homines Vignalis inde et pro inde eis et cuilibet ipsorum faciant et facere debeant bonam pacem et concordiam, de qua pace et concordia appareat publicum instrumentum, Et ad cautelam teneantur et debeant dictam pacem et concordiam fieri facere per omnes et singulos de quibus fuerint requisiti nomine illorum de Vignalj. Item aliquis homo seu aliqui homines de Vignalj vel posse, non possint capi saxiri detineri in rebus vel personis vel pro obsidibus vel alio modo pro comuni Ast seu alio pro comuni, seu etiam pro diviso aliqua occasione vel modo, Et hoc intelligatur finita presenti guerra. Item quod per presentem guerram comune Astense possit obsides tenere de Vignalj, quos ei videbitur expedire pro securitate castri et ville Vignalis, Finita vero seu sopita presenti guerra, nullos capere detinere seu saxire vel saxiri seu impediri facere possit nisi esset de voluntate et consensu consilij seu maioris partis consilij Vignalis, Et eos tantum de quibus dictum consilium Vignalis vel maior pars esset in concordia, Et tunc essent et starent et detinerentur et esse et detineri debeant ad expensas communis Astensis. Item illi obsides seu obstagij de Vignali qui nunc sunt seu detinentur in civitate Astensi, sint et esse debeant et intelligantur fuisse et stetisse et etiam in futurum stare dum stabunt in obstagijs in civitate Astensi ad expensas ipsius comunis Astensis ita quod de comuni et de avere comunis Astensis, ipse expense solvantur et fiant, tam presentes quam future, Salvo eo quod si aliquis esset infamatus vel inculpatus quod tractaret aliquid propter quod comune Astense perderet dictum locum, vel aliquam terram comunis Astensis seu comune Astense

damnum malum seu detrimentum, quod tunc potestas Astensis seu comunis Astensis possit inquirere et cognoscere de ipso crimine, et ipsum capere ducere et punire prout deberet de iure. Item quod comune Astense teneatur et debeat in perpetuum tenere et habere castrum villam et posse Vignalis sine aliqua diminutione seu detractione, ita quod ipsum castrum homines vel aliquis ipsorum, Villa vel posse Vignalis, sive aliquid quod sit de iurisdictione vel posse Vignalis seu pertinencijs ipsius per comune Astense vel alium pro comuni vel nomine communis non possit vendi, obligari permutari vel aliquo modo alienari seu diminui nec in commenda seu deposito concedi vel dari, quin semper et in perpetuum remaneat et sit comunis Astensis, et in custodia et libertate communis Astensis, Et quod commune Astense aliqua ratione occasione vel modo non faciat vel facere possit pacem vel treuguam, possam aliquam vel guerram recredutam cum domino Marchione Montisferrati seu alio pro eo vel eius occasione sine consensu et voluntate comunis et hominum Vignalis, Et predicta omnia et singula iurent ad sancta dei evangelia omnes potestates tam presentes quam qui pro tempore fuerint in civitate Astensi, et quilibet rector preses et rectores et presides tam comunis, quam populi et rectores societatum, et omnes rectores et presides, qui pro tempore fuerint in civitate Astensi et omnes consiliarij sive crēdendarij comunis Astensis, tam prime quam secunde credentie eorum nominibus et nomine et vice comunis Astensis ita quod quilibet rectores sive presides communis Astensis quocunque nomine nuncupentur teneantur et debeant vinculo sacramenti predicta omnia et singula iurare, et iurari facere anuatim et in perpetuum ea attendere et observare et non contrafacere vel venire, et non pati quod contrafactum sit vel fiat vel ventum sit, Salvo quod propter hoc capitulum, aliquod ius non sit acquisitum communi Astensi in aliquibus domibus vel sediminibus vel possessionibus alicuius hominis Vignalis. Item quod omnes terre possessiones res omnes et iura, ablate seu ablata, seu quocunque modo extorte per dominum Marchionem vel eius castellanos vel castellanum seu per aliquos nuncios vel nuncium ipsius alicui vel aliquibus de Vignalj seu de posse, sint remaneant et esse debeant pleno iure ipsorum et cuiuslibet ipsorum, cuius et quorum ante fuerant, ita quod de hjs et in hjs et ex ipsis et qualibet earum libere et quiete facere possint voluntatem suam. Item quod si homines Vignalis vel aliqui ipsorum essent deguastati aliquo tempore per dominum Marchionem seu eius occasione vel per homines suos occasione presentis vel alterius guerre seu discordie, quod comune Astense ipsum guastum et damnum teneatur et debeat emendare et resarcire integraliter illi vel illis, qui ipsum damnum vel guastum passi fuerint seu passus fuerit, secundum quod illud damnum vel guastum fuerit iuste extimatum per extimatores communis Vignalis, Et debeat fieri ipsa emenda seu restitutio per comune Astense et de avere communis Astensis infra tres menses postquam guastum fuerit seu damnum datum. Eodem modo teneatur et debeat comune Astense emendare restituere et resarcire totum damnum quod sustineret seu pateretur vel fieret aliquibus hominibus de Vignalj vel posse, eoque occasione presentis guerre seu alicuius que per tempora esset vel essent, seu occasione alicuius discordie communis Astensis seu occasione comunis Astensis non possent laborare seu colere et godire suas terras et possessiones aliquas quas haberent vel haberet in Vignali vel posse. Item quod commune Astense teneatur et debeat se taliter concordare cum illis de pelletis de illis

et pro illis debitis, que dominus Marchio Montisferrati eis seu alicui eorum dare deberet seu debet, et pro quibus debitis castrum seu res Vignalis vel de posse seu aliquis vel aliqui de vignali fuissent vel essent specialiter obligati in personis vel rebus seu alio modo teneantur, quod comune et homines Vignalis de predictis et occasione predictorum sint liberi et Immunes ipsi et eorum res, ita quod de predictis et quolibet predictorum, et versus illos de pelletis et quemlibet ipsorum conserventur indemnes, Et comune ita faciat et curet, quod ipsi de Vignalj et quilibet ipsorum et eorum res et bona indemnes et indemnia serventur manuteneantur habeantur et sint ab ipsis et a quolibet ipsorum et eorum et cuiuslibet ipsorum occasione qualicumque et modo. Item quod dominus Capitaneus populi, et omnes Rectores quatuor societatum et ipsi de ipsis Societatibus recipiant et recipere debeant in eorum societatibus omnes homines Vignalis, qui in ipsis societatibus intrare et de ipsis esse voluerint vel in alijs societatibus civitatis Astensis, que sunt vel fient vel renovarentur seu de novo fierent de populo seu popularibus, et eos tenere et habere et tractare, manutenere et defendere sicut alios de ipsis societatibus et tanquam homines quatuor Societatum etiam habitantium in civitate vel burgis civitatis. Et quod predicta fiant teneantur facere et curare potestas Astensis et dominus Capitaneus et omnes et singuli regimen habentes seu administrationem seu presidatum aliquem in civitate Astensi, Eo salvo quod si fama esset de aliquo seu aliquibus in Vignali, quod non esset amicus seu non essent amici comunis Astensis, seu de hoc essent infamati, quod hj non recipiantur nec recipi possint in dictis societatibus. Item quod quilibet homo de Vignali et posse, possit venire si ei placuerit habitare in Ast et in posse Astensi ubicumque voluerit ad suam voluntatem, ita quod non teneatur solvere aliquod fodrum prestum seu collectam aliquam vel aliquod scufium facere, nec ei possit fieri aliqua impositio vel exactio pro comuni, nisi ad rationem librarum duarum de mobili, Eo salvo quod de terris et possessionibus, que et quas acquirent in posse Astensi, teneantur ad modum aliorum civium. Item quod si aliqui ambaxiatores vel sindici pro negocijs communis Vignalis venirent ad civitatem Astensem, potestas et Rectores et credendarij communis Astensis teneantur eos expedire et expediri facere de facto seu negocio, pro quo venissent seu venisset occasione communis Vignalis quam citius poterit post adventum ipsius sindici seu ipsorum sindicorum ambaxiatoris seu ambaxiatorum. Item quod comune et homines de Ast et de virtute Astensi pro sese et eorum posse teneantur et debeant defendere manutenere iuvare et tueri omnes homines de Vignali et posse et qui pro tempore fuerint in personis et rebus contra omnem personam et personas communia et universitates et eorum iura ubicumque manutenere defendere et tueri. Item quod si comune et homines Vignalis elegerint vel eligere voluerint potestatem consules, rectorem gubernatorem vel presides quocumque nomine censeantur vel censeatur vel censeri possint aliunde quam de loco Vignalis et de hominibus Vignalis, teneantur et debeant in perpetuum et sempercunque elegerint, eligere et habere de civitate Astensi aut de burgis coherentibus civitati et non aliunde seu de alia terra vel loco. Item quod potestas et consules Vignalis teneantur reddere Jus omnibus civibus civitatis Astensis et burgorum coherentium civitati modo et forma, quo et qua redderetur hominibus Vignalis in Vignalj in omnibus questionibus civilibus et criminalibus, ita quod in iure consequendo sint paris condictionis dicti cives civitatis et burgorum cum hominibus Vignalis. Et non

possit aliquis ex predictis civibus aliqua iura acquirere contra aliquem de Vignali nisi voluntate illorum, contra quos ipsa iura acquireret, Et si acquisiverit non valeat acquisitio ipso iure. Item teneantur comune et homines Vignalis tenere et habere bannitos comunis Astensis pro bannitis comunis Vignalis et de Vignali ut comune Astense ipsos tenebit bannitos communis Astensis et de communi Astensi. Que omnia et singula supradicta dicte partes eorum et predictis nominibus solemnibus stipulationibus intervenientibus attendere et observare attendi et observari facere et rata et firma habere nominibus quibus supra ad invicem promiserunt sub pena restitutionis damnorum expensarum et interesse, quas et que aliqua partium faceret sustineret vel incurreret pro inde, quas pars non observans parti observanti dare restituere atque solvere promisit, Tali modo quod omnes potestates rectores et gubernatores civitatis Astensis pro una parte, et potestas et rectores communis et hominum Vignalis pro alia parte teneantur, et debeant predicta omnia et singula attendere et observare et non contravenire, De quibus et super quibus omnibus et singulis attendendis et observandis fiant et fieri debeant specialia capitula, que ponantur in libro statutorum communis Astensis, et in libro Baronie militum et libro quatuor societatum et sancti Secundi, que Rectores et omnes de Ast et de ipsis societatibus attendere teneantur, Et que de ipsis libris amoveri canzellari non possint, Et etiam in libro et libris statutorum et ordinamentorum comunis Vignalis, Ad quorum observanciam homines de Vignali et rectores potestates et consules et presidentes quicunque comunis Vignalis teneantur expresse, ita quod de ipsis libris statutis vel ordinamentis aliquo tempore removeri non possint, Nec etiam possint fieri ab aliqua predictarum partium statuta vel ordinamenta aut consilia publica vel privata, que predictis vel alicui predictorum derogarent, Et si fierent pro non factis habeantur, ita quod omnia et singula supradicta in sua firmitate permaneant, et presens instrumentum vim et robur capituli et capitulorum semper obtineat et tanquam capitulum speciale per omnes et singulos supradictos debeat observari, non obstante capitulo quod loquitur, nisi quis recipiatur in civem, nisi solverit de toto suo, et capitulo quo cavetur, quod ville communis pareant iuri coram potestate Astensi, et non obstante capitulo quod imponit formam de dando avere comunis Astensis, et non obstantibus capitulis, quibus malefactoribus seu delinquentibus pene imponuntur et non obstantibus aliquibus alijs capitulis vel consilijs publicis vel privatis factis vel faciendis, que in quantum essent predictis contraria, cassaverunt ex certa scientia, et cassa esse penitus voluerunt, pro quibus omnibus et singulis attendendis et observandis et firmis tenendis predicti sindici et procuratores nomine et vice comunis Vignalis et pro ipso comuni et hominibus Vignalis omnia bona et res ipsius comunis et hominum Vignalis eisdem domino Bertramo Rectori et administratori comunis Astensis et Rectoribus et credendarijs et michi notario infrascripto recipientibus nomine communis Astensis et omnium et singulornm quorum intererit pignori obligaverunt. Et versa vice dicti rector gubernator et populi capitaneus, rectores et credendarij omnia bona communis Astensis, que salvo sacramento potestatis, possunt pignori obligari, predictis sindicis et procuratoribus recipientibus nomine dicti comunis et hominum Vignalis pignori obligaverunt, Renuncian'es dicte partes sibi ad invicem stipulantes nomine quo supra exceptioni doli et in factum condictioni sine causa et ex iniusta causa, et omni alij

exceptioni defensioni et juri. Et predicta omnia Arnaldus de Solayrolio sindicus constitutus communis Astensis in pleno consilio nomine comunis Astensis et in animas Rectorum et credendariorum comunis Astensis iuravit ad sancta dei evangelia attendere et observare, Et quod per ipsos in eorum Animabus bona fide observabuntur. Et inde dicte partes michi notario preceperunt fieri unum instrumentum et plura, pro qualibet partium predictarum.

Et ego Jacobus Malbechus notarius pallatinus interfui et sic scripsi hoc instrumentum pro dicto communi Astensi.

758. *De iuribus comuni Ast titulo venditionis cessis contra Marchionem Montisferrati per dominos Maynfredum fratres et filios quondam domini Raymondi pellete de duabus partibus unius debiti medietatis librarum VII^c Januensium, pro quo debito Castrum Vignalis erat eis et participibus dicti crediti specialiter obligatum.* 1291. 2 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimoprimo, Indictione quarta die veneris secundo mensis Marcij. Actum Ast in domo illorum de Sulbrico, in qua moratur dominus Henricus de Tangatinis potestas Astensis, Testes interfuerunt dominus philippus Scarampus, Sicardus Scarampus et Vivaldus Gandulfus, quorum presentia dominus Maynfredus pelleta filius quondam domini Raymondi pellete et heres ipsius pro tercia parte, et Obertus pelleta filius dicti domini Raymondi quondam et heres eius pro tercia parte dederunt cesserunt atque mandaverunt michi Guillelmo de Gregorio notario et scribe dicti domini potestatis Astensis recipienti nomine et vice ipsius communis, quilibet pro partibus sibi pertinentibus transferentes omnia iura omnesque actiones et rationes reales et personales utiles et directas eis pertinentes pro hereditate et successione quondam dicti domini Raymondi, in me dictum Guillelmum notarium recipientem dicto modo et nomine de uno credito medietatis librarum Septemcentum Januensium, quos denarios dominus Bonefacius Marchio quondam Montisferrati dare et solvere tenebatur dicto domino Raymondo et domino Bayamondo eius fratri ex mutuo, Et pro quo mutuo castrum Vignalis fuerat, per dictum dominum Bonefacium Marchionem specialiter pignori obligatum, predictis dominis Raymondo et Bayamondo fratribus de pelletis, ut hec omnia plenius continentur in quodam instrumento scripto per Mussum Boviculum notarium anno domini M°CC°XL° tercio, Indictione prima die dominico octavo kallendas Marcij, ita quod dictum comune Astense valeat et possit agere petere causari, experiri et uti dicto pignore et expedire contra heredes dicti quondam domini Bonefacij Marchionis Montisferrati et contra eius bona et contra tenentes et possidentes de suis bonis, et contra omnes et singulos obligatos ad predictum debitum persolvendum et heredes eorum, de quibus fit mencio in dicto instrumento et in quodam alio instrumento scripto per Guillelmum de Quadraginta notarium anno domini M°CC°XXX°septimo, Indictione decima die martis decimo intrantis novembris. Et promiserunt stipulatione michi iandicto notario dicto modo et nomine recipienti predicti domini Maynfredus et Robertus de pelletis omnia suprascripta et infrascripta habere et tenere perpetuo firma et rata et non contravenire de iure vel de facto suo obligatione omnium bonorum suorum sub stipulatione premissa, et sub pena omnis damni et expensarum intervenientium dicto communi

Astensi, Renunciantes omni iuri quo se tueri possent, et quod decetero non petent nec inquietabunt ipsum comune Astense occasione predicti debiti nec occasione pactorum et promissionum factorum et factarum inter comune Astense ex una parte, et certos homines de Vignali ex altera, Et similiter quod nunquam impedient nec molestabunt nec per placitum faticabunt aliquos de Vignali, pro quibus promisisset comune Astense de conservando eos indemnes ab illis de pelletis, occasione predicti debiti et pignoris. Hoc autem fecerunt predicti dominus Maynfredus et Robertus de pelletis pro eo, quod in eo momento et in ea hora qua cesserunt et mandaverunt predicta iura et actiones ut supra scripti fuerunt inter creditores comunis Astensis in libris ipsius communis Astensis per factores rationis comunis Astensis ad hoc deputatos tanquam creditores comunis Astensis, In totidem summa denariorum, Et confessi fuerunt sese fore satisfactos ad eorum voluntatem occasione dicti debiti, et pignoris.

Et ego Bertholinus Bertolotus notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guillelmum de Gregorio notarium iussu et voluntate ipsius extraxj de suo abreviario et me subscripsi.

759. *De simili cessione dicto comuni facta de tercia parte dicti debiti medietatis predicte, per dominam Sichetam filiam quondam et heredem pro tercia parte dicti quondam domini Raymondi pellete.* 1291. 2 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo primo Indictione quarta die veneris secundo mensis Marcij, Actum Ast in domo Opizonis Asinarij, Testes interfuerunt Guillelmus Capinus cui dicitur benna, et Franciscus Asinarius filius quondam Mellani Asinarij quorum presentia domina Sicheta filia quondam dicti domini Raymondi pellete et eius heres pro tercia parte, dedit cessit atque mandavit michi Guillelmo de Gregorio notario et scribe domini potestatis Astensis recipienti nomine et vice communis Astensis pro parte sibi pertinente de predicta tercia parte, transferendo omnia iura omnesque rationes et actiones, reales, personales, utiles et directas, ei pertinentes pro hereditate et successione quondam dicti domini Raymondi in me dictum Guillelmum notarium recipientem dicto modo et nomine de uno credito librarum Septemcentum Januensium, Quos denarios dominus Bonefacius Marchio Montisferrati dare tenebatur dicto domino Raymondo et domino Bayamondo eius fratri ex mutuo, et pro quo mutuo castrum Vignalis fuerat per dictum dominum Bonefacium Marchionem specialiter obligatum predictis dominis Raymondo et Bayamondo fratribus de pelletis, ut hec omnia plenius continentur in quodam instrumento scripto per Mussum Boviculum notarium Anno domini M°CC°XL°tercio Indictione prima die dominico octavo kallendas Marcij, Ita quod dictum comune Astense valeat et possit agere et petere causari experiri et uti dicto pignore libere et expedite contra heredes quondam dicti domini Bonefacij Marchionis Montisferrati et contra eius bona et contra tenentes et possidentes de suis bonis et contra omnes et singulos obligatos ad predictum debitum persolvendum et heredes eorum, de quibus fit mencio in dicto instrumento, et in quodam alio instrumento scripto per Guillelmum de Quadraginta notarium anno domini M°CC°XXX° septimo Indictione decima die martis decimo intrantis novembris. Et promisit stipulatione michi iandicto notario dicto modo et

nomine recipienti predicta domina Sicheta omnia suprascripta et infrascripta habere et tenere firma et rata et non contravenire, de iure nec de facto sub obligatione omnium bonorum suorum sub stipulatione premissa, sub pena omnis damni et dispendij incurrentium dicto comuni Astensi, Renuncians omni iuri quo se tueri posset, Et quod decetero non petet nec inquietabit ipsum comune Astense occasione predicti debiti nec occasione pactorum et promissionum factorum et factarum inter comune Astense ex una parte et certos homines de Vignali ex altera. Et similiter quod nunquam impediet nec molestabit, nec per placitum faticabit aliquos de Vignali, pro quibus promisisset de conservando eos indemnes ab illis de pelletis occasione predicti debiti et pignoris. Hoc autem fecit dicta domina Sicheta pro eo quod in eo momento et in ea hora qua cessit et mandavit predicta iura et actiones ut supra, scriptus fuit Oppecinus Asinarius maritus eius inter creditores communis Astensis in libris ipsius comunis per factores rationis comunis Astensis ad hoc deputatos tanquam creditor comunis Astensis in totidem summa denariorum Astensium, Et fuit confessa se fore satisfactam ad suam voluntatem occasione predicti debiti et pignoris.

Et ego Bertholinus Bertholotus notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guillelmum de Gregorio notarium voluntate et precepto ipsius extraxi de suo abreviario et me subscripsi.

760. *De simili cessione dicto comuni facta contra dictum Marchionem per filios et nepotem quondam domini Bayamondi pellete de tribus partibus alterius medietatis dicti debiti librarum VII.c Januensium.* 1291. 2 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo primo Indictione quarta die veneris secundo mensis Marcij, Actum Ast in domo illorum de Sulberico in qua moratur dominus Henricus de Tangatinis potestas Astensis, Testes interfuerunt dominus philippus Scarampus et Vivaldus Gandulfus et Sicardus Scarampus, quorum presentia dominus Manuel pelleta filius et heres quondam domini Bayamondj pellete pro quarta parte, Fredericus pelleta filius quondam dicti domini Bayamondi et eius heres pro quarta parte et Carrandus pelleta filius quondam Albertinj pellete quondam filij Rufinj pellete qui Rufinus fuit heres quondam domini Bayamondi pellete pro quarta parte dederunt cesserunt atque mandaverunt michi Guillelmo de Gregorio notario et scribe domini potestatis Astensis recipienti nomine et vice comunis Astensis et quilibet pro predictis partibus sibi pertinentibus omnia iura omnesque rationes et actiones reales et personales utiles et directas eis pertinentes pro hereditate et successione quondam dicti domini Bayamondj de uno credito medietatis Septemcentum librarum Januensium, quos denarios dominus Bonefacius Marchio quondam Montisferrati dare et solvere tenebatur dicto domino Bayamondo et domino Raymondo fratribus ex mutuo, Et pro quo credito obligatum fuerat castrum Vignalis specialiter pignori per dictum dominum Bonefacium Marchionem predictis dominis Bayamondo et Raymondo fratribus de pelletis, ut plenius continetur in instrumento quodam scripto per Mussum Boviculum notarium Anno domini M°CC°XL. tercio Indictione prima die dominico octavo kallendas Martij, ita quod dictum comune Astense valeat et possit agere petere causari, experiri et uti dicto pignore libere et expedite contra heredes quondam dicti domini Bonefacij Marchionis Montisferrati et contra eius bona et contra

tenentes et possidentes de suis bonis, et contra omnes et singulos obligatos ad predictum debitum persolvendum et heredes eorum, de quibus fit mencio in dicto instrumento, et in quodam alio instrumento scripto per Guillelmum de Quadraginta notarium anno domini M°CC°XXX°VII.° Indictione decima, die martis decimo intrantis novembris, et promiserunt stipulatione michi iandicto notario dicto modo et nomine predicti omnes et singuli omnia suprascripta et infrascripta habere et tenere perpetuo firma et rata, et non contravenire de iure vel de facto sub obligatione omnium bonorum suorum sub stipulatione premissa, et sub pena omnis damni et dispendij incurrentium dicto comuni Astensi, Renunciando omni iuri quo se tueri possent, Et quod decetero non petent nec inquietabunt ipsum commune Astense occasione predicti debiti, nec occasione pactorum et promissionum factorum et factarum inter comune Astense ex una parte et certos homines de Vignalj ex altera, Et similiter quod nunquam impedient, vel molestabunt nec per placitum faticabunt aliquos de Vignali pro quibus promisit comune Astense de conservando eos indemnes ab illis de pelletis occasione predicti debiti et pignoris hoc autem intellecto, quod intelligantur esse iura cessa per predictos dicto communi Astensi in Trecentis libris Astensibus et non ultra, videlicet in libris Centum Astensibus pro quolibet capite ipsorum heredum quia pronunciatum fuit de consilio collegij iudicum civitatis Astensis per dominum Stephanum de Ognatis iudicem et vicarium domini potestatis Astensis, et scriptum per me Guillelmum de Gregorio notarium anno domini M°CCLXXXXI°. Indictione quarta, die iovis primo Marcij, quod predicti heredes et pelleta de pelletis, filius quondam dicti domini Bayamondj deberent esse taciti et contenti de libris quadringintis Astensibus, pro medietate dictarum librarum Septemcentum Januensium In una parte et pro centumtrigintatribus libris solidis quatuor Januensibus. Quos denarios dictus dominus Bonefacius Marchio Montisferrati dare et solvere promisit dicto domino Bayamondo ex mutuo tantum, Et pro quibus Centumtrigintatribus libris solidis quatuor Januensibus, dictus Marchio dictum castrum Vignalis pignori obligavit dicto domino Bayamondo, ut plenius continetur in quodam alio instrumento scripto per Iantelmum notarium anno domini MCC°XLIIII°. Indictione secunda die mercurij secundo mensis Aprilis, Cum appareat conventum fuisse inter dominum Guillelmum Marchionem Montisferrati ex una parte et dictos dominos Manuelem et Fredericum fratres et filios quondam dicti domini Bayamondj et Albertinum pelletam eorum nepotem presentes suo nomine et nomine et vice pellete de pelletis absentis fratris predictorum dominorum Manuelis et Frederici ex altera, quod idem dominus Guillelmus Marchio dare et solvere deberet predictis de pelletis libras Quadrigintas Astenses usque ad certum terminum, et quod ipsi de pelletis tempore solutionis restituere tenerentur dicto domino Marchionj omnia instrumenta, et omnes contractus mutui predictorum olim factorum inter bone memorie dominum Bonefacium Marchionem Montisferrati patrem quondam dicti domini Guillelmi Marchionis Montisferrati et dictum dominum Bayamondum pelletam quondam, ut hec omnia plenius continentur in quodam instrumento scripto per Maynfredum de canonica notarium Anno domini MCCLXXXV.° Indictione terciadecima die sabbati decimo mensis Februarij, salvo eo quod dictum pactum sive conventio facta per predictos de pelletis cum dicto domino Marchione non preiudicaret nec preiudicare posset dicto pellete de pelletis, quantum est pro quarta parte

sibi pertinente, si ipse pelleta noluerit habere ratum et firmum dictum pactum. Hoc autem fecerunt predicti dominus Manuel Fredericus et Carrandus de pelletis nominatim, et pro eo quod in eo momento et in ea hora qua cesserunt et mandaverunt predicta iura ut supra, scripti fuerunt inter creditores comunis Astensis in libris ipsius communis per factores communis Astensis ad hoc deputatos tamquam creditores ipsius communis Astensis in totidem summa denariorum videlicet in libris Trecentis Astensibus, Et confessi fuerunt predicti tres coheredes eis et cuilibet ipsorum satisfactum fuisse ad eorum voluntatem occasione predicti debiti et pignoris, que omnia instrumenta debent remanere in fortia communis Astensis, de quibus fit mentio superius.

Et ego Bertholinus Bertholotus notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guilelmum de Gregorio notarium voluntate et precepto ipsius extraxi de suo breviario et me subscripsi.

761. *De simili cessione facta dicto comuni Ast contra dictum Marchionem Montisferrati per Pelletam filium quondam et heredem pro quarta parte dicti domini Bayamondj de reliqua quarta parte dicte medietatis debiti suprascripti.* 1291. 2 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo primo indictione quarta die veneris secundo mensis Martij Actum Ast in domo illorum de Sulbrico in qua moratur dominus Henricus de Tangatinis potestas Astensis, testes interfuerunt dominus Philippus Scarampus, Sicardus Scarampus et vivaldus Gandulfus, quorum presentia dominus Pelleta de pelletis filius quondam domini Bayamondi de Pelletis et eius heres pro quarta parte dedit cessit atque mandavit michi Guilelmo de Gregorio notario et scribe domini potestatis Astensis recipienti nomine et vice communis Astensis, omnia iura omnesque rationes et actiones reales et personales utiles et directas, tranferrendo omne ius quod in se habet vel habere posset in dictum commune Astense nominatim et specialiter in quarta parte unius crediti medietatis librarum trecentarum Januensium que sibi pertinent ex successione quondam dicti domini Bayamondi patris eius in una parte, de quo constat publicum instrumentum factum per dictum Mussum Boviculum notarium et de quo instrumento facta est mencio superius, in una parte, et in quarta parte alterius crediti librarum Centum triginta trium solidorum quatuor Januensium quas quantitates pecunie dare et solvere tenebatur quondam dominus Bonefacius Marchio Montisferrati ut continetur in predicto instrumento, quondam dicto domino Bayamondo eius patri ex mutuo, et in quodam alio instrumento scripto per lantelmum notarium de quo fit mencio superius in alijs contractibus, Et pro quibus quantitatibus castrum vignalis specialiter fuerat obligatum predicto domino Bayamondo per dictum quondam dominum Bonefacium Marchionem Montisferrati, Contra dictum dominum Bonefacium et eius heredes et contra tenentes et possidentes de bonis suis, et in omni iure pignoris quod habet et habere poterat dictus pelleta pro quarta parte sibi pertinente ex successione quondam dicti patris sui. Ita quod liceat ipsi communi agere petere causari et experiri defendere et exigere totum illud quod posset et poterat dictus pelleta transferendo totum ius quod habet in dictum commune Astense, Constituendo dictum Guilelmum notarium predicto nomine et per eum Commune Astense procuratorem suum tamquam in rem

propriam in dicta quarta parte, Et generaliter contra omnes alios et singulos obligatos in dictis instrumentis et in quodam alio instrumento scripto per Guilelmum de Quadraginta notarium anno domini M°CC°XXXVII°. Indictione decima die martis decimo intrantis novembris. Preterea ad maiorem cautelam et firmitatem dictus pelleta stipulatione mihi iandicto notario stipulanti et recipienti dicto modo et nomine omnia suprascripta et infrascripta habere et tenere perpetuo rata et firma et non contravenire de iure vel de facto sub obligatione omnium bonorum suorum et sub pena omnis damni et dispendij incurrentium dicto communi Astensi occasione predicta promisit, Renunciando omni iuri suo quo se tueri posset, Et quod decetero non petet nec inquietabit aut per placitum faticabit dictum commune Astense nec illos speciales homines de Vignali quibus promissum est per commune Astense de conservando eos indemnes occasione predictorum debitorum a predictis de pelletis et occasione dicti pignoris. Hoc autem fecit dictus dominus Pelleta pro eo quod in eo momento et in ea hora, qua cessit predictus pelleta predicta iura et actiones ut supradictum est, scriptus fuit inter creditores communis Astensis et in libris rationis ipsius communis Astensis tanquam creditor communis Astensis in totidem quantitate pecunie per factores rationis ipsius communis Astensis ad hoc deputatos, Et confessus fuit etiam dictus pelleta sibi fore satisfactum per commune Astense ad eius voluntatem de predictis debitis, Renunciando non ita verum esse.

Et Ego Bertolinus Bertolotus notarius pallatinus predictum instrumentum abreviatum per Guilelmum de Gregorio notarium voluntate et precepto ipsius extraxj de suo abreviario et me subscripsi.

CXXXII. De Montilio.

762. *De federe et conventionibus initis inter comune Ast ex una parte et dominos Montilij ex altera, debentibus una parte pro altera facere guerram contra omnes personas et maxime contra Marchionem Montisferrati, Vercellensi Episcopo exceptato.* s. a.

In nomine domini Inter Astensium consules et dominos Montigli sub iure iurando tale firmatum est fedus tali modo quod domini Montigli debent adiuvare manutenere totum quod commune Ast tenet et possidet, et salvare personas Astenses et res eorum bona fide, et debent eos iuvare de omnibus discordijs que eis apparuerint et maxime de discordia Marchionis Montisferrati et Comitis Blandrati postquam fuerit incepta, Et debent inde guerram facere de Castello Montigli cum Astensibus hominibus et sine ipsis et recolligere Astensem populum in castello et in villa si eis necesse fuerit Et debent stare in Aste ut proprij cives in domo quam commune eis emit. Quod si ad exercitum faciendum invitati fuerint, debent venire cum militibus et peditibus, milites vero sumptibus communis et pedites proprio sumptu, ita tamen atque quatuor ex ipsis debent venire suo proprio stipendio et amissionibus communis ut cives, alij vero si amissiones fecerint debent esse emendate, a communi bona fide. Hec omnia predicti dominj Montigli debent attendere bona fide erga Astenses Salva fidelitate Vercellensis Episcopi, Et commune Ast debet adiuvare dominos Montigli manutenere feudum et Alodium, et illud quod tenent et possident,

et salvare eorum personas bona fide, et debent eis exercitum facere si fuerit necesse, Et si milites solummodo invitati fuerint pro negocio eorum, debent esse ad stipendia dominorum Montigli, si villa non erit circa castrum restricta si vero restricta fuerit predicti milites non debent habere nisi stramen et hospitia. Predicti nanque domini non debent guerram incipere absque consilio Astensium consulum nisi causa defendendi sua iura. Quod si aliqua discordia modo est vel orietur inter Astenses et predictos dominos Montigli debet esse emendata in laude Astensium consulum bona fide. Hec amicicia semper debet esse firmata omni anno inter Astenses et predictos dominos. Hec omnia Astense Commune debent attendere dominis Montigli bona fide salvis debitis vercellensium.

In Riascha.

CXXXIII. De Cochonato.

763. *Quomodo dominus Ubertus Comes Grassus de Coconato confessus fuit se et Obertum eius nepotem esse investitos pro recto feudo a comuni Ast de libris XV. Astensibus, Et quomodo dictum comune ipsum dominum Ubertum de dicto feudo reinvestivit, Et ipse fidelitatem fecit exinde dicto Communi.* 1183. 10 Decembris.

In nomine domini. In presentia infrascriptorum dominus Ubertus Comes Grassus de Cocanata confessus fuit se et Obertum nepotem suum esse investitos pro recto feudo a domino Jacobo Stricto potestate Astensi nomine et vice communis Astensis, nominatim de libris quindecim Astensis monete eis omni anno persolvendis per commune astense in festo beati Martinj usque ad octo annos proximos et completos sicut in carta inde facta vel facienda a Thoma notario continetur, quousque Commune astense emerit eis tantum terre unde omni anno habeant de godimento libras quindecim Astensis monete, sine aliquo eorum dispendio, quod quidem infra predictos octo annos eis compleri debet, ut in eadem supradicta carta per manum predicti Thome facta continetur, et sic ut supra legitur. Et ut in predicta carta continetur predictus Jacobus strictus potestas astensis ipsum Ubertum Comitem Grassum de Cochanata de predicto feudo reinvestivit. Eapropter ipse Albertus fecit fidelitatem pro predicto feudo communi Astensi et hominibus de Aste talem qualem Vasalus suo domino. Actum Urbe Aste in publica concione facta in cimiterio Sancti Secundj de mercato Anno domini Millesimo centesimo octuagesimo tercio, Indictione undecima die veneris decimo intrante mense decembris, Testes Guilelmus de Montaldo, Obertus eius nepos, Raymondus layolius, Surleo de strata, Scarampus, Ardicio Bertramus, Gualla Rotarius, petrus de Monte, Calcagnus sancti Systi, Opizo Calcangnus, Maynfredus Maronus, Otto Bassus notarius et multi alij.

Et Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et precepto domini Jacobi Stricti potestatis Astensis scripsi.

CXXXIV. De Albugnanno.

764. *De Sindicatu facto vice comunis Ast in Maynfredum de Canonica notarium ad recipiendum pro dicto comuni fidelitates ab hominibus Albugnanj.* 1290. 29 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo indictione tercia die dominico vigesimo nono octubris in presentia testium infrascriptorum, dominus henricus de Tangatinis potestas Astensis et dominus Bertramus de Carcano Capitaneus populi, Marengus Cazo, Jacobus Gutuarius et Bellancius Monacus tres ex quatuor sapientibus civitatis Astensis auctoritate baylie eis concesse, a generali consilio civitatis Astensis nomine et vice dicti comunis fecerunt constituerunt et ordinaverunt Maynfredinum de Canonica notarium absentem eorum et dicti communis certum nuncium sindicum auctorem et procuratorem ad recipiendum ab hominibus Albugnanni fidelitates, et ad faciendum circa predicta que fuerint facienda, Promittentes dicti potestas, Capitaneus et sapientes nomine et vice dicti communis michi notario recipienti nomine omnium quorum interest seu intererit se ratum et firmum habere et tenere et nullo tempore contrafacere vel venire, quicquid dictus procurator fecerit in predictis et circa predicta vel aliquod predictorum sub obligatione omnium bonorum dicti communis que pro inde michi notario recipienti nomine quo supra pignori obligaverunt. Actum in villa Albugnani ubi est exercitus Astensis In quadam domo in qua hospitatur potestas, interfuerunt testes Ferronus Manesseus, Georgius Rastellus et Jacobus Rastellus.

Ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

765. *De fidelitate per dictos homines albugnanni facta in manibus dicti Maynfredi sindici dicti comunis Astensis recipientis nomine prepositi et ecclesie Vezolani nec non nomine dicti comunis Ast de Castro et Villa Albugnani* 1290. 29 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo Indictione Tercia die dominico Vigesimonono octubris in presentia testium infrascriptorum, infrascripti homines de Albugnano per sese et suos heredes et successores iuraverunt ad sancta dei evangelia in manibus Maynfredi de Canonica sindici communis Astensis nomine ipsius communis et mei notarij infrascripti recipientis nomine et vice dicti communis et domini prepositi et ecclesie Vezolani esse fideles ipsi preposito et ecclesie vezolani et communi Astensi, et salvare et custodire castrum et villam et iurisdicionem ipsi preposito et ecclesie vezolani et communi Astensi et manutenere et defendere ipsum prepositum et ecclesiam vezolani, et commune et homines Astenses toto eorum posse, et iuvare ipsos ad tenendum totam terram de qua saxiti sunt et investiti contra omnes personas et non esse in aliquo loco vel parte ubi ipsi prepositus et ecclesia vezolani et potestas et aliquis de Ast amittant vitam vel membrum terram hominem vel iurisdictionem, Et si scirent aliquod malum vel offensionem quod et que eis vel alteri ipsorum deberet fieri in avere et persona terra vel honore illud disturbabunt et vetabunt toto eorum posse bona fide et sine fraude, Et si vetare vel disturbare non possent, illud quam citius poterunt notum facient supradictis et cuilibet ipsorum per se vel per alium et generaliter

talem fidelitatem, qualem faciunt homines dominis suis, Renunciantes eorum sponte et ex certa scientia omnibus fidelitatibus quibus ipsi vel alter ipsorum tenerentur alicui persone. Actum in castro Albugnani. Interfuerunt testes dominus Ogerius Rotarius, dominicus pelleta, Girardonus Ottinus et Girbaldus pelleta.

Et ego Francischus de Benengo Notarius pallatinus interfui et scripsi. Nomina autem hominum Albugnannj qui fecerunt dictam fidelitatem sunt hec Guilelmus Ferarius, Vercellus eius filius, Obertus de Crossa, Vercellus de Crabiello, Guilelmus de Aquis, Thomas delarua, Tebaldus de Falle, Guilelmus eius filius, Vercellus putoia, Jacobus Sibilus, Johannes Nebula, Jacherius Nebula, Facinus de pezeto, durandus Barberius, Monsclarus, Manuel eius filius, Martinus Ferarius, Boninus eius frater, Jachinus Robba, Jacobus Ferarius, Boglonus, Guilelmotus et obertonus eius filij, Guilelmus Beza, Rubeus eius filius, Franconus de Musso, Guilelmus lupus, Odinus lupus, Jacobus lupus, Bertholotus de Monte, Rubeus de Jeneva, Ardicio eius frater, Maynfredus Cagnola, Jacomellus eius filius, Vercellus Sacherus, Meylanus de plano florito, Raynetus, Mucius de Monroer sive Borrellus, Guilelmus qui dicitur Tonsus de Monroer, Obertus droy, Jacobus droy, Johannes Bellina, Ambrosius Berardus, Facius de la rippa, Facius de la lupora, Faconus Marinus, Guilelmus Bos, Rodulfus Bos, Thomas de Vayrano, Rodulfus de ulmo, Guilelmus Brecius, Conradus eius frater, Guidotus de Moyoleto, Guiglinus de Moyoleto, Guilelmus Bellotus, Guilelmus Gilius, henricus Morellus, Guilelmus de peceto filius Guibertj, Brunus Bocius, Jacobus de luparia, Maynfredus de luparia, Guido de Matheo, Jacobus eius filius, Guilelmus de Veyrano, Guilelmus Robba, Oddo eius filius, Vercellus Bezolus, Jacobus Sachus, Jacobus Gonella, Jacobus Bellina, Oppizo de plano florito, Tebaldus Rofredus, Guilelmus Raynetus, Johannes Carbonus, Johannes Bezolus, Guilelmus de luparia, Manuel ponzanus, Guiotus de Fazono Barellá, Vercellus Cavaza, Mussus de Monroer, Guilelmus de Fina, Guilelmus Gener Mussi de Feleto, Meylanus filius Zentorij, Mussus Pitalua, Meylanus Tozus, Johannes Tozus, Obertus de Moyoleto et Guilelmus eius frater.

De sententia lata in favorem communis Ast quod ipsum commune habere debeat castrum cum turre Albugnanni et homines ac contitum merum et mixtum, Imperium et omnimodam iurisdictionem habetur infra in tractatu de extraordinarijs cupitulo XVII.° folio.

CXXXV. De Poglanno.

766. *De donatione comuni Ast facta per dominos Conradum et Raynerium de Poglano suo et fratris sui nomine Bosij, de castro villa et hominibus Poglani.* 1290. 29 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo indictione tercia die vigesimo nono octubris, In presentia testium infrascriptorum dominus Conradus de poglanno pro medietate et Raynerius de poglano suo nomine et nomine fratris sui Bosij pro alia medietate fecerunt donationem puram meram et irrevocabilem inter vivos sine ulla repenti lege in manibus domini henrici de Tangatinis potestatis Astensis recipientis nomine et vice communis Astensis de castro et villa et hominibus poglanni cum omni

iurisdictione et honore mero et mixto imperio et dominio et contito, de omni et toto eo, quod ipsi vel alter ipsorum tenent et possident et visi sunt tenere et possidere tam in castro et villa quam in hominibus et iurisdictione mero et mixto imperio terris possessionibus pratis, vineis, domibus hominibus feudatis et non feudatis, fictis, drictis, tercijs, quartis, quintis, redditibus, aquatico, pasquatico, venatione, rupibus et ruynis, furnis et molendinis, Renunciando condictioni sine causa et ex iniusta causa doli mali et infactum, et ne possent dicere opponere vel allegare dolum vel metum huic contractui intervenisse et legi dicenti donationem ultra quingentos aureos non valere et omni alij exceptioni defensioni et iuri, quibus se possent tueri vel venire contra predicta vel aliquod predictorum. Tali modo et forma facta est predicta donatio, quod dictus dominus potestas nomine dicti communis et ipsum commune decetero predictum castrum villam et homines cum pertinencijs et alijs suprascriptis habeat teneat et quiete possideat libere et absolute et de hjs et in hjs quicquid voluerit dictum commune faciat sine contradictione dictorum dominorum suorum heredum et omnium aliarum personarum, Et volentes transferre dominium et possessionem dictarum rerum in dictum dominum potestatem nomine dicti communis et in ipsum commune, constituerunt se se predictas res tenere et possidere vel quasi nomine dicti communis et pro ipso communi quousque dictum commune corporalem possessionem apprehenderit, quam ei apprehendere liceat eius propria auctoritate sine contradictione dictorum Conradi, Raynerij et Bosij suorumque heredum et omnium aliarum personarum, Ad que facienda constituerunt ipsum dominum potestatem nomine dicti communis procuratorem ut in rem ipsius communis propriam. Quam quidem donationem et res donatas ut supra promiserunt dictus dominus Conradus suo proprio nomine pro medietate et dictus Raynerius suo nomine et nomine dicti Bosij fratris sui pro alia medietate eidem domino potestati et michi notario recipienti nomine et vice dicti communis defendere disbrigare auctorizare et expedire ab omni persona et personis collegio et universitate et contra omnes personas collegia et Universitates, quod si facere nollent aut non possent, seu quovis ingenio se subtrahere quererent, tunc omne damnum expensas interesse pro inde factas et habitas dicto domino potestati nomine dicti communis recipienti restituere promiserunt, credendo de hjs in verbo simplici sine sacramento et probatione qualibet. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis observandis et firmis tenendis dictus Conradus suo nomine et dictus Raynerius suo nomine et nomine dicti Bosij fratris sui omnia eorum bona pignori obligaverunt dicto domino potestati nomine dicti communis recipienti. Promisit iusuper dictus dominus Raynerius a se principaliter se facturum et curaturum cum effectu quod dictus Bosius eius frater predicta omnia et singula ratificabit approbabit et confirmabit et similem donationem faciet prout melius dictari poterit quandocumque fuerit requisitus. Et inde duo instrumenta unius tenoris, michi notario fieri sunt precepta. Actum in villa Albugnani in quadam domo in qua hospitabatur dictus dominus potestas. Interfuerunt testes Gribaldus Pelleta, henricus layolius, Jacobus Besustus et daniel de solario.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et iussu dicti domini potestatis sic scripsi.

767. *De investitura per dictum comune in dictos dominos de Poglano de predictis donatis in gentile feudum, Et de fidelitate per eos dicto communi facta de eisdem.* 1290. 29 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo indictione Tercia die dominico Vigesimonono mensis octubris, In presentia testium infrascriptorum dominus henricus de Tangatinis potestas Astensis voluntate et consensu domini Bertrami de Carchano Capitanei populi et Marenghi Cazo, Jacobi Gutuarj et Bellancij Monaci trium ex quatuor auctoritate baylie eis concesse a generali consilio civitatis Astensis, a parte et nomine communis Astensis per baculum quem tenebat in manu investivit in nobile et gentile feudum in masculos et femminas nominatim de castro villa et hominibus iurisdictione mero et mixto imperio contili dominio terris possessionibus pratis, vineis, domibus, hominibus feudatis et non feudatis, fictis, drictis, tercijs, quartis, quintis et ceteris redditibus, aquatico, pasquatico, venatione, rupibus et ruynis furnis et molendinis et ceteris alijs ad dominium pertinentibus, dominos Conradum de poglano pro medietate et Raynerium de poglano suo nomine et nomine fratris sui Bosij pro alia medietate de Castro, villa et hominibus et ceteris alijs rebus pertinentibus castro et ville poglani, Tali modo quod dicti domini Conradus pro medietate et Raynerius suo nomine et nomine fratris sui bosij pro alia medietate decetero dictum castrum villam et homines cum omni honore et iurisdictione ipsi castro et ville pertinentibus nomine recti et gentilis feudi habeant teneant et quiete possideant per se et heredes suos sine contradictione communis Astensis et omnium personarum, quod feudum promisit dictus dominus potestas nomine et vice dicti communis Astensis defendere et manutenere contra omnes homines et personas, Ita et tali modo, quod de dicto castro villa et hominibus teneantur et debeant et iuraverunt ad sancta dei evangelia decetero esse fideles vasallos communi Astensi, et de dicto castro, villa, et hominibus toto eorum posse bona fide et sine fraude facere pacem et guerram exercitus cavalcatas reductum et succursum communi Astensi et diviso contra omnes homines et personas et dictum castrum et villam reddere potestati et communi Astensi guarnitum et scaritum ad eius liberam voluntatem. Et predicta promiserunt attendere et observare bona fide et sine fraude sub obligatione omnium bonorum suorum, que pro inde dicto domino potestati recipienti nomine communis astensis pignori obligaverunt, Renunciando condictioni sine causa, et ex iniusta causa et omni iuri. Actum in villa Albugnani in quadam domo ubi hospitabatur potestas Astensis. Interfuerunt testes Gribaldus pelleta, henricus layolius, Jacobus Besustus, et daniel de solario.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et iussu dicti domini potestatis sic scripsi.

CXXXVI. De Castronovo et veteri Fereriarum.

768. *De investitura facta per comune Ast in rectum feudum de hoc quod dictum comune Ast habebat in castronovo et veteri Fereriarum in dominum Jacobum de Fererijs, Et de fidelitate quam dictus dominus Jacobus ex inde fecit dicto comuni Ast.* 1202. Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo, Indictione quinta presentia infrascriptorum, dominus Guido de piroano potestas Astensis investivit Jacobum de Ferarijs de hoc quod commune de Aste habet in Castronovo et veteri Ferariarum nomine recti feudi, Et ideo ibidem ille Jacobus de hoc fecit fidelitatem ipsi Guidoni potestati Astensi nomine communis Astensis et vice communis Astensis talem qualem vasallus facit suo domino. Actum urbe Aste in domo communis in mense Marcij, interfuerunt testes Conradus de drua de Romanisio, Otto Saracenus de Savilliano, Ubertus layolius, Henricus Soldanus, Opizo Calcangnus, Guilelmus donnetus, Henricus Aytropus, Oliverius pulsavinus, Guilelmus Scarampus, Guilelmus de Becaria et pluris alij.

Et ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

In valle Rivilati.

CXXXVII. De Corsembraudo.

769. *De dominis Guillelmo de Corsembraldo et Raynerio eius nepote effectis civibus Ast debendo dare fodrum de libris centum et facere pacem et guerram et alia onera dicti comunis Ast supportare, Salvo Episcopo Astensi, et Marchione Montisferrati in sua persona.* 1198. 16 Julij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo Indictione prima die iovis sextodecimo intrantis Julij, Presentia infrascriptorum, dominus Albertus de Fontanna potestas Astensis cum consilio credentie per campanam congregate ut confessus fuit, fecit cartam donationis a parte communis de Aste in manibus Guilelmi de Corsembraldo et Raynerij nepotis sui, ut ipsi eorumque heredes sint cives Astenses in perpetuum dando fodrum quisque eorum de libris quinqueginta, quotiens civitas Astensis ad fodrum venerit, et faciendo proinde omnes consuetudines et mores civitatis Astensis sicut alij cives Astenses fecerint pro libris Centum astensibus, Et debent facere per se et per omnes eorum homines pacem et guerram pro communi de Ast exercitus cavalcatas et succursus quotiens eis requisitum fuerit sicut alij cives Astenses nisi absolto potestatis vel consulum Astensium remanserit, Et debent salvare et custodire homines de Aste pro communi et pro diviso in personis et in avere et eorum terram ubicunque contra omnes homines et reducere eos pro communi et pro diviso in eorum castella, nec debent vetare Astensibus warnitis nec scaritis pro communi nec pro diviso quin faciant ex eis pacem et guerram per se et per omnes homines eorum cuicumque Astenses voluerint, Et hoc totum Guilelmus de Corsembraldo promisit domino Alberto de Fontanna potestati Astensi ad partem communis

Astensis stipulanti, et iuravit supra dei evangelia in perpetuum attendere bona fide, Salvo Astensi Episcopo et salva fidelitate Marchionis de Monteferrato in sua persona. Similiter Raynerius de Corsembraldo hoc totum quod supra legitur eidem Alberto potestati Astensi promisit et iuravit supra dei evangelia attendere bona fide in perpetuum, Salvo Astensi Episcopo, et salvis dominis Montisfalconis. Actum urbe Aste in ecclesia sancte Marie de domate, testes Jacobus de Mazadio, Anselmus de Maglano, Conradus de Maglano, Nicholaus Gardinus, Petrus Cicia, Rolandus Bergogninus, Guilelmus Sylvatichus, Otto Monachus et Thomas notarius.

Et Jacobus Boviculus notarius inde cartam fecit.

770. *Quomodo dicti domini de Corsembraldo confessi fuerunt se esse cives Astenses ut in superiori proximo capitulo continetur promittendo venire ad standum Ast et ibi dare fodrum et alia quelibet onera sustinere et guerram et pacem facere pro dicto comuni de omnibus castris villis et hominibus quos habent citra versam etc. salvis Episcopo Astensi et dominis Montisfalconis.* 1201. 19 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo primo Indictione quarta die mercurij quartodecimo kallendas Januarij, presentia infrascriptorum, Confessi fuerunt domini Guilelmus de Corsembraldo et dominus Raynerius nepos eius coram domino Guidone de pirovano potestate Astensi quod facti fuerunt cives Astenses tempore domini Alberti de Fontanna potestatis Astensis, et quos debent dare fodrum in Aste de libris centum Astensibus quotiens civitas ad fodrum venerit. Eapropter promiserunt domino Guidoni de pirovano potestati Astensi ad partem communis Astensis stipulanti facere statum et habitaculum in Ast cum uxore et cum liberis et cum eorum familia in perpetuum, sicut alij cives Astenses, et facere pacem et guerram exercitus itinera succursus et cavalcatas communi de Ast de omnibus eorum castris et villis et de omnibus eorum hominibus et cum omnibus eorum hominibus quos habent citra versam cum hominibus de Aste et sine hominibus de Aste cuicumque homines de Aste voluerint, quandocumque domino Guidoni de Pirovano potestati Astensi vel alij potestati vel consulibus in Aste per tempora existentibus placuerit, et facere alios mores ceterasque consuetudines civitatis Astensis sicut alij cives Astenses facient, Et salvare et custodire adiuvare et defendere homines de Aste ubicumque potuerint contra omnes homines bona fide et sine fraude, Et dare ipsos duos fodrum in Aste de libris Centum quandocumque civitas ad fodrum venerit, sicut alij cives Astenses, Et dare vel dari facere omni anno comuni de Aste pro eorum hominibus quos habent citra versam libras sex Astenses sive fodrum in Aste capiatur sive non. Et sic ut supra legitur de statu et habitaculo civitatis et de omnibus alijs ipsi Guilelmus de Corsembraldo et Raynerius nepos eius iuraverunt supra dei evangelia attendere et observare in perpetuum, in quo sacramento addiderunt et posuerunt facere pacem et guerram de eorum castris et villis et hominibus quos habent citra versam pro hominibus de Aste contra omnes homines nec illa castella vetare hominibus de Aste guarnitis vel scaritis, pro communi nec pro diviso, quin faciant guerram et pacem de hjs cuicumque voluerint, Et hoc totum promiserunt domino

Guidoni potestati Astensi ad partem communis de Aste stipulanti, et iuraverunt supra dei evangelia attendere et observare salvis eorum dominis, videlicet Astensi episcopo et dominis Montisfalconis. Et insuper iuraverunt venire stare in Aste et domum in Aste emere usque ad illum terminum quem potestas eis dederit, nisi eius absolto remanserit, et si terminum vel absoltum eis inde dederit, quod bona fide sequentur. Et pro hjs omnibus attendendis predicti Guilelmus et Raynerius iandicto Guidoni potestati Astensi nomine communis de Aste pignori obligaverunt. Quapropter pretitulatus Guido de pirovano potestas Astensis nomine communis de Aste promisit predictis Guilelmo de Corsembraldo stipulanti et Raynerio nepoti suo similiter permittere eos tenere eorum homines quos habent citra versam et quos modo tenent et possident ita quiete et libere ibi ubi modo manent quemadmodum eos melius et liberius hactenus tenuerunt nec in aliquo loco qui de novo fieret eos transmittere, nec eos in cives recipere, Eo excepto si illi homines ad aliquem locum qui de novo fieret ire vellent, seu cives Astenses esse vellent quod liceat eis hoc facere, et illuc ire cum eorum mobili, domibus terris et possessionibus, quas habeant in eorum posse sub eis, illis Guilelmo et Raynerio remanentibus. Item promisit eis facere iurare potestatem vel consules post eum in Aste intrantem vel intrantes hoc idem attendere et observare, Ita ut teneantur alios post eos intrantes facere iurare illud idem, ita ut semper de anno in annum consules vel potestates de Aste sic iurent omni anno in perpetuum. Et ibidem dominus Guido de pirovano potestas Astensis confessus fuit se hoc fecisse cum consilio credentie per campanam congregate. Actum Urbe Aste in claustro sancti Secundi de Mercato, interfuerunt testes Ubertus de platea, Petrus Cicia, magister Petrus Becharius, Ubertus layolius, henricus Soldanus, Jacobus Judex, Robaldus Marucus, Otto Monacus, Bayamondus Reoglatus et plures alij.

Et ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et iussu domini Guidonis de pirovano potestatis Astensis scripsi.

CXXXVIII. De Monteclaro.

771. *De hominibus pisenzane, Malischi, Mayrani et Cortanseri et alijs qui habitaverint in loco de novo ab ipsis construendo effectis civibus Astensibus debendo dare fodrum dicto comuni de libris* CCCC *et facere pacem et guerram etc. pro dicto comuni, qui locus vocatur Monsclarus.* 1200. 19 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo, Indictione Tercia, die dominico quartodecimo kalendas Aprilis, In nomine domini, Omnes homines pisenzane et de Malischo et de Mayrano et de Cortansero et alij qui habitare voluerint in loco illo qui construeretur ab ipsis ad honorem dei et sancte Marie Virginis et sancti Secundi martiris et communis Astensis iurabunt esse cives Astenses tali modo quod facient exercitus et itinera et cavalcatas et succursus et pacem et guerram et treuguam pro communi Astensi cuicumque et quibuscumque et ubicunque et quotienscunque commune de Aste voluerit, Et iurabunt salvare et custodire personam domini Nicholay de fodro potestatis Astensis et personas aliorum potestatum et consulum per tempora existentium et salvare et custodire omnes Astenses et omnes personas de illorum posse in rebus et in personis pro communi et pro diviso ubicunque poterint pro posse

bona fide et sine fraude et sine omni malo ingenio. Et predictum locum custodient ad honorem dei et sancte Marie et beati Secundi et communis Astensis nec vetabunt illum communi Astensi vel diviso Warnitum vel scaritum, Et quotienscunque civitas ad fodrum vel collectam aliquam pro communi venerit supradicti cives dabunt fodrum vel collectam de libris quadrigintis et non amplius, Et non recipient aliquem de Aste nec de virtute Astensi pro habitatore istius loci nisi cum voluntate et consilio potestatis vel consulum Astensium per tempora existentium et credentie de Aste per campanam congregate totius vel maioris partis, Et si placuerit potestati et communi Astensi in illo loco habere sedimen, habeat qualecunque voluerit et ubicunque voluerit ad faciendum quicquid voluerit, Et si contingeret quod homines illius loci vellent habere potestatem, qui non esset habitator illius loci, de Aste accipiant et alium non habeant, nisi illum, quem cum consilio et voluntate potestatis vel consulum Astensium per tempora existentium accipiant, Et si eveniret quod homines illius loci inter se vel alij de ipsis vel de communi, vel de speciali homine iusticiam a dominis illius loci habere nequiverint, quia domini nollent vel non possent, potestas Astensis et consulatus justiciam et rationem teneantur facere secundum mores et consuetudines civitatis tam in maleficijs quam in civilibus causis. Et pro hjs omnibus supradictis potestas Astensis nomine eiusdem communis tenetur illos facere cives, quod supradicta iurare voluerint, et eos defendere adiuvare custodire et manutenere sicut alios cives suos, Et ponere eos in illo loco ubi concordes fuerint ad eam diem quam voluerint, et sedimina disponere ad honorem dei et beate Marie, et sancti Secundi et communis Astensis, et dare eis adiuctorium cum carusis ad deferendum res suas ad illum locum. Et hec omnia supradicta faciunt predicti homines versus commune de Aste, et commune versus eos, salvis omnibus rationibus et iusticijs et iurisdictionibus et consuetudinibus et usibus dominorum suorum in rebus et personis in fodro et in banno in successionibus et redditibus et in omnibus alijs que ad dominium pertinent et dominationem eorum tam in spiritualibus hominibus quam in temporalibus et pro hjs supradictus dominus Nicholaus de fodro potestas Astensis fecit donum in manibus Nazarij Vexiliferri nomine suo et omnium hominum per se et per eorum homines, qui venerint habitare in loco qui construetur a predictis locis, ut decetero sint cives Astenses, secundum quod in scripto isto continetur ut confessus fuit per credentiam congregatam per campanam hoc fecisse. Et Nazarius vexilifer hec iuravit supra dei evangelia attendere, Muruelus Surleonus, henricus durellus, Otto Gruluy, Aycardus Cultis, Otto de Cortansero similiter iuraverunt. Et isti de Mayranno iuraverunt Guilelmus de Mayrano, petrus Auricula, Obertus Ferarius, Baldicio, Guilelmus Pistonus. Et isti de pisenzana similiter iuraverunt, Nicholaus Cazola, henricus Frater eius. Actum est hoc Aste in domo communis, testes fuerunt ibi Bayamondus de Platea, Saracenus, Jacobus Judex.

Et ego Otto Bassus sacri pallatij notarius interfui rogatus et quatuor instrumenta in uno tenore facere debui et sic scripsi.

Isti sunt de Malischo qui fecerunt sacramentum, Ubertus Baratarius, Landulfus durellus, henricus Augustus, Jacobus, Binellus, Ubertus Binellus, Ubertus Rufinus, Guilelmus Blancardus, Jacobus de Vigrasono, Guilelmus Calorius, Petrus Trabs, Johannes Becarellus, henricus Taragnanus, Petrus Caballus, Otto Caballus, Amalbertus,

Nicholaus Maonarius, Johannes Ballarinus, Rodulfus Mantellus, Guilelmus de Montilio, Ubertus Segnorinus, Guilelmus lebolus, Jacobus de Molendino, Petrus de Malischo, Valleta, Johannes Scaza, Aycardus de Cixano, Petrus Bellinus, Raynerius penna, Obertus Cauderonus, Nazarius, Rolandus Cauderonus, Wilelminus Gastaldus, Ambrosius de Bertania, Vivianus de serra, Robaldus Ballarinus, Obertus de Rippa, Robertus Anfusus, Germanus, Rufinus de Gombiono.

Isti sunt de Mayranno, qui iuraverunt similiter, Johannes parvus, Wilelmus Barera, Rolandus Gagla, Johannes Salziza, Wilelminus de Furno, Ambrosius Gramaticus, Obertus abbas, Obertus Barera, henricus Tereglanus, Valla Rapinus, Rogerius Golias, Johannes Grognus, Petrus Rubeus, Valla filius Guilelmi, Guilelmus Golia, Obertus filius eius, Rolandus Alamanus, Petrus Beluffus, Johannes Auricula, Guilelmus Garinus, Albertus pistonus, Nazarius, Petrus Piceninus, Wilelminus Ferarius, Johannes Grossus, Vivianus Pistonus, homodeus de piro, Tebaldus pecerinus, Wilelmus Ferarius, Vido dominicus, Gandulfus, Wilelmus Auricola, Guilelmus Gagla, Petrus Gagla, Maynfredus Saracenus, Petrus Synistrarius, Johannes Bergognonus, Apolonius Raynerius, Jacobus Sardus, Gandulfus pucerludus, Rollandus Brocius.

Et ego Otto Bassus sacri pallatij notarius istis sacramentis interfui, nisi sacramento Guilelmi de Furno et scripsi.

772. *De precepto facto per potestatem Ast Guilelmo de playa pro se et eius fratre hominibusque eorum de non impediendis possessionibus et iuribus quas habent in Cortansero commune Montisclari et certi alij.* 1219. 28 Julij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonodecimo Indictione septima die dominico quinto kalendas Augusti, Confessus fuit dominus Resonatus zazius potestas Astensis quod ipse precepit Guillelmo de Playa pro se et fratre suo et hominibus eorum ne impediant possessiones nec iura quas et que commune Montisclari et dominus Ascherius de Montilio et nepos eius et heredes Paxuti habent in Cortansero, et ipsos uti permittat de eorum parte sicut olim habuerunt et uti consueverunt, Nec impediat quin ex inde faciant quicquid facere voluerint, Et pro predictis attendendis usque ad diem martis proximum det securitatem de libris trecentis, Et possessionem usque ad eundem terminum expediat, nec defendat eis in aliquo, Et hoc iussit salva ratione communis Astensis. Actum Ast in domo Rolandi de Montemagno. Testes dominus Albertus de Turricella Judex dicti potestatis, Petrus durnasus et plures alij.

Et ego Mussus Boviculus notarius hanc cartam scripsi.

773. *De alio precepto facto per dictum potestatem Ast dico Guillelmo de Playa pro se et Jacobo eius fratre quod tribuat possessionem Cortanseri Jacobo advocato potestati Montisclari pro comuni dicte terre.* 1219. 30 Julij.

Anno eodem et indictione die martis tercio kalendas Augusti dominus Rasonatus Zacius potestas astensis fuit confessus se precepisse et iterato precepit Guilelmo de playa pro se et nomine Jacobi fratris sui ex officio potestarie Astensis quo fungitur, et ex arbitrio sibi dato ab ipsis Guilelmo et Jacobo fratribus ab una parte, et Jacobo Advocato potestate Montisclari nomine communis illius loci et nomine heredum quondam paxuti et Ascherij de Montilio et nepotis eius ex altera, ut in

carta per me Mussum Boviculum notarium inde facta continetur, Ut hodie tribuat possessionem Cortanseri Jacobo Advocato pro communi Montisclari et specialiter pro parte heredum Paxuti et Ascherij de Montilio et nepotis eius, Et ipsos de eorum parte et de Juribus suis uti permittat libere et quiete sub illa pena et penis, quas eis posset ponere vel auferre et quas sibi posuit, Et ut hodie det securitatem de libris trecentis, quod eos in iure suo non perturbabit nec impediet eis possessionem eorum ullo modo, salva parte sua et fratris sui de loco Cortanseri. Actum Ast in domo Rolandi de Montemagno, Testes Nicholaus de Brayda, Nicholaus de Cellis et plures alij.

Et ego Mussus Boviculus notarius hanc cartam scripsi.

CXXXIX. De Montibus sive Seravalle.

774. *De citaynatico hominum loci de Montibus effectorum civium Astensium qui locus Montium destructus fuit, et de hominibus ipsius loci factus est locus Seravallis.* 1198. 18 Septembris.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo indictione prima die lune quartodecimo kalendas Octubris novembris (sic)presentia infrascriptorum dominus Petrus de Petrasancta potestas Astensis cum consilio credentie prout confessus fuit fecit cartam donationis a parte communis Astensis in manibus Jordannj de Monte de Ceresijs, Gandulfi de Monte de Ceresijs de loco Montium nomine eorum et nomine omnium aliorum hominum de Montibus qui cives Astenses esse voluerint nominatim de eo ut ipsi Jordanus et Gandulfus et omnes alij homines de Montibus qui cives esse voluerint et heredes eorum decetero cum omnibus rebus eorum habitis et habendis sint cives Astenses salva ratione Astensis Episcopi et omnium aliorum hominum eo modo quod a modo tribuant fodrum in Aste quotiens civitas ad fodrum venerit sicut alij cives de Aste secundum quod ab exstimatoribus impositis pro communi extimati fuerint, et ut faciant exercitum et iter succursum et cavalcatas fossatum et custodiam castri et ceteros mores ceterasque consuetudines civitatis Astensis sicut alij cives de Aste in perpetuum et sic ut supra legitur Guilelmus de Ceresijs, Jacobus de Gallereto, Rollandus Ferarius, Anselmus de Galereto, Obertus frater eius, Guilelmus Gulla, Otto Bulla, Jacobus de Monte oriolo, Gualla de Montemorino, Anfosus Andatorius, Obertus Rex, Obertus poncius, Eusebius, Jermanus Straciafea, Philippus, Petrus de Cereseto, Ardicio Gastaldus, Jordanus Rovea, Petrus Panisetvinum, Guilelmus Devoracius et Rolandus de Rovea, omnes ibidem supra dei evangelia iuraverunt attendere et observare et cives Astenses esse sicut superius continetur. Preterea Jordanus et Gandulfus de Monte de Ceresijs et alij de Montibus quorum nomina sunt Gandulfus de Camilia, Uliverius de Galereto, Johannes Carlevarius, henricus de Supponito, Guilelmus Bellinus, Amedeus, Johannes Boya, Albertus Gattus, Garnerius, Guido Gallus, Johannes de Montaldo, Maynfredus de Montaldo, Gandulfus de Santena, Ardicio de Santena, Petrus villanus, Obertus Stralla, henricus Galletus, Oddo Rex, Petrus liccus, Henricus Degerius, Augustus de Retrocastellum et Otto Belletus omnes de Montibus confessi fuerunt se iurasse esse cives Astenses ut supra legitur et omnia supradicta attendere in perpetuum. Actum Urbe Aste in domo communis interfuerunt testes, Jacobus de Vivario, Jacobus Judex, Jacobus filius Ottonis Monaci, Raynerius Calcaneus,

Berrardus Arnulfus, Catanicus et Guilelmus Ginorius. Preterea Bonusfantus de Gallereto, henricus Gattus et Jordanus de Montaldo omnes de Montibus iuraverunt esse cives et omnia supradicta ut supra legitur in perpetuum observare. Item die iovis undecimo kalendas Novembris in eodem loco idem Petrus de Petrasancta potestas Astensis fecit idem donum Gilio Gastaldo et Ottoni Capello, Gualleto Ambrosio de Galereto et filio suo Anfuso et ipsi iuraverunt idem ut supra. Testes Baiamundus de Platea, Jacobus Judex, Rodulfus durnasus, et plures alij. Item die iovis quarto kalendas novembris in domo communis presentibus Baiamondo Judice de platea, Guilelmo Scarampo et Cararolio, Idem petrus potestas Astensis fecit idem donum in manibus Oberti de Cereseto, Gandulfi de Cereseto, Sybilie de Cereseto suo nomine et nomine Matelde et Agnetis, filiarum suarum, et ipsi et ipsa Sibilia suo nomine et nomine predictarum filiarum suarum iuraverunt idem. Item die dominico tercio kalendas novembris in domo communis, que est iuxta portam idem petrus potestas Astensis fecit idem donum in manibus Guilelmi Novelli et Viviani et Nicholay de Piro et Jacobi de Cereseto, et ipsi iuraverunt idem ut supra. Testes Albertus de Vicomercato, Aldus de petra sancta, Petrus Cicia, Rodulfus durnasius et Guilelmus Garinus. Preterea die martis tercio intrantis novembris in domo communis idem petrus potestas fecit idem donum in manibus Rollandi Villani de Santena et ipse iuravit idem. Acta sunt hec omnia in Urbe Anno Millesimo centesimo nonagesimo octavo Indictione Prima. Ego Jacobus Boviculus hanc cartam feci.

CXL. De Cortansero.

775. *De donatione facta per comune Ast Uberto de Cortansero ut ipse et sui heredes sint cives Astenses debendo dare fodrum de libris decem et facere exercitum et cavalcatam pacem et guerram pro dicto comuni Astensi.* 1198. 14 Julij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo indictione prima, die martis quartodecimo intrantis Julij, presentia infrascriptorum, dominus Albertus de Fontanna potestas Astensis consilio credentie per campanam congregate ut fuit confessus fecit cartam donationis a parte communis Astensis in manu Uberti de Cortansero ut ipse et sui heredes sint cives Astenses imperpetuum dando fodrum de libris decem quotiens civitas ad fodrum venerit faciendo pro libris decem pacem et guerram, exercitus itinera et succursus et cavalcatas et ceteras consuetudines et mores et scufia civitatis Astensis, quociens inde requisiti fuerint a potestate vel consulibus de Aste vel ab eorum misso sicut alij cives Astenses facient, pro libris decem, Et debet reducere Astenses in domo sua, quotiens Astenses voluerint, nec debet vetare domum suam Astensibus guarnitis nec scaritis quin faciant inde pacem et guerram cuicunque voluerint, Et debet salvare et custodire terram Astensium et ipsos Astenses pro communi et pro diviso in personis et in avere ubique. Et hoc totum quod supra legitur predictus Ubertus promisit domino Alberto de Fontanna potestati Astensi ad partem communis de Aste stipulanti observare, Et supra dei evangelia iuravit attendere bona fide salvo Comite de lomello, et Astensi Episcopo. Actum Urbe Aste in Pallatio Sorleonis de Janua, testes Ubertus de Ripa, homodeus Trossellus, henricus Soldanus, dotorius de Cortandono et Bigus.

Et Jacobus Boviculus notarius cartam scripit et fecit.

CXLI. De Camayranno — De Cinalio.

776. *De donatione facta per comune Ast dominis Rodulfo et Sysmondo fratribus de Camayrano ut ipsi et eorum heredes sint cives Astenses debendo dare fodrum de libris XXV et facere pacem et guerram exercitus et cavalcatas pro dicto comuni, Salvo Astensi Episcopo.* 1198. 16 Julij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo, Indictione prima die iovis sexto decimo intrantis Julij, presentia infrascriptorum, dominus Albertus de Fontanna potestas Astensis cum consilio credentie per campanam congregate ut confessus fuit, fecit cartam donationis a parte communis Astensis in manu Rodulfi de Camayrano suo nomine et nomine Sysmondi de Camayranno fratris sui ut ipsi et heredes eorum sint cives Astenses in perpetuum dando fodrum in Aste de libris viginti quinque Astensibus, quotiens civitas ad fodrum venerit et faciendo omnes consuetudines et mores civitatis Astensis sicut alij cives fecerint pro libris viginti quinque Astensibus, et faciendo per se et per omnes eorum homines pacem et guerram pro communi de Aste exercitus et cavalcatas et succursus quotiens eis requisitum fuerit, sicut alij cives Astenses nisi absolto potestatis vel consulum Astensium remanserit. Et debent salvare et custodire terram Astensem et homines de Aste in personis et in avere pro communi et pro diviso ubique contra omnes homines et reducere eos pro communi et pro diviso in eorum castella, nec vetare Astensibus guarnitis nec scaritis pro communi nec pro diviso, quin faciant ex ipsis guerram et pacem cuicunque voluerint, Et debent inde cum ipsis astensibus et sine eis facere pacem et guerram cuicunque voluerint per se et per omnes eorum homines. Et hoc totum quod supra legitur Rodulfus de Camayranno iuravit supra dei evangelia, et promisit domino Alberto de Fontanna potestati astensi ad partem communis de Aste stipulanti attendere in perpetuum bona fide salvo astensi Episcopo. Actum Urbe Aste in ecclesia sancte Marie de domate, Testes Jacobus de Mazadio, Anselmus de Maglano, Conradus de Maglano, Nicholaus Gardinus, Petrus Cicia, Rollandus Bergogninus, Guilelmus Sylvaticus, Otto Monacus, Thomas Notarius.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et iussu domini Alberti de Fontana potestatis Astensis sic scripsi.

777. *De simili donatione facta dominis Cinalij, debendo dare fodrum de libris XXV et facere pacem et guerram exercitus et cavalcatas de omnibus suis castris et villis pro comuni Ast, Salvo Episcopo Astensi.* 1198. 19 Julij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo, Indictione prima die dominico quartodecimo kalendas Augusti presentia infrascriptorum testium, dominus Albertus de Fontana potestas Astensis fecit cartam donationis nomine communis Astensis consilio credentie per campanam coadunate ut confessus fuit in manibus Ascherij de Cinalio et Ottollinj de Camayrano nomine suo et nomine Jacobi fratris ipsius Ascherij de Cinalio, et Ottolini de Camayranno fratris ipsius Ottollini, et Maynfredi patrui eorum, Nominative ut predicti omnes et heredes eorum decetero in perpetuum sint cives sicut alij cives. Quapropter predicti Ascherius, Ottollinus, Jacobus, Guilelmus et

Maynfredus patruus eorum debent dare decetero in Urbe Astensi, quandocunque civitas ad fodrum devenerit, fodrum de extimatione librarum Vigintiquinque et facere exercitus expedictiones et cetera scufia ipsius Urbis ex predicta extimatione sicut ceteri cives Astenses, Et insuper facere, hoste, iter cavalcatam et succursum communi Astensi, quotiens a potestate vel consulibus Astensium per tempora existentibus vel eorum misso eis preceptum fuerit nisi eorum parabola remanserit, Et debent salvare custodire adiuvare et defendere homines de Aste per commune et per divisum in rebus et in personis bona fide et sine fraude et reducere homines de Aste per commune et per divisum in omnibus castris et villis suis, Et illa castra et villas suas eis non vetare varnitis vel scaritis quin inde faciant pacem et guerram cuicumque voluerint, Et ex omnibus castris et villis suis debent facere pacem et guerram cum communi Astensi et sine communi Astensi cuicunque potestas Astensis vel consules per tempora existentes per se vel per suum nuncium eis preceperint vel mandaverint, Que omnia ut supra legitur in integrum predicti Ascherius et Ottolinus nomine suo et nomine predictorum Jacobi et Guilelmi et Maynfredi patrui eorum promiserunt predicto Alberto potestati Astensi nomine communis Astensis per se et per heredes eorum, et iuraverunt supra dei evangelia, Salvo Astensi Episcopo, bona fide et sine fraude omni tempore attendere et observare, si deus illos adiuvet et illa sancta evangelia. Actum Ast in Astensi ecclesia feliciter. Interfuerunt testes Rodulfus de Camayrano, Raynerius de Corsembraldo, Obertinus Culorius et Rufinus Bramaterra et plures alij.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui rogatus et iussu predicti potestatis sic scripsi.

778. *Quomodo dicti domini de Camayrano confessi fuerunt se effectos esse cives Astenses ut in superiori capitulo de Camayrano continetur promittendo stare in Ast et alia facere que in ipso citaynatico continentur, Salvo Episcopo Astensi etc.* 1201. 10 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo primo, Indictione quarta die lune decimo intrantis decembris presentia infrascriptorum dominus Rodulfus de Camayrano veniens ante dominum Guidonem de Pirovano potestatem Astensem confessus fuit quod ipse et frater eius facti fuerunt cives Astenses tempore domini Alberti de Fontanna olim potestatis Astensis et quod debent dare fodrum de libris Vigintiquinque Astensibus, quotiens civitas de Aste ad fodrum pervenerit. Eapropter ipse Rodulfus tactis corporaliter sacrosanctis evangelijs iuravit facere a modo statum et habitaculum in Aste cum nepotibus suis et cum uxore et liberis et cum familia in perpetuum sicut alij cives Astenses et facere exercitum itinera guardias et cavalcatas et alios mores aliasque consuetudines civitatis Astensis sicut alij cives Astenses, et dare fodrum in Aste pro se et pro nepotibus suis de libris vigintiquinque Astensibus, et de pluri si in carta facta de eorum citaynatico continetur, quotiens civitas ad fodrum venerit, Et insuper facere pacem et guerram et exercitum et itinera et cavalcatas et succursum per se et de omnibus suis hominibus communi de Aste cum hominibus de Aste et sine eis cuicunque homines de Aste voluerint quandocumque predicto Guidoni potestati Astensi vel alijs potestatibus aut consulibus in Aste per tempora existentibus placuerit. De guerra facienda ut supra legitur, excipiuntur sui

domini videlicet, dominus Astensis Episcopus et domini de Ripa. Et iuravit salvare et custodire, adiuvare et defendere homines de Aste et de virtute Astensi ubicunque poterit contra omnes homines bona fide et sine fraude, Et insuper dare vel dari facere pro predictis suis hominibus omni anno in perpetuum solidos quadraginta Astenses sive fodrum in Aste capiatur sive non. Et pro hjs omnibus attendendis ipse Rodulfus suo nomine et nomine nepotum suorum predicto Guidoni potestati Astensi nomine communis de Aste omnes res suas pro pignore obligavit, Quapropter ipse Guido de Piroano potestas Astensis nomine communis de Aste promisit predicto Rodulfo suo nomine et nomine nepotum suorum permittere eos tenere eorum homines quos modo habent tenent et possident quos ipse Rodulfus dicebat esse usque ad quadraginta focos ita quiete et libere ibi ubi modo manent quemadmodum hactenus eos melius et liberius tenuerunt nec in aliquo loco qui de novo fieret eos transmutare nec eos in cives Astenses recipere, eo excepto si ipsi homines vellent ire ad aliquem locum qui de novo fieret vel cives Astenses esse, quod liceat eis hoc facere, et illuc ire cum eorum mobili, et terre et domus et possessiones quas habent sub posse ipsius Rodulfi et nepotum eius, ipsis Rodulfo et nepotibus suis remaneant. Et hoc ipse Guido potestas Astensis promisit ipsi Rodulfo facere iurare potestatem vel consules post eum intrantem vel intrantes ita ut supra legitur attendere et observare et facere alios consules vel potestatem post eos intrantes hoc idem sacramentum subire, et ita de anno in annum in perpetuum, Et hoc confessus fuit se fecisse cum consilio credentie per campanam congregate. Actum in curia domus communis interfuerunt testes Ubertus de Platea, henricus Soldanus, Otto Volla, Ubertus layolius, Roba Scarampus, Bayalardus filius quondam Engi, Berrardengis et plures alij.

Et ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et iussu domini Guidonis potestatis Astensis scripsi.

779. *De simili confessione facta de citaynatico quorundam aliorum de Camayrano promittendo venire ad standum Ast, et ibi dare et alia facere que in eorum predicto citaynatico continentur.* 1202. 12 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo Indictione quinta die sabbati duodecimo intrantis octubris in curia domus communis, Otto et Guilelmus de Camayrano confessi fuerunt quod effecti fuerunt cives Astenses tempore domini Alberti de Fontanna potestatis Astensis, et quod debent dare fodrum de certa quantitate in Aste sicut in carta inde facta continetur, Et ideo promiserunt Jacobo Rohat, Viviano de fontana Bayamondo Careocio et Maynfredo de Solario Astensibus Consulibus de communi, Magistro Petro becario, henrico Soldano et Jacobo de Mandra stipulantibus pro communi dare Fodrum in Aste de predicta quantitate quotiens civitas ad fodrum venerit et dare omni anno communi de Aste pro Octo hominibus quos habent in Camayrano et in Casascho solidos decem Astenses in perpetuum et facere per se et cum suis hominibus exercitus et cavalcatas et succursus et pacem et guerram pro hominibus de Aste quotiens eis dixerint vel mandaverint, Et ipsi duo debent emere domum in Aste usque ad proximum festum sancti secundi et venire stare in Aste cum uxoribus et liberis et cum eorum familia, nisi absolto consulum remanserit, et in Aste statum et habitaculum facere in perpetuum, Et sic ut supra legitur ipsi

Octo et Guilelmus attendere iuraverunt, Et pro inde ipsi consules nomine communis Astensis promiserunt eis permittere eos tenere eorum predictos homines, sicut modo eos tenent, et ibi ubi eos tenent, nec eos in Aste nec in aliquo loco de novo facto vel faciendo eos pro civibus recipere, Salvo eo, si pro civibus eos reciperent, quod cum eorum mobili eos recipiant et domus et possessiones eorum ipsis dominis remaneant, Testes Raynerius de Corsembraldo, Rodulfus de Camayranno, Otto layolius, Otto Bassus, Gandulfus de Cumignano.

Et Jacobus Boviculus notarius scripsit.

CXLII. De Casascho.

780. *De donatione facta per comune Ast dominis de Casascho ut ipsi et eorum heredes sint cives Astenses debendo dare fodrum de libris XXV, et facere pacem et guerram exercitus et cavalcatas de eorum castris et villis pro dicto comuni, Salvis dominis eorum, inter quos non computetur Marchio Montisferrati.* 1198. 19 Julij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo, Indictione prima die dominico quartodecimo kallendas Augusti presentia infrascriptorum testium, dominus Albertus de Fontana potestas Astensis, nomine comunis Astensis fecit cartam donationis consilio credentie per campanam coadunate ut confessus fuit in manibus Opezonis et Gualfredj fratris sui et Ugonis nomine suo et nomine omnium consortum eius de Casascho, nominative ut decetero predicti Opizo, Gualfredus et Ugo de Casascho et universi eorum consortes et heredes eorum perpetualiter sint cives Astenses sicut alij cives Astenses, Quapropter predicti omnes de Casascho et confortes eorum per se et per eorum heredes debent dare fodrum in Aste de estimatione librarum vigintiquinque, quandocumque civitas Astensis ad fodrum devenerit, et secundum illam extimationem facere exercitus expeditiones et cetera scufia urbis Astensis sicut alij cives Astenses Et debent salvare et custodire adiuvare et defendere homines de Aste per comune et per divisum ubicumque in rebus et in personis bona fide et sine fraude, et facere pacem et guerram, hoste, Iter cavalcatam et succursum hominibus de Aste ex omnibus castris et villis suis contra omnes homines, secundum quod potestas Astensis vel consules per tempora existentes per se vel per suum missum eis preceperit vel mandaverit, nisi eorum absolto remanserit. Et non vetabunt castra et villas suas hominibus de Aste per comune nec per divisum guarnitis nec scaritis quin faciant pacem et guerram pro comuni Astensi cuicumque voluerint. Et hec omnia ut supra legitur in integrum predicti Opizo, Walfredus et Ugo nomine suo et nomine omnium consortum suorum promiserunt predicto Alberto potestati nomine comunis Astensis stipulanti, Salvis dominis eorum, inter quos non computatur Marchio Montisferrati, et sine equatione ulla, quam inde, a communi habere debeant per se et per suos heredes, Et iuraverunt supra sancta dei evangelia omni tempore attendere et observare si deus illos adiuvet et illa sancta dei evangelia. Actum Aste in ecclesia Astensi feliciter, interfuerunt testes Rodulfus de Camayrano, Raynerius de Corsembraldo, Obertonus Colorius, et Rufinus Bramaterra. Et Thomas notarius inde cartam fecit.

In Valle Playe.

CXLIII. De Playa.

781. *De donatione per comune Ast Rogerio de playa ut ipse et sui heredes sint cives Astenses dando fodrum de libris centum, et faciendo pro comuni Ast pacem et guerram exercitus et cavalcatas contra quoscumque, Salvis Imperatore et Episcopo Astensi.* 1199. 12 Januarij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo nono Indictione secunda die martis duodecimo intrante Januario presentia infrascriptorum testium, Baiamondus de platea, Rodulfus durnasus et Jacobus Iudex gerentes vicem domini Petri de petra sancta potestatis Astensis a parte comunis Astensis nomine predicti domini petri de petrasancta fecerunt cartam donationis in manibus Rogerij de playa ut ipse Rogerius et sui heredes amodo sint cives Astenses in perpetuum dando fodrum in Aste de libris centum Astensibus, quotiens civitas Astensis ad fodrum venerit, et faciendo pro inde exercitus et cavalcatas ac succursus et pacem et guerram pro Astensibus et ceteras consuetudines civitatis Astensis in perpetuum. Nec debet vetare domum suam hominibus de Aste guarnitis nec scaritis quin faciant inde guerram et pacem cuicumque voluerint, Et ipse de domo sua debet facere guerram cum ipsis Astensibus et sine ipsis cuicunque Astenses voluerint, et debent salvare et custodire terram Astensem et homines de Aste pro comuni et pro diviso, in personis et in avere ubique et sic ut superius legitur de fodro solvendo, et de omnibus supradictis observandis predictus Rogerius de Ripa predictis tribus sapientibus ad partem comunis de Aste stipulantibus promisit, et supra dei evangelia iuravit attendere, salvo imperatore qui nunc est vel fuerit, et salvo Astensi Episcopo. Interfuerunt testes Rodulfus de Camayrano, Guilelmus de Corsembraldo, Raynerius de Corsembraldo, Obertus de Ripa et multi alij. Actum in Casascho.

Ego Gandulfus sacri pallatij notarius interfui et precepto istorum trium sapientum scripsi.

CXLIV. De Cortandono.

782. *De donatione facta per comune Ast domino Rogerio de Cortandono ut ipse et sui heredes sint cives Astenses dando fodrum de libris XV. et faciendo pro dicto comuni pacem et guerram exercitus et cavalcatas etc. contra quoscumque nullo exceptato.* 1198. 26 Julij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo, Indictione prima die dominico septimo kallendas Augusti, presentia infrascriptorum, dominus Albertus de Fontana potestas Astensis cum consilio credentie per campanam congregate ut confessus fuit, fecit cartam donationis, a parte communis de Aste in manu Rogerij de Cortandono ut ipse per se et per suos heredes sit civis Astensis in perpetuum dando fodrum in Ast de libris quindecim Astensibus, quotiens civitas ad fodrum venerit, et faciendo consuetudines et mores urbis Astensis, sicut alij cives, et faciendo

exercitus et Itinera et succursus et pacem et guerram per se et per eorum homines quandocumque et cuicunque Astenses voluerint, nec debent vetare sua castella Astensibus pro comuni nec pro diviso, quin faciant inde guerram Et pacem cuicumque voluerint, et ipse cum eis et sine eis debet inde facere pacem et guerram cuicumque Astenses voluerint, et debet salvare homines de Aste et custodire ubicumque pro communi et pro diviso, et eorum terram bona fide. Et hoc totum quod supra legitur promisit ipse Rogerius domino Alberto de Fontana Astensi potestati ad partem comunis de Aste stipulanti, et supra dei evangelia iuravit attendere bona fide. Actum in urbe Aste in ecclesia sancte Marie de domate, Testes Obertus de Ripa, Rogerius frater eius, Rufinus de Gorzano, Nazarius Confanonerius, Raynerius de Corsembraldo, Nicholaus Gardinus et Guilelmus Sylvaticus.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui iussus dicti potestatis scripsi.

CXLV. De Cortasono.

783. *De donatione facta per comune Ast Rogerio de Cortandono et Alberto de Cortasono fratri suo ut ipsi et eorum heredes sint cives Astenses dando fodrum de libris XL et faciendo pacem et guerram pro dicto comuni etc. contra quoscumque, Salvo Episcopo papiensi, de Cortasono et de Teglolis, Et salvo domino Manfredo de Buscha de eo quod habent ultra Tanagrum.* 1198. 14 Julij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo, Indictione prima die martis quartodecimo die intrantis Julij presentia infrascriptorum, dominus Albertus de fontana potestas Astensis cum consilio credentie per campanam congregate ut confessus fuit fecit cartam donationis a parte comunis Astensis in manibus Rogerij de Cortandono et Alberti de Cortasono fratris sui ut ipsi et heredes eorum sint cives Astenses in perpetuum dando fodrum de libris quadraginta Astensibus, quotiens civitas Astensis ad fodrum venerit, faciendo pro libris quadraginta pacem et guerram, exercitus, itinera et succursus, cavalcatas et ceteras consuetudines et mores et scufia civitatis Astensis quotiens inde requisiti fuerint a potestate vel a consulibus de Aste vel ab eorum misso, sicut alij cives Astenses facient pro tantis libris. Et debent reducere Astenses in domibus eorum quotienscumque Astenses voluerint ut faciant inde guerram et pacem cuicumque voluerint, nec debent vetare domos eorum Astensibus guarnitis nec scaritis, quin faciant inde guerram et pacem cuicumque voluerint, Et debent salvare et custodire terram Astensem et ipsos Astenses pro comuni et pro diviso, in Avere in rebus et in personis ubique. Et hoc totum quod Supra legitur predicti Rogerius et Albertus promiserunt domino Alberto de Fontana potestati Astensi ad partem comunis Astensis stipulanti observare, et supra sancta dei evangelia iuraverunt attendere bona fide, Salvo Episcopo papiensi de Cortasono et de Toglolis, Et salvo domino Manfredo de Buscha de hoc quod habent ultra Tanagrum. Actum urbe Aste in pallatio Surleonis de Janua. Testes Obertus de Ripa, homodeus Trosellus, henricus Soldanus, dotorius de Cortandono et Bigus.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et iussu domini Alberti de Fontana potestatis Astensis scripsi.

In valle Trevezie et Plana Astensi.

CXLVI. De Montafia.

784. *De sentencia lata in favorem communis Ast contra Obertum de Montafia et fratres continente quod ipsi fratres fidelitatem faciant dicto comuni de tercia parte castri et ville Montafie, et de investitura in eos facta per dictum comune et de fidelitate per ipsos facta ipsi comuni de dicta tercia.* 1191.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo primo Indictione nona, de lite et controversia que vertebatur inter Astenses consules de comuni quorum nomina sunt Nicholaus Gardinus, Oppizo de Vivario, Rollandus Crivellus, Ubertus layolius et Jacobus Careocius, et consules iusticie, quorum nomina sunt henricus Soldanus et Birardus Ginorius nomine et vice comunis Astensis, et ab altera parte Obertum de Montafia pro se et pro fratribus suis, ut ipse Obertus confessus fuit, que talis erat, petebant enim predicti consules nomine Astensis comunis a predicto Oberto et fratribus suis, quatenus sibi pro comuni facerent fidelitatem qualem vasallus facit domino suo pro tercia parte castri, ville ve Montafie, quam tenebant, et quam Rogerius quondam Avus eorum dedit comuni Astensi in alodium, unde predicti consules publicum ostendebant instrumentum. Cui petitioni predictus Obertus pro se et fratribus suis contra ferebat. Nos Mainfredus Avotarius de Montecucho, Rogerius de Curia et Scarampus in quorum arbitrio utraque pars stare promiserat auditis hinc inde allegationibus et confessionibus per sententiam diximus quatenus predictus Obertus aut unus ex fratribus suis pro se et fratribus suis faciat fidelitatem memoratis supra consulibus pro Astensi comuni pro prefata tercia parte castri et ville de Montafia sicut vasallus facit domino, Illis consulibus predictum obertum et fratres eius prius investientibus de predicta tercia parte predicti loci nomine recti feudj. Actum urbe Aste in domo comunis in publica credentia per campanam coadunata, interfuerunt testes, Rollandus Sinistrarius, Guilelmus durnasius, Ubertus de Cario et plures alij die lune tercio decimo kallendas Junij ut supra legitur actum fuit. Item die dominico septimo kallendas Junij in publica concione facta et coadunata in mercato ante ecclesiam sancti Secundj in urbe Astensi a predictis consulibus de comuni et de iusticia et henrico Soldano consule de iusticia et consulibus populi, quorum nomina sunt Berrardus Bertramus, Jacobus palius, Arnaldus de platea, supradicti consules de comuni et de iusticia et populi, populo laudante et confirmante investiverunt Obertum de Montafia et Oddonem fratrem ejus pro se et fratribus suis nomine recti feudj nominative de tercia parte castri et ville Montafie cum omni posse et districtu suo quam quondam Rogerius de Montafia dedit olim comuni Astensi Et pro inde prefatus Oddo pro se et pro Oberto fratre suo presente et sibi precipiente et pro alijs fratribus suis fecit fidelitatem predictis consulibus pro comuni Astensi sicut vasallus facit domino, In qua fidelitate iuravit idem Otto pro se et fratribus suis supra dei evangelia predictam terciam partem predicti loci hominibus de Aste non vetare nec defendere muritis aut scaritis, quin faciant pacem et guerram cuicumque voluerint. Interfuerunt

testes Jacobus Scarampus, Jacobus Sylvaticus Clavarij et Jacobus Boviculus notarius et multi alij.

Ego Thomas notarius hanc cartam scripsi.

CXLVII. De Ducino.

785. *De condemnatione sentencialiter facta in favorem comunis Ast contra Raymondum Asinarium, continente quod possessio Ducini occupati per dictum Raymondum libere dimittatur seu restituatur dicto communi.* 1254. 6 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo quarto, Indictione duodecima die veneris sexto mensis februarij testes Guilelmus Bottus, Bauduynus de Solario, Rofinus pelleta, Bonusiohannes Boneva, Oliverius sartor de Sancto Mauricio, Boconus nuncius comunis et plures alij. Et inde plures sentencie iusse sunt fieri unius tenoris. Causa talis seu questio, vertebatur inter dominum Opizonem Guercium sindicum et procuratorem communis Astensis nomine ipsius comunis ex una parte, et Raymundum Asinarium ex alia coram domino Ottone de Canevanova potestate Astensi in hac forma, Contra Raymundum Asinarium dicit et proponit Oppicio Guercius sindicus comunis Astensis nomine ipsius comunis, quod detentio, seu possessio sive quasi possessio castri et ville et hominum et contiti et iurisdictionis de ducino cum pertinentijs debet pervenire in comune Astense, unde dictus sindicus nomine dicti comunis dictam possessionem seu quasi possessionem sibi dimitti seu restitui postulat, quia ad dictum comune Astense pertinet, unde dictus dominus Otto de Canevanova potestas Astensis visa petitione, et visis et cognitis rationibus instrumentis et allegationibus utriusque partis, et super his diligenti deliberatione pensata in scriptis per sentenciam condemnavit suprascriptum Raymondum secundum formam petitionis predicte, cum aperte pateat per publica instrumenta et per capitulum civitatis Astensis predicta omnia que in petitione continentur ad comune Astense pertinere, salvo iure ipsius Raymondj in possessionibus et terris acquisitis ab eo in territorio et posse ducinj extra castrum et villam eiusdem loci, dummodo ipse terre vel possessiones non sint nec fuerint de feudo comunis Astensis. Lata Ast in pleno concilio super voltis de dom.

CXLVIII. De Musanzola.

786. *De sententia lata in favorem comunis Ast die veneris VI° Martij continente quod locus Musanzole cum iurisdictione et hominibus libere dimittantur dicto comuni Ast, Salvis iuribus hospitalis sive Mansionis Musancie.* 1187. 12 Decembris.

Die veneris sexto mensis Marcij, contra dominum Guilelmum Barezanum rectorem et ministrum mansionis sive hospitalis Musancie nomine mansionis et hospitalis predicti dicit et proponit dominus Oppizo Guercius sindicus comunis Astensis nomine ipsius comunis quod locus Musanzole cum hominibus et Contitu Musanzole et eius iurisdictione spectat et spectare debet ad comune Astense et pervenire debet in comune Astense, et specialiter auctoritate cuiusdam statuti seu ordinamenti firmati per sentenciam sive auctoritate ipsius sentencie, quod statutum sive ordinamentum dominus

Albertus de Fontana olim potestas Astensis voluit et consilio credendariorum per campanam congregatorum fecit et per sentenciam pronunciavit secundum quod patet per instrumentum dicti statuti sive dicte sentencie factum a Jacobo Boviculo notario in anno domini MCLXXXVII° Indictione quinta XII° mensis decembris, Et quod instrumentum est autenticatum per Henricum Fornarium notarium unde dictus sindicus petit a potestate quatenus mandando dictam sentenciam executioni seu attendendo predictum statutum faciat expediri predicto sindico comunis nomine ipsius communis Astensis, locum Musanzole cum hominibus et contitu, et iurisdictione. Post hoc predictus dominus Guilelmus, minister et rector predicte mansionis dixit et confessus fuit ante presentiam domini Cursi Sedacij Judicis et vicarij domini Ottonis de Canevanova potestatis Astensis, quod Nolebat de predictis rebus placitare vel causari cum comune sed illas penitus dimittebat predicto comuni, salvo iure predicte mansionis, unde dictus Judex visa predicta petitione et confessione dicti Ministri et dicta sententia sive ordinamento pronunciavit per sentenciam predicta esse expedienda comuni Astensi secundum formam predicte petitionis, salvo Jure dicte mansionis, Et inde sentenciam fieri iussit sub porticu Astensis ecclesie, presentibus testibus Thoma Aycardengo, Berrardo Gareto, Ugoneto fabro et Alexandro Carenzano et pluribus alijs.

CXLIX. De Sulberico.

787. *De dominis Rufino de Sulberico, Manfredo et Guidone fratribus de Curia dominis Sulberici, ac de hominibus Ville Sulberici effectis civibus Ast sub quibusdam conventionibus et pactis, inferius declaratis.* 1224. 22 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima die veneris undecimo kallendas Aprilis, In nomine domini nostri Yhesu christi amen et ad honorem gloriose et beate virginis Marie et beati secundi Martiris et omnium sanctorum et sanctarum dei, et ad honorem et commodum totius communis Astensis, presentia testium infrascriptorum dominus Rufinus de Sulberico et dominus Manfredus et dominus Guido fratres filij quondam domini Gualle de Curia protestantur sese esse cives et constituunt sese esse cives civitatis Astensis. Preterea Manfredus de Rupe et Henricus Bessucius consules hominum de Sulberico suo nomine et nomine comunis Sulberici, et omnium hominum habitantium in Sulberico, et illorum qui ibidem decetero habitare voluerint consensu et voluntate predictorum dominorum Rufinj, Manfredj et Guidonis vel alibi in posse Sulberici de consensu comunis Astensis et consensu et voluntate predictorum dominorum Rufinj, Manfredj et Guidonis volunt esse cives et constituunt suo nomine et predictorum se et ipsos et heredes eorum esse cives civitatis Astensis secundum modum formam et tenorem infrascriptum et infrascriptam, et promiserunt per sese suosque heredes domini predicti, et predicti Manfredus et henrichus suo et omnium predictorum et infrascriptorum hominum et comunis Sulberici nomine domino Frasso Maglato Judici et vicario ac assessori dominj Pagani de petrasancta potestatis Astensis nomine et vice comunis Astensis recipienti omnia suscripta et infrascripta attendere et observare in perpetuum prout infra legitur et continetur. Forma vero eorum citaynatici et promissionum hec est. Tale pactum et conventum stipulatione firmatum faciunt homines de villa Sulberici eorum nomine et nomine

comunis Sulberici per sese suosque heredes et per omnes alios homines qui venerint stare vel habitare in posse Sulberici ad voluntatem comunis Astensis, et salvo honore comunis Astensis, Videlicet quod fiunt cives et constituunt sese esse cives Astenses decetero sicut sunt illi de porta Archus, dando et dare promittunt comuni Astensi exercitum itinera cavalcatas et succursus et facere pacem et guerram contra omnes homines pro comuni Astensi, salva ratione predictorum dominorum suorum, in his que ipsi domini retinuerunt in se, ita quod propter hoc non diminuatur aliquid de hjs que conceduntur promittuntur et conventantur, per ipsos dominos, et per homines de Sulberico comuni Astensi, et quod promittunt dare fodrum comuni Astensi et facere ceteras alias consuetudines sicut alij cives de civitate Astensi totiens quotiens civitas ad fodrum venerit, sicut alij cives de civitate dederint. Item predicti domini, scilicet Rufinus, Manfredus, et Guido, dimittunt remittunt et absolvunt omnes tortos et fodrum illis hominibus pro libris trecentis quas predicti homines solvere debent et promiserunt eisdem dominis per hos terminos scilicet hinc ad sanctum Michaelem libras centum, et ex inde usque ad sanctam Mariam de medio Augusto proximo sequenti alias libras Centum, et ab ipsa sancta Maria usque ad unum annum alias libras centum, Et pro predictis libris trecentis volunt ordinant et petunt predicti domini et homines quod tercia pars strate et tercia pars mercati sint comunis Astensis, et alia tercia sit predictorum dominorum Rufini, Manfredi, et Guidonis et altera tercia sit comunis ville, Et comune Astense debet eis constituere mercatum tali modo quod comune Astense faciet preconari quod quilibet secure vadat ad mercatum qui Ire voluerit ad illum diem, quo ipsi domini et homines de Sulbrico statuerint excepto die martis, vel die sabbati, que omnia predictus Judex nomine comunis Astensis et consilio utriusque credentie et Rectorum societatum per campanam et nuncios congregate et congregatorum, et ore ad os interrogate et scripte, et interrogatorum et scriptorum totius vel duarum partium concessit et ita attendere promisit, et quod ad voluntatem comunis Astensis dabit eis stratam ita tamen quod aliquis de Aste nec de posse Astensi in strata nec in mercato non debeat dare pedagium nec curayam nec aliud scuffium, et ita quod pedagium non accipiatur occasione strate nisi cum consilio comunis et quantum comune voluerit, et si contingeret quod acciperetur aliquo tempore voluntate comunis Astensis, tunc habeant partem ipsius pedagij ut superius dictum est. Item actum est inter dominum Frassum nomine comunis et predictos dominos et homines de Sulberico quod tercia pars successionis hominis advene, qui in dicta villa vel posse absque voluntate sui domini habitare venerit sit dictorum fratrum, et alia tercia pars comunis Astensis, et alia tercia comunis ville, si sine penitentia et legato et filio vel filia decesserit, Et si decederet cum penitentia et dimiserit terciam partem bonorum suorum comuni Astensi et predictis fratribus et comuni ville, de duabus partibus possit facere quicquid voluerit, Et si venerit habitare cum voluntate sui domini, si sine penitentia et filio vel filia decederet, quod eius successio ad dominum suum deveniat, Et si domino suo dimiserit terciam partem bonorum suorum, de duabus partibus faciat ad voluntatem suam. Illud idem pepigerunt dicti domini cum suis hominibus videlicet quod si aliquis vel aliqua decederet sine filio vel filia, et sine confessione vel penitentia, quod quilibet dictorum dominorum scilicet, Ruffinus, Manfredus, et Guido suis hominibus succedat, Et si cum penitentia decederet et terciam

partem bonorum suorum suo domino legaret, de duabus partibus quicquid voluerit faciat et facere possit. Alioquin si non legaret suo domino terciam partem bonorum suorum, quod domini predicti insolidum succedant. Item de omnibus questionibus sive placitis a solidis viginti infra, que fierent in Sulberico et eius posse medietas datarum sive iudicature sit predictorum dominorum et altera comunis illius ville. Item de omnibus bannis que fierent et constituerentur inter ipsos secundum formam suorum statutorum, et de querimonijs que ibi fierent inter eos salvis capitulis precedentibus et subsequentibus, et hjs que concessa sunt comuni medietas sit predictorum dominorum, et altera comunis illius ville. Item de omnibus causis que essent in Villa sulberici a solidis viginti supra voluntate hominum spontanea et non cohacta similiter medietas datarum sive Iudicature sit predictorum dominorum, et altera comunis illius ville. Item quod dicti domini de aliqua iniuria vel de aliquibus iniurijs quam vel quas usque ad hodiernum diem alicui vel aliquibus homini vel hominibus suo vel suis intulerint quoquo modo non possint constringi eis inde facere rationem a potestate Astensi nec ab aliqua persona, Et quod dicti homines inde faciant ipsis dominis pacem finem et refutationem et pactum de non petendo prout sapiens dixerit, Ita quod nullo modo decetero predicti domini a predictis hominibus conveniri vel inquietari possint nec debeant. Item si aliqua causa fuerit in dicta villa, et ab ea appellatum fuerit, quod ab ea appellari debeat ad potestatem Astensem vel ad ipsos dominos prout appellanti placuerit, ita quod de hoc ab aliquo prohiberi non possit nec debeat ita quod comune Astense habeat datam de causis, de quibus ad ipsum fuerit appellatum, Et domini predicti et comune illius ville habeant datam de causis de quibus ad ipsos fuerit appellatum. Item hoc actum est inter predictos homines et predictos dominos et comune Astense quod dicti domini omnia alia preter predicta et infrascripta que usque nunc habuerunt vel habere visi sunt in loco Sulberici et hominibus predictis tam in contili quam iurisdictione et in aquatico et in castro et omnibus alijs cum omni honore preter quam supradictis in fodro et alijs que exceptata sunt et concessa comuni supra et infra, et ita quod illud quod tenent a comuni, teneant sicut tenere consueverunt, in sese retinuerunt, ita quod penes eos firma et illibata remaneant, Eo intellecto quod in ipsos homines domini fodrum nullum vel tortum capere possint, Et quod de causis et querimonijs a solidis xx.ti supra, et alijs que concessa sunt communi Astensi supra et infra respondeant sub comune Astensi, Et si aliquis de civitate Astensi vel burgis vel de posse et districtu Astensi conqueri voluerit de aliquo vel de aliquibus hominibus predicti loci quod debeant eis facere rationem sub iudice et potestate Astensi cuiuscumque quantitatis fuerit causa illa. Item quod si aliquis conqueri voluerit de predictis dominis quod debeant facere rationem sub iudice et potestate Astensi tam in contractibus vel quasi, quam in maleficijs vel quasi, exceptis de maleficijs preteritis, sed in omnibus alijs tam preteritis quam futuris teneantur facere rationem qualiscumque fuerit causa illa vel cuiuscumque quantitatis sub comuni Astensi, Ita tamen quod occasione alicuius maleficij non possit comune Astense super feudis que ab aliquibus pro ipsis gentiliter tenentur regressum habere vel guastare, Eo excepto quod comune Astense possit capere godiam que esset in illo anno, quo maleficium esset commissum in illo feudo et non plus, Eo salvo quod comune omnia mobilia possit accipere pro maleficio

et alodia ipsius ubicumque sint, et quod de bannis et comocijs que capientur in ipso loco per potestatem Astensem ab hominibus ipsorum dominorum medietas sit comunis Astensis et alia medietas sit predictorum dominorum. Eo salvo quod partem aliquam in predictis bannis non habeant usque ad sanctam Mariam candelariam, sed banna quomodo in ipsos dominos capientur sint comunis Astensis insolidum, Ea vero banna que capientur per comune Astense secundum formam capitulorum Astensium in alijs hominibus qui non sunt ipsorum dominorum vel in alijs qui amodo stare venerint in ipsa villa et habitare sint comunis Astensis. Item quod potestas seu consules vel rectores in Aste per tempora existentes teneantur et debeant iurare omnia predicta attendere et attendj facere ut superius scripta sunt, ita quod aliquod capitulum vel statutum quod nunc factum sit vel decetero fieret in aliquo predictis nocere non possit nec debeat. Et pro hjs omnibus attendendis iuravit predictus iudex nomine et vice comunis Astensis se in perpetuum non exacturum aliquo modo sub aliquo ingenio aliquid ultra quam supra et infra dictum est a predictis dominis vel hominibus vel in ipsos dominos et homines vel in rebus eorum et omnia predicta attendere et observare in perpetuum et tenere firma, Et quod de anno in annum decetero ita iurabunt attendere, et quod ponent vel poni facient speciale capitulum in brevi sive capitulo comunis quod potestas vel consules seu rectores Astenses teneantur de anno in annum iurare predicta et infrascripta tenere firma, et facere iurare similiter credentiam et homines de Aste quando facient sacramentum sequiminis, quod predicta et infrascripta attendent et observabunt perpetualiter. Et hec omnia facient predicti domini salvo omni jure et omni tenore Astensis ecclesie et Astensis episcopi in tantum quantum est feudum Astensis ecclesie, Et salvo omni jure et omni honore comunis Astensis, in tantum quantum est feudum comunis Astensis, Salvo eo quod ex tali retentione et salvatione, aliquid ex hjs, que concessa ab ipsis dominis et hominibus de Sulberico comuni Astensi sunt, non diminuatur vel infrigatur, quo minus attendantur et attendj debeant, ac observentur omnia ea que comuni sunt concessa, et superius et inferius denotata. Item quod dicti domini et homines predicte ville non possint nec debeant capere seu habere aliquem pro potestate nisi de civitate Astensi vel districtu vel nisi esset homo de ipsa villa, nisi de consilio comunis Astensis, Eo tamen salvo quod ubicumque continetur, quod tercia pars sit dominorum predictorum, quod Bergogninj habeant in ipsa tercia parte id quod in ea habere deberent pro rata sue partis, et quod cognitum esset ipsos habere debere per rationem. Et hec omnia facta sunt inter predictos salvis omnibus rationibus et iusticijs Bergogninorum. Et hec omnia superius per (prout) singula sunt denotata dominus Frassus Maglatus iudex vicarius et assessor domini pagani de petrasancta potestatis Astensis nomine et vice comunis Astensis consilio et voluntate credentie utriusque et rectorum societatum per campanam et nuncios congregate et congregatorum et interogatorum et scriptorum et scripte totius vel duarum partium, et predicti domini Rufinus, Manfredus et Guido, et predicti Manfredus et henricus suo nomine et nomine omnium hominum predictorum et nomine tocius comunis Sulberici, presentibus et consentientibus Mainfredo Bessucio, Albrico Graneto et Oberto Graneto et Albrico Scamucio et Martino de porta et Odino pipo et Obertino pellina et Soldano de Barcellario et henrico Gazocho et Mainfredo Falzono omnibus de Sulberico, promiserunt et iuraverunt inter se se ad

invicem stipulantes attendere et facere attendj et observare et facere observarj nec in aliquo contravenire perpetuo per se suosque heredes, Renunciando omni iuri, quo aliqua partium se tueri possit, et specialiter illj iuri, ne possint pretendere se sine causa fore obligatos. Huius autem tenoris plura sunt iussa fieri instrumenta, quorum unum scilicet istud est comunis Astensis. Actum Aste in ecclesia sancti Johannis de dom in publica credentia, testes interfuerunt Berrardus Cassanus Clavarius comunis, et Mussus de Curia, et Rollandus Ameotus et Brunetus nuncij comunis et Sorleonus nuncius comunis.

Et ego Guilelmus Trosellus hanc cartam scripsi.

CL. De Castronovo de Rippaalba.

788. *De sindicatu domini Guilelmi Bruni constituti sindici comunis Ast ad complendum et firmandum tractata inter dictum comune ex una parte et dominos de Castronovo de Rivalba ex altera.* 1288. 28 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, Indictione prima, die Jovis vigesimo octavo octubris, dominus Anthonius de Cereta potestas Astensis consilio et voluntate atque beneplacito rectorum omnium societatum tam militum sancti secundj, quam quatuor societatum, et generalis consilij communis Astensis congregati super voltis de dom et convocati per campanam et nuncios more solito, et ipsi Rectores et credendarij sive consiliarij cum decreto et auctoritate dicti domini potestatis nomine comunis Astensis, fecerunt constituerunt creaverunt atque ordinaverunt dominum Guilelmum Brunum Judicem licet absentem, eorum et dicti communis certum nuncium sindicum actorem et procuratorem et omne id quod melius esse potest ad complendum faciendum et ordinandum et effectui mancipandum omne et totum id quod tractatum est fieri per comune Ast sive per rectores quatuor societatum populi nomine ipsius comunis ex una parte, et dominos de Castronovo de Rivalba ex altera, tam super pactis et conventionibus tractatis inter ipsas partes complendis et effectui mancipandum omne et totum id quod tractatum est fieri per comune Ast sive per Rectores quatuor societatum populi nomine ipsius comunis ex una parte, et dominos de Castronovo de Rivalba ex altera, super pactis et conventionibus tractatis inter ipsas partes complendis et effectui tradendis quam super citaynatico ipsorum dominorum faciendo eisdem et sediminibus dandis, et super faciendis pactis et conventionibus cum hominibus dicti loci castrinovi, et alijs omnibus et singulis faciendis et ordinandis firmandis et effectui tradendis et promittendis secundum quod ei melius videbitur expedire tam pro dicto comuni, quam pro dominis et hominibus predictis et quolibet ipsorum, Et ad venditionem nomine dicti communis recipiendam a dictis dominis de dicto castronovo et iurisdictione et pertinencijs dicti castri, quam ad solutionem faciendam eisdem de precio dicte venditionis, et ad obligandum ipsum comune et bona ipsius comunis occasionibus predictis et qualibet earum, Et generaliter ad omnia et singula facienda que in predictis et circa predicta seu aliquod predictorum vel pertinentia ad ea vel aliquod eorum eidem sindico actori et procuratori facienda videbuntur, seu eidem nomine dicti comunis videbitur expedire, et que dictus potestas consilium et comune facere posset, Concedendo eidem sindico in predictis et quolibet predictorum et

pertinentibus ad ea vel aliquod ipsorum plenam liberam et generalem administrationem potestatem facultatem et plenum mandatum promittendo dicti dominus potestas consiliarij et Rectores nomine et vice dicti communis michi notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine cuiuslibet cuius interest vel intererit seu interesse posset ratum habere et tenere perpetuo et attendere et observare et nullo tempore contrafacere vel venire per sese vel per personas submissas totum id quod per dictum sindicum actorem vel procuratorem factum fuerit et procuratum aut promissum vel gestum in premissis et quolibet premissorum, et in pertinentibus ad ea vel ad aliquod ipsorum sub obligatione omnium bonorum suorum et communis predicti que omnia michi notario infrascripto stipulanti et recipienti ut supra pignori obligaverunt, Renunciantes in predictis et quolibet predictorum ex certa scientia exceptioni doli mali et in factum condictioni sine causa et ex iniusta causa, statutis et capitulis civitatis Astensis et omni iuri tam ecclesiastico quam seculari seu municipali, quibus vel quo mediantibus possent venire contra predicta, vel aliquod predictorum de iure vel de facto. Actum Ast super voltis de dom, testes Alegrinus Beconatus preco comunis Astensis, Jacobus Morandus, Arnaldus de Solayrolio nuncius et dominus Albertus de Baldechonis Judex et vicarius domini potestatis.

Et ego Jacobus Malbechus notarius, pallatinus interfui et sic scripsi.

789. *De pluribus dominis tam de Castronovo quam de Playa dominis Castrinovi predicti receptis in civibus Astensibus sub certis conventionibus et pactis.* 1288. 3 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo Indictione prima die mercurij tercio novembris dominus Antonius de Cereta potestas Astensis voluntate consilio et consensu omnium Rectorum societatum et credendariorum quorum nomina inferius describuntur per campanas et nuncios more solito congregatorum super voltis de dom, et ipsi rectores et credendarij interogati de ore ad os more solito auctoritate potestatis predicti in pleno et generalj consilio nemine discrepante recepit et receperunt dominos Ubertum de Castronovo et Henricum fratres, nomine eorum et nomine Obertinj fratris eorum, et ex nunc auctoritate presentis consilij pro recepto habeatur, et sit, et Obertinum et Rofinum suo nomine et nomine domini Raynerij eorum fratris, cuius Raynerij est procurator dictus Rufinus ut patet per instrumentum inde factum per Jacobum de Bayono notarium hoc eodem anno et indictione die veneris vigesimo secundo octubris, Et Guietum suo nomine et nomine fratris sui Oddonis, cuius procurator est ut patet per instrumentum inde factum per Jacobum de Bayono notarium hoc eodem anno et Indictione die eodem veneris XXII° octubris, Et facinum de playa suo nomine et nomine consanguineorum suorum scilicet Guilelmi, Mainfredi, Henrici et obertinj filiorum quondam domini Rofinj de Playa, quorum procurator est ut patet per instrumentum inde factum per dictum Jacobum de Bayono notarium hoc eodem anno et Indictione die..... In cives civitatis Astensis sub pactis et condictionibus infrascriptis et inferius denotatis videlicet, Quod predicti domini per sese et eorum heredes et ab eis descendentes sint et esse debeant amodo in antea cives Astenses, ita quod utantur et gaudeant beneficijs et privilegijs civium Astensium habitantium in civitate

Astensi vel burgis coherentibus civitati et specialiter ad portam archus, et turris et aliarum portarum civitatis Astensis et faciant et facere debeant et teneantur tanquam boni cives Astenses servicia comunis Astensis et pacem et guerram vivam et non recredutam de sese ipsis et eorum terra et hominibus pro dicto comuni Astensi contra quascumque personas sicut alij boni cives civitatis Astensis. Salvis communi et hominibus Carij et pactis eorum, que ipsi domini habent cum ipso communi, et quod ipsi domini teneantur per sese et heredes eorum et descendentes in perpetuum solvere fodrum in civitate Astensi quandocumque et quotienscumque civitas Astensis ad fodrum pervenerit prestum et taliam generaliter de libris ducentis Astensibus tantum, videlicet libras quinqueginta Astenses pro quolibet hospitio dictorum dominorum, hoc est, dominus Obertus, henricus et obertinus fratres pro uno hospitio et quarta parte tantum, domini Raynerius Rufinus et obertinetus fratres pro alio hospitio et alia quarta parte tantum, domini Oddo et Guietus pro alio hospitio et alia quarta parte tantum, domini Facius de playa et consanguinei, Guilelmus, Maynfredus, Henricus et obertinus filij quondam domini Rufini de playa pro alio hospitio et alia quarta parte tantum, et ultra predictam quantitatem eis per potestatem vel comune vel aliquos ad hoc deputatos seu constitutos imponi non possit nec debeat ullo modo vel ulla occasione militia, mutuum sive prestum impositio aliqua seu aliquod aliud onus quomodocumque nominetur et censeatur seu nominari possit, Et si imponeretur ipso iure pro non imposito habeatur, Salvo eo quod acquirerent in Ast, vel posse Astensi deinceps, de quo solvere teneantur prout alij cives Astenses, Et si quas possessiones predicti domini vel aliquis ipsorum habent modo in posse Astensi seu villis de Ast, de quibus forte fodrum solvant, quod illud fodrum deinceps solvere teneantur sicut modo solvunt et non aliter, Et in hoc casu acquistum non intelligatur, si unus ex ipsis dominis seu aliqui ipsorum acquirerent seu acquireret ab alio vel ab alijs dominis de possessione seu possessionibus quas nunc habent, de quibus solvere non teneantur nisi de quantitatibus supradictis seu respectu quantitatis rerum acquisitarum, si forte venditor deficeret in solutione quantitatis supradicte respectu sue partis venditionis. Nec etiam intelligatur acquisitum quantum ad solutionem fodri si supradicti domini vel aliquis ipsorum abquirerent aliquid in castris et villis proprijs ipsorum dominorum, de Millitijs autem que imponuntur per comune in Ast et posse, cum imponentur possint capere habere et tenere secundum quod possent convenire cum illis civibus quibus imposite essent serviendo comuni de ipsis militijs et habendo de hjs sicut alij cives tenentes millitias facerent et haberent. Versa vice comune Astense potestas et rectores presentes et futuri ex pacto speciali teneantur dictos dominos et eorum heredes et descendentes ab eis et quemlibet eorum et eorum iura defendere adiuvare et manutenere ad ipsa iura habenda tenenda et recuperanda ubique pro posse et bona fide salvo comuni et hominibus Carij, et eorum pactis que dictum comune Ast, habet cum dictis comuni et hominibus Carij, et comune Astense teneatur dare predictis dominis sedimina convenientia in quibus possint facere hedificia convenientia pro eorum stallis, hoc acto expresse et salvo quod non possint constringi ullo tempore facere stallum seu habitaculum in civitate Astensi seu burgis eidem coherentibus cum familia seu sine nisi tempore guerre, quo tempore guerre teneantur stare in Ast seu burgis predictis si

preciperetur eis a comuni, seu a potestate Astensi vel ab alio pro comuni, et si non haberent licenciam ab ipso comuni vel a potestate Astensi. Item actum est et promissum per dictum comune predictis dominis, quod quatuor ex ipsis dominis ad minus vel descendentibus ab eis sint et esse debeant de consilio prime credentie comunis in perpetuum cum effectu ultra numerum constitutum aut etiam constituendum per capitula civitatis Astensis, plures autem esse possint si eligerentur per deputatos ad hoc, quos quatuor eligere possint inter sese ad eorum voluntatem. Item actum est et promissum inter dictas partes, quod potestas Astensis iudices et quicumque magistratus civitatis Astensis, nunc et per tempora in regimine civitatis Astensis existentes non prestent audientiam alicui vel aliquibus undecumque sint, qui vellent predictos dominos vel aliquem ipsorum seu habentes causam ab eis appellare vel convenire molestare vel inquietare de iure vel de facto occasione possessionum et iurium que et quas in se retinuerunt et habent tenent et possident vel quasi, nec aliqua alia ex causa, quantum est pro factis preteritis tantum nec ratione alicuius cambij vel represalie hinc retro concesse, nec ratione aliquarum condemnationum bannorum seu cartarum laudis vel cambij olim factarum contra predictos dominos seu aliquem ipsorum vel eorum homines per potestatem seu per Rectores sive magistratus comunis Astensis, Sed potius illud cambium carte cambij et condemnationum, et ipse condemnationes et banna ipso iure sint nulle et nulla et casse et cassa, ac irrite et inanes, et ipso iure sint a predictis omnibus absoluti et pro absolutis habeantur tam ipsi quam eorum homines, Et si que condemnationes seu banna reperirentur vel apparerent data seu facte contra predictos dominos vel homines eorum vel aliquem ipsorum, quod potestates per tempora existentes teneantur ipsos et quemlibet ipsorum, et ipsas condemnationes et banna facere canzellari sine aliquibus expensis ipsorum vel alicuius ipsorum quandocumque inde ab eis vel aliquo ipsorum seu ab alio pro ipsis fuerint requisiti, Et si contingeret quod questio aliqua verteretur inter predictos dominos ex aliqua causa, de qua fieret querimonia coram potestate Astensi seu coram aliquo ex iudicibus, quod illam teneatur et debeat cognoscere summarie absque libelli datione et sine forma cause et sine strepitu iudiciorum et eam difinire sine aliqua data seu iudicatura solvenda, et quod pronunciatum fuerit seu difinitum ut supra faciat inviolabiliter observari aliquo capitulo non obstante. Item actum est et promissum ut supra, quod quandocumque placuerit, et si placuerit dominis de Rivalba ipsos recipi in cives Astenses, potestates qui per tempora fuerint in regimine civitatis Astensis et comune Ast teneantur et debeant ipsos recipere in cives Astenses predicto modo et pactis et condictionibus suprascriptis dominorum de Castronovo, Salvis domino Episcopo Taurinensi et comuni Carij, Et curare et facere quod ipsi recipiantur in quatuor societatibus vel aliqua ipsarum ad voluntatem ipsorum aliquo capitulo societatum non obstante, et hoc infra quinquenium. Item actum est et promissum, quod dicti domini Castrinovi, castrum montisrotundj non possint vendere donare vel alienare seu aliquo modo in aliquas personas transferre titulo aliquo vel causa, nisi in comune Astense vel in commune Carij vel aliquos de Ast vel de Cario, dummodo comune Ast vel Carij, aut aliquis de Ast seu de Cario vellet in eo tantum dare, qnantum ab alio revera habere possent, Et quod aliquis modo habitans in castronovo vel posse non possit amodo in antea ire ad standum seu stare vel habitare in Monterotondo,

vel posse vel alibi in terra predictorum dominorum, Et si Iret vel staret incontinenti inde expellatur. Eo salvo quod domus Oberti Ferarij et nepotes teneantur servire predictis dominis de eo quod habent in Monterotondo, quod tenent ab eis in feudum sicuti alij consortes dicti oberti et nepotes faciunt et facere consueverunt, Et eodem modo intelligatur de feudo Roncinj et quod appellatur redditus curie, quod tenent illi de Vineis et consortes in posse et territorio dicti loci Montisrotondj ita quod quicumque possessores teneantur et debeant servire dictis dominis, et respondere sicut eisdem dominis soliti sunt servire, et aliquis homo habitans in Monterotondo vel posse non possit amodo in antea ire ad standum seu stare vel habitare in castronovo vel posse vel alibi in terra communis Astensis, Et si iret et staret incontinenti expellatur. Que omnia et singula supradicta dictus potestas, Rectores et credendarij nomine comunis Astensis ex una parte, et dicti domini de Castronovo eorum nominibus et nominibus illorum, quorum procuratores sunt ex altera, promiserunt sibi adinvicem stipulantibus attendere et observare perpetuo per sese et eorum successores et heredes et non contravenire de iure vel de facto, sub pena restitutionis damnorum expensarum et interesse non obstantibus aliquibus capitulis statutis vel ordinamentis, consilijs publicis vel privatis factis vel faciendis, Et pro inde dicti potestas Rectores et credendarij ac consiliarij predictis dominis recipientibus eorum nominibus et predictis omnia eorum bona et dicti communis, et dicti domini eorum nominibus et predictis suprascripto potestati rectoribus et credendarijs et consiliarijs nomine comunis Astensis omnia eorum bona et predictorum pignori obligaverunt. In quo consilio predicti domini eorum nominibus et predictis ad sancta dei evangelia corporaliter iuraverunt utpote boni cives Astenses attendere et observare et obedire preceptis domini potestatis et successorum eius, et facere exercitus et cavalcatas itinera et succursus pacem et guerram et alias condictiones et consuetudines civitatis Astensis secundum formam superius denotatam et scriptam, Et predicto iuramento prestito ab eisdem dominis eorum nominibus et predictis ipsos per baculum quem in manibus tenebat investivit et de omni honore eidem citaynatico pertinente, promittendo nomine dicti comunis predictis dominis, ipsos et quemlibet ipsorum defendere manutenere et tractare habere et tenere in perpetuum tanquam bonos cives Astenses tam in personis quam iuribus eorundem omni modo et forma, quibus melius et utilius poterit bona fide toto posse, Et presens instrumentum habeat vim capituli et statuti et observari debeat per potestatem et comune Astense tanquam capitulum speciale et precisum, et pro capitulo habeatur sicut alia capitula posita in libro capitulorum civitatis Astensis, Et quod apponatur in libro capitulorum comunis Astensis capitulum speciale continens quod potestas teneatur ad observanciam predictorum, et licet non apponeretur semper pro apposito habeatur, nec possit modo aliquo inde amoveri canzellari vel aboleri, Et si aliquo casu amoveretur, canzellaretur mutaretur aboleretur vel in aliquo contrafieret suprascriptis nichilominus potestas vinculo iuramenti ad observanciam predictorum (teneatur,) Et si contrafieret vel fieri pateretur, notam infamie incurrat, Et insuper perdat pro pena libras quinqueginta de suo proprio dandas supradictis, et eam penam exigere possint cum effectu ultra penam capitulorum in sua firmitate durantem. Nomina rectorum et credendariorum sunt hec, domini petrinus de Ayracio, Thomas Rotarius, leo de Solario, dominus Jacobus layolius, Bonefacius de Solario, Francischus pelleta,

Galvangnus Testa, Francischus Cacayranus, Guilelmus de Gorzano, daniel pallidus, dominicus pelleta, Francischus de Castagnolis, Rufinetus Alferius, Manfredus Machalufus, Robertus Bertramus, Raymondinus Garetus, Francischus de Antegnano, Florius Cassenus, Petrus Cassenus, Johannes de Castagnolis, Bonefacius layolius, Gorzanus Garetus, persavallus pedagerius, Francischus Sbaratus, Ubertus Bertaldus, Facinus de Reclusa, Jacobus Cayarave, Alerius de Corsembrado, Jacobus de Cerro, petrinus Formazarius, Andreas Rusnellus, Guilelmus Cazo, Bonefacius de Quargnento, Guilelmus de Antegnano, Baldracus pelleta, Andreas Cassenus, Manuel Garretus, Nicholinus Garretus, Johannes pelleta, Galvagnus de Antegnano, Jacobus Soldanus, Osatonus de platea, Guilelmus pelleta, Petrinus pelleta, Antonius Argentus, Bertholomeus Layolius, Ubertus pallidus, Guilelmus Testa, Bertholomeus de Sanctoiuliano, Robertus pollastra, Petrinus de Ayratio, Rofinus de Arnate, Loysius de Solario, dominus drochus pallidus, Rolandus Thomas, Obertus Asinarius, dominus Guilelmus Brunus, dominus Bertramus de Comentina, Johannes de platea, Fulchus Asinarius, loysius Testa, Johannes de Castellario, paganus Maronus, drochinus pallidus, Georgius de platea, Rogerius de Gerbo, Bonefacius Ottellus, Manuel pecia, petrus penacius, henricus Sarachus, petrus Fusnellus, Berardus Coreacius, petrus Zavaterius, Thomas de Alfiano, Sicardus de Neveis, Jacobus Albus, Gacerius Garetus, Antoninus Bertramus, Arnaldus de Canalibus, Guilelmus de porta, henricus Sartor, Johannes Besterius, Anthonius Rolla, Jacobus Sylvanus, Maynfredus Manteacius, Ubertetus Ypolitus, Robertus Sylvanus, Mucius Ferarius, Baudrachus de Ghigo, Racius Sbaratus, Vivaldus Beconus, henricus de platea, Bertollinus de Ulmo, Rofinetus Garetus, Centorius Strazatus, dominus Jacobus Ysnardus, Manuel Salinarius, peroya Frenarius, Jacobinus de sanctoiohanne, Conradus Bava, Bonefacius Alionus, Germanus de Cornu, persavallus Barletus, Florius de porta, Ogerius de Cazalupa, Thomas laurencius, Jacobus Besustus, dominus Maynfredus pelleta, Thomas de Viallo, Guilelmus Rasparellus, Bonusiohannes Morrus, Henricus de Septimis, Jordanus Berrutus, Gretonus Alamannus, Gandulfus de Gorzano, Feniculus Galea, Jacobus Gaza, Jacobus Rasparellus, Facinus Sylvanus, Bertoldus Tabernarius, Viginti Tabernarius, Ubertus Ursus, Jacobus Morandus, Guilelmus Callandrina. Et inde michi Jacobo Malbecho notario pro comuni et pro dominis supradictis et quolibet ipsorum rogaverunt et precepta sunt fieri unum instrumentum et plura, quorum istud est factum pro comuni Astensi. Actum Ast super voltis de dom, testes Alegrinus Bechonus preco comunis Astensis, Jacobus Morandus, Francischus de Benengo, Jacobus de Bayono notarius de Castronovo, Arnaldus de Solayrolio nuncius et obertus Giniomus.

Et ego Jacobus Malbechus notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

790. *De venditione comuni Ast facta de castro villa et hominibus ac Juribus Castrinovi predicti per dominos de Castronovo et de playa pro precio librarum XIII Astensium.* 1288. 11 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, Indictione prima die iovis undecimo mensis novembris presentia testium infrascriptorum, domini Ubertus henricus et obertus de Castronovo fratres pro quarta parte trium partium, Obertinetus et Rofinus fratres, suo nomine et nomine domini Raynerij eorum fratris, cuius

procurator est dictus dominus Rufinus ut patet per instrumentum inde factum manu Jacobi de Bayono notarij hoc eodem anno et Indictione die veneris XXII° octubris pro alia quarta parte trium partium, Guietus suo nomine et nomine Odonis eius fratris, cuius procurator est, ut patet per instrumentum unum inde factum manu Jacobi de Bayono notarij hoc anno et Indictione die veneris vigesimo secundo octubris pro alia quarta parte trium partium et Facinus de playa suo nomine et nomine consanguineorum scilicet Mainfredj, henrici et Obertinj quorum procurator est generalis ut patet per instrumentum factum manu dicti Jacobi de bayono notarij hoc eodem anno et Indictione die ..... et Guilelmus de Playa frater predictorum Maynfredj, henrici et Obertinj pro quarta parte totius castrinovi iurisdictionis ville contitus et signoritus, vendiderunt et ex causa venditionis confessi fuerunt sese vendidisse et tradidisse domino Guilelmo Bruno sindico comunis Astensis ad hoc specialiter constituto ut patet per instrumentum sindicatus factum manu mei Jacobi Malbechi notarij hoc anno et indictione die iovis XXVIII° octubris recipienti nomine dicti communis Castrum Castrinovi et Villam cum hominibus, et cum eorum partibus turris, que sunt tres partes turris, et cum domibus pallatijs et hedificijs in dicto castro existentibus et sediminibus dicti castri cum omni honore contitu iurisdictione mero et mixto imperio libere et in Alodium quam et quod habent in castro Castrinovi et hominibus et poderio dicti castri, et totum id quod habent in dicto castro pro partibus supradictis, nichil in se penitus retinendo, preter eorum terras et domos quas habent nunc et tenent intus villam predictam et exterius et ortos et ayralia et omnes alias possessiones donneas ubicumque sint in finibus dicti loci et fictus ad tempus concessos, que omnia exceptata in se retinuerunt et retinent libera et immunia ab omnibus exactionibus fodris servicijs et ab omnibus angarijs et perangarijs. Item ex causa venditionis dederunt eorum nominibus et predictis cesserunt atque mandaverunt dicto sindico recipienti nomine dicti comunis omnia iura et actiones realia et personalia utilia et directa reales et personales utiles et directas que et quas ipsi domini habent in rebus venditis per Bonefacium de Castronovo domino Guilelmo Illustri Marchioni Montisferrati in dicto castro et pertinentijs ipsius castri Castrinovi contra ipsum Bonefacium de Castronovo et contra eius res et bona et contra quencumque habentem causam ab eo, occasione cuiusdam instrumenti seu brevis recordationis facti per Michaelem notarium Anno dominice incarnationis MCLXXV. Indictione VIII^a pro precio librarum Tredecimmillium Astensium, Quam quantitatem pecunie predicti domini de Castronovo superius nominati eorum nominibus et predictis confessi fuerunt et in veritate recognoverunt sese habuisse et recepisse integre a dicto sindico nomine communis Astensis, Renunciantes exceptioni non numerati et non recepti precij, Et quod non possint dicere vel opponere sese suo nomine et predictorum deceptos ultra dimidiam iusti precij vel in aliqua parte ipsius precij et omni alij exceptioni et Juri. Tali modo facta est dicta venditio quod dictum comune Astense predictum castrum villam et homines quantum est pro partibus Supradictis et pro iuribus predictis venditis cum omni honore contitu signoritu iurisdictione omnimoda mero et mixto imperio et cum omnibus et singulis pertinentibus ad ea vel ad aliquod predictorum et cum omni usu ingressionibus et egressionibus et cum omnibus iuribus dictis rebus venditis pertinentibus, preter superius exceptata, habeat teneat et possideat seu quasi possideat libere et in alodium, et

quiete absque contradictione predictorum venditorum vel alicuius eorum et cuiuslibet alterius persone collegij vel universitatis habentium causam a predictis, seu ab eis submissis. Quas res venditas et iura predicti domini eorum nominibus et predictis promiserunt dicto sindico nomine dicti communis stipulanti defendere disbrigare et auctorizare ab omni persona collegio et universitate quantum est pro sese et eorum factis et occasione cuiuslibet eorum tantum et non aliter. Quod si defendere nollent aut non possent ut supra aut alio quovis ingenio subtrahere quererent promiserunt dicto sindico nomine dicti comunis reddere et restituere dictum precium prout predicte res valerent per tempora vel extimate essent in consimili loco, cum omnibus damnis expensis et interesse, que et quas dictum comune vel aliquis causam ab eo habens incureret vel sustineret occasione predicta in iudicio vel extra vel alio quocumque modo, credendo de hjs omnibus simplici verbo dicti sindici nomine dicti comunis vel alterius ad hoc deputati pro dicto comuni sine sacramento et alia probatione remissa denunciandj necessitate pro predictis per pactum expressum. Hoc acto in presenti contractu specialiter et expresse, quod domus dictorum dominorum quas ipsi domini seu aliquis ipsorum habent in dicta villa Castrinovi a platea superius versus Castrum non possint levari altius seu extolli vel in sediminibus ipsorum a dicto loco superius hedificare et levare pluribus seu amplius septem punctatis computando a terra usque ad tercium ipsarum domorum. Item actum est specialiter et expressim, quod castrum Montisrotondj cum pertinentijs non cedat in venditione predicta nec intelligatur de venditione predicta, nec de finibus ipsius Castrinovi, sed ipsis dominis remaneat prout ante. Et volentes predicti venditores eorum nominibus et predictis transferre in dictum sindicum nomine ipsius comunis et per ipsum sindicum in ipsum comune, dominium et possessionem seu quasi predictarum rerum venditarum confessi fuerunt sese tenere et possidere seu quasi possidere predicta pro partibus supradictis nomine ipsius comunis Astensis donec et quousque dictus sindicus seu alius pro dicto comuni ad hoc deputatus corporalem de hjs apprehenderit possessionem, quam apprehendere possit et ei liceat nomine dicti comunis, et ipsi comuni quandocumque voluerit sua propria auctoritate sine licencia et decreto iudicis et cuiuslibet magistratus, Ad que facienda et peragenda dictum sindicum nomine dicti comunis et ipsum comune constituerunt procuratorem suum ut in rem propriam comunis. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis omnia eorum bona et cuiuslibet ipsorum eidem sindico nomine dicti comunis pignori obligavit. Renunciando in predictis exceptioni doli mali et in factum condictioni sine causa et ex iniusta causa, et omni alij exceptioni et iuri. Qui Guilelmus iuravit ad sancta dei evangelia corporaliter tactis scripturis, et promisit dicto sindico nomine dicti comunis dictam venditionem et omnia et singula supradicta attendere et observare et ratam et firma habere et tenere perpetuo et non contravenire ratione minoris etatis vel alia ratione, Renunciando beneficio minoris etatis et omni iuri. Insuper dictus Facinus promisit dicto sindico nomine dicti comunis, sic facere et curare cum effectu, quod predicti consanguinei eius ratificabunt approbabunt et facient respectu eorum partium predictam venditionem et omnia et singula supradicta, quandocumque inde a dicto sindico nomine ipsius comunis seu ab ipso comuni fuerit requisitus, Alioquin promisit eidem sindico, nomine dicti comunis restituere omnes expensas,

damna et interesse, quas et que fecerit sustinuerit vel incurrerit pro inde causa iudicio et extra vel alio modo, et inde credere eius verbo nomine comunis sine sacramento et probatione qualibet, et proinde eidem nomine comunis pignori obligavit omnia sua bona. Et inde michi notario preceperunt et rogaverunt partes predicte fieri unum instrumentum et plura, et pro comuni predicto et dominis eorum nominibus et predictis. Actum Ast in domo Machaluforum. Testes Galvangnus Peyla, Tadeus Yricius, Manuel Machalufus, Raymondinus Garretus, Franciscus de Benengo et Jacobus de Bayono de Castronovo notario.

Et ego Jacobus Malbecus notarius pallatinus interfui et sic scripsi, et hoc instrumentum feci pro dicto communi Astensi.

791. *De ratificatione facta de dicta venditione per quosdam ex dictis dominis, quorum nomine ipsa venditio facta erat.* 1288. 14 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo Indictione prima, die dominico quartodecimo mensis Novembris, Apparebat per instrumentum unum factum per me Jacobum Malbechum notarium hoc anno et Indictione die iovis XI° mensis Novembris, quod domini Ubertus henricus et Ubertinus de Castronovo fratres pro quarta parte trium partium, Obertinus et Rofinus fratres suo nomine et nomine domini Raynerij eorum fratris, cujus procurator est dictus dominus Rufinus ut patet per instrumentum inde factum manu Jacobi de Bayono notarij, hoc eodem anno et indictione die veneris XXII° octubris pro alia parte quarta trium partium, Et Guietus suo nomine et nomine Odonis eius fratris, cuius procurator est ut patet per instrumentum unum inde factum manu Jacobi de Bayono notarij hoc anno et indictione die veneris XXII° octubris, pro alia quarta parte trium partium, et Facinus de playa suo nomine et nomine consanguineorum suorum, scilicet Maynfredi henrici et Obertinj quorum procurator est generalis ut patet per instrumentum factum manu dicti Jacobi de bayono notarij hoc anno et Indictione die ..... et Guilelmus de playa frater predictorum Maynfredi, Henrici et obertinj pro quarta parte totius castrinovi Jurisdictionis ville contitus et signoritus vendiderunt et ex causa venditionis confessi fuerunt sese vendidisse et tradidisse domino Guilelmo Bruno sindico comunis Astensis ad hoc specialiter constituto ut patet per instrumentum sindicatus factum manu mei Jacobi Malbechi notarij hoc anno et Indictione die iovis XXVIII° octubris recipienti nomine comunis Astensis predicti, castrum Castrinovi et villam cum hominibus et cum eorum partibus turris, que sunt tres partes turris, et cum domibus pallacijs et hedificijs in dicto castro existentibus et sediminibus dicti castri cum omni honore contitu iurisdicione mero et mixto imperio libere et in alodium quam et quod habent in castro Castrinovi, et hominibus et poderio dicti castri, et totum id quod habent in dicto castro pro partibus supradictis, nihil in sese penitus retinendo, preter eorum terras et domos quas habent nunc et tenent intus villam predictam et extra et ortos et ayralia, et omnes alias possessiones doneas ubicumque sint in finibus dicti castri et fictus et redditus ad tempus concessos. Item ex causa venditionis dederunt eorum nominibus et predictis et cesserunt atque mandaverunt dicto sindico recipienti nomine dicti comunis omnia iura et actiones realia personalia utilia et directa reales et personales, utiles et directas, que et quas ipsi domini habent in rebus venditis per

Bonefacium de Castronovo, et in eo quod vendidit Bonefacius de Castronovo domino Guilelmo Illustri Marchioni Montisferrati in dicto castro et pertinentijs ipsius castri Castrinovi contra ipsum Bonefacium de Castronovo et contra eius res et bona et contra quemcumque habentem causam ab eo, occasione cuiusdam instrumenti seu brevis recordationis facti per Michaelem notarium anno dominice incarnationis MCLXXV. Indictione octava pro precio librarum Tredecimmillium Astensium, prout hec et alia plura lecta predictis in instrumento predicto plenius continentur. Ecce quod dicti domini Raynerius frater dicti Rofini et Obertinj predictorum, et Oddo frater Guieti predicti et Maynfredus henricus et obertinus consanguinei Facinj predicti ex certa scientia et consulto et voluntate spontanea confirmaverunt ratificaverunt et approbaverunt venditionem prescriptam et omnia ea et singula, que in ipsa venditione continentur, confitentes eisdem fore satisfactum integre pro eorum partibus de precio venditionis predicte, Et ad cautelam predicti et quilibet ipsorum fecerunt venditionem dicto domino Guilelmo sindico comunis Astensis nomine ipsius de dicto castro, villa et hominibus et iuribus predictis in omnibus et per omnia prout superius continentur cum omni honore contitu signoritu iurisdicione omnimoda mero et mixto imperio et cum omnibus et singulis pertinentibus ad ea vel ad aliquod predictorum et cum omni usu ingressionibus et egressionibus et cum omnibus iuribus dictis rebus venditis pertinentibus superius denotatis, preter superius excepta, nichil omnino in predictis castro villa et pertinentijs penitus retinendo, preter exceptata predicta, promittendo predicto sindico predicto nomine stipulanti habere rata et tenere omnia et singula supradicta in perpetuum et nullo tempore contravenire de iure vel de facto sub penis superius comprehensis, Et sub obligatione omnium bonorum suorum que pro inde dicto sindico nomine predicto pignori obligaverunt, Renunciantes exceptioni doli et in factum condictioni sine causa et ex iniusta causa et omni alij exceptioni et iuri. Insuper predicti Maynfredus, henricus et Obertinus, quia minores XXV videbantur, maiores tamen XIIII° corporaliter ad sancta dei evangelia iuraverunt attendere et observare dictam venditionem et omnia et singula suprascripta, renunciantes beneficio minoris etatis et omni iuri. Et inde michi notario precepta sunt unum instrumentum et plura fieri pro partibus supradictis et qualibet earum et quolibet ipsorum. Actum in Castellario Castrinovi de Rivalba, testes magister Jacobus Ghigus murator, Thomas de Capitemontis magister manarie, Lorengus de Mandra et Jacobus de Masio.

Et ego Jacobus Malbechus notarius pallatinus interfui et sic scripsi et ego feci pro dicto communi.

792. *De possessione predictorum castri et ville ut premittitur dicto comuni Ast venditorum, apprehensa nomine ipsius communis.* 1288. 14 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo Indictione prima die dominico quartodecimo mensis novembris, Cum appareret per instrumentum abreviatum per me infrascriptum notarium, hoc eodem anno et Indictione die iovis XI° mensis novembris, quod domini urbertus, henricus et Obertinus de Castronovo fratres pro quarta parte trium partium, Obertinus et Rofinus fratres eorum nomine et nomine domini Raynerij eorum fratris, Cuius procurator erat pro alia quarta parte trium

partium, et Guietus suo nomine et nomine procuratorio odonis eius fratris pro alia quarta parte trium partium, et Facinus de playa suo nomine et nomine procuratorio consanguineorum suorum, scilicet Maynfredi henrici et obertinj et Guilelmus frater predictorum Maynfredi henrici et obertinj et consanguineus dicti Facinj, pro quarta parte tocius Castrinovi iurisdictionis et ville contitus et signoritus et pertinentium ad predicta, fecissent venditionem de dicto Castro, villa hominibus, iurisdictione honore mero et mixto imperio et omnibus et singulis pertinentibus ad ea vel ad aliquod eorum in manibus domini Guilelmi Bruni sindici comunis Astensis, ad hoc specialiter constituti, ut in ipso istrumento venditionis plenius continetur. Ecce quod accedente dicto sindico ad dictum Castrumnovum una cum domino Anthonio de Cereta potestate Astensi et cum aliquibus tam ex rectoribus militum sancti Secundj, quam quatuor societatum populi eiusdem occasione ingrediendj et apprehendendj corporalem possessionem vel quasi de predictis venditis, Arnaldus de Solayrolio nuncius comunis Astensis voluntate consensu presentia et mandato dominorum, Uberti henrici Guieti et odonis et dominorum Raynerij Obertineti et Rofinj, Facinj Maynfredi henrici et obertinj et ipsi domini eorum nomine et nomine obertinj fratris predicti dominj Uberti et henrici capientes glebas terre, in dicto castro seu castellario, et ponentes easdem glebas sive guasas terre in manu dicti domini Guilelmi sindici dicti comunis nomine ipsius comunis, tradiderunt eidem corporalem possessionem, de predicto castro et rebus venditis suprascriptis, inducendo eundem sindicum nomine dicti communis in vacuam possessionem et quasi possessionem dicti castri et ville et aliarum rerum et iurium venditorum, que continentur in instrumento predicto. Insuper dominicus pelleta et ubertus palidus, qui habebant dictum castrum in comanda tanquam comunes amici pro partibus supradictis, Cognoscentes fore integre observata dominis predictis per comune Astense promissa et conventa restituerunt dictum castrum et villam domino Guilelmo Bruno sindico recipienti nomine communis Astensis, et ipsum in dictum castrum, et in possessionem corporalem ipsius induxerunt, protestantes sese de dicta comanda nolle in aliquo plus teneri. Et inde michi notario preceperunt unum instrumentum et plura fieri pro communi, et dictis depositarijs seu commendadarijs et dominis supradictis. Actum in Castellario Castrinovi de Rivalba, presentibus testibus magistro Jacobo Ghigo muratore, Thoma de Capitemontis magistro Manarie, Lorengo de Mandra et Jacobo de Masio.

Et ego Jacobus Malbechus notarius pallatinus interfui et sic scripsj et hoc pro comuni instrumentum feci.

793. *De quadam declaratione facta in favorem dicti comunis Ast super certis iuribus cedentibus in venditionem predictam, de quibus Antea dubium vertebatur.* 1289. 4 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo nono Indictione secunda die veneris quarto Marcij, Cum domini ubertus, henricus et obertinus de Castronovo fratres pro quarta parte trium partium, Obertinetus et Rofinus fratres eorum nomine et nomine domini Raynerij eorum fratris, cuius procurator est dictus Rufinus pro alia quarta parte trium partium, Et Guietus suo nomine et nomine procuratorio oddonis eius fratris pro alia quarta parte trium partium, Et Facinus de playa suo

nomine et procuratorio, nomine consanguineorum suorum scilicet Maynfredi, henrici et obertinj et Guilelmus frater predictorum Maynfredi henrici et obertinj et consanguineus dicti Facinj pro quarta parte Castrinovi iurisdictionis et ville contitus et signoritus et pertinentium ad predicta pro partibus suprascriptis, vendidissent et ex causa venditionis confessi fuissent sese vendidisse et tradidisse domino Guilelmo Bruno sindico comunis Astensis ad hoc specialiter constituto, recipienti nomine comunis Astensis castrum Castrinovi et villam cum hominibus et cum eorum partibus turris que sunt tres partes turris et cum domibus et hedificijs in dicto castro existentibus et sediminibus dicti castri cum omni honore contitu jurisdictione mero et mixto imperio libere et in alodium, quam et quod habebant in dicto castro Castrinovi et hominibus et poderio dicti castri, et totum id quod haberent in dicto castro pro partibus supradictis nichil in se penitus retinendo preter eorum terras et domos quas habent et tenent Intus villam predictam et extra et ortos et ayralia et omnes alias possessiones donneas ubicumque sint in finibus dicti castri et fictus et redditus ad tempus concessos, Que omnia exceptata dicti domini in se retinuerunt libera et Immunia ab omnibus exactionibus fodris, servicijs et ab omnibus angarijs et perangarijs ut in instrumento inde facto per manum mei infrascipti notarij anno domini MCCLXXXVIII Indictione prima die iovis XI mensis novembris plenius continetur, Et in dubium revocaretur, an per illa verba contenta in venditione predicta continerentur fictus redditus hominum dicti loci videlicet fictus et redditus perpetui et pedagia venationes sive cacie molegia ripatica fornatica curaye, successiones fodra et banna pascua piscationes et alia queque communia dicti loci et ceteri alij fictus redditus et proventus spalle, spyarolij, rosie, caregia schinate gamboni, panes capones decime, advocacie, Juspatronatus, tercij, quinti, quarti, queque alie debiture rupes et ruyne, et intelligantur esse et cedere in venditionem predictam, Ecce quod predicti domini Ubertus et henricus eorum nomine et nomine Obertinj eorum fratris, et Obertinetus et Rofinus suo nomine et nomine domini Raynerij eorum fratris et Guietus suo nomine et nomine Oddonis eius fratris, et Facinus de Playa suo nomine et consanguineorum suorum predictorum et quilibet ipsorum ad instanciam et requisitionem domini Rofinj de Becharia potestatis Astensis et dicti domini Guilelmi Bruni sindici communis eiusdem nomine ipsius comunis, Volentes agnoscere bonam fidem dixerunt et confessi fuerunt ac recognoverunt, quod predicta omnia et singula suprascripta continentur et contineri debent et cedunt et cedere debent in venditionem predictam, ita et tali modo quod predicti dominj in sese non retinuerunt nec retinent nec retinere debent nisi fictus ad tempus concessos, quod tempus non potest excedere terminum viginti quinque annorum, et nisi domos et possessiones donneas prout superius continetur, et nisi infrascriptas pecias possessionum de quibus redditur medietas, que non cedunt in venditionem predictam, sed remanent extra venditionem, et dictus sindicus ipsas eisdem dimisit et relaxavit nomine predicto cum alijs superius exceptatis et cum medietate godiarum reddenda eisdem quorum sunt. In primis peciam unam terre ubi dicitur in brayda longa coherent via et Bevelegna. Item peciam unam terre ubi dicitur ad terminum coherent Trevezia et ille qui eam tenet que esse possunt circha modios tres, de quibus reddunt dicto Guieto et fratri medietatem Guilelmus Busolus et fratres. Item peciam unam vinee ubi dicitur ad montes sanctorum

coherent tenentes que est circa jornatas I s(emis) de qua reddunt Guilelmus sanctus et Johannes Sanctus medietatem predictis. Item peciam unam terre et vinee ubi dicitur in Serra coheret Oddonus Baldrachus, que esse potest circha iornatam unam, de qua reddunt medietatem Ambrosius Barachinus et Johannes eius frater. Item peciam unam vinee ubi dicitur in Monte, coherent Obertus a duabus partibus et via, de qua reddunt medietatem Facino predicto vinj, Jacobus testor, petrus testor et Seghinus, que esse potest circa modios duos. Item peciam unam terre, que ubi dicitur in brayda longa, coherent Trevezia, Buseti, illi de hempulia, de qua reddit obertineto et fratribus medietatem Bassus Testor, que est circha disnarengam. Et ad cautelam predicti domini de Castronovo fecerunt venditionem de omnibus et singulis supradictis, que in dubium vertebantur dicto domino potestati et sindico supradicto nomine comunis Astensis eodem precio in instrumento dicte venditionis contento, non propterea recedendo a venditione predicta nec a promissionibus stipulationibus obligationibus vel aliquibus alijs in ipsa venditione et contractu contentis, sed in ea et hjs omnibus et singulis potius persistendo. Et volentes predicti domini transferre de predictis omnibus et singulis dominium et possessionem vel quasi in predictos dominum potestatem et sindicum nomine comunis Astensis, Et intendentes ipsum dominium et possessionem de predictis in ipsum comune esse translatam et translatum, Ad cautelam constituerunt, sese possessores predictorum seu quasi nomine dicti comunis, quousque ipsum comune per se vel per alium corporalem, vel quasi apprehenderit possessionem, Quam eidem apprehendere liceat quandocumque voluerit sua propria auctoritate absque licentia vel decreto alicuius iudicis vel magistratus, Constituendo ad hoc dictum dominum potestatem et sindicum nomine predicto procuratorem ut in rem propriam communis, Et voluerunt et rogaverunt predicte partes inde fieri publicum instrumentum unum et plura. Actum Ast in domo illorum de Sulberico in qua moratur dictus dominus potestas, Testes dominus Guilelmus Gardinus Judex, Guilelmus de Gilio, Facinus Ysnardus, et Symoninus Sarachus.

Et ego Jacobus Malbechus notarius pallatinus interfui et sic scripsi, Et hoc istrumentum pro comuni feci.

CLI. De Supponito.

794. *De promissione facta pro parte comunis Ast Oberto de Rivalba et Guidoni fratri suo de non recipiendo aliquem de Supponito neque de Monasterio pro habitatore in aliquo loco comunis Ast etc.* 1218. 30 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo decimo octavo Indictione sexta die lune secundo kallendas Madij dominus Girardus de Rolandino Astensis potestas vice et nomine comunis Astensis in publica credentia de campana promisit Oberto de Rivalba et Guidoni fratri suo quod non recipiet aliquem hominem de supponito neque de Monasterio pro habitatore in aliquo loco comunis Astensis nisi ille vellet venire cum suo mobili in civitate pro habitatore et cive comunis Astensis, terra remanente ipsis Oberto et Guidoni, quam habent in eorum poderio, Et remanente ipsis dominis illo quod saxivissent illis, ante quam venissent ad habitandum. Et si comune Astense aliquid acquireret in Suponito, illud dare teneatur in augmentum feudj predictis Guidoni et

Guilelmo fratri suo, pro parte sibi contingenti, Et si ipsi aliquid acquirerent sit feudum comunis Astensis, Et illud tenebunt pro comuni Astensi in feudum salvis rationibus Abbatis de Bremeis, Et sic adinvicem unus alteri attendere promisit. Actum fuit hoc in ecclesia sancti Johannis de domate interfuerunt testes dominus Albertus et petruzolius milites potestatis, Jacobus Mignanus, Rollandus Layolius clavarij comunis, Ubertus Medicus notarius. Et inde tria instrumenta uno tenore sunt composita. Et hoc specialiter pro domino Guidone.

Ego philippus sacri pallatij notarius hjs omnibus interfui et iussu potestatis predicti sic scripsi.

CLII. De Stoherda.

795. *De sindicatu facto per comune Ast in personam Maschari de Solario ad recipiendum a Guillelmo de desaya donationem de toto eo quod habet in castro villa et hominibus de Stoherda.* 1226. 11 Decembris.

Anno Domini Millesimo ducentesimo vigesimo sexto Indictione quartadecima die veneris undecimo intrantis decembris coram testibus infrascriptis, dominus Guillelmus Amatus potestas Astensis vice et nomine communis de Aste constituit et fecit suum certum sindicum et procuratorem Mascharum de Solario ad recipiendum pro comuni Astensi et nomine communis de Aste illam donationem, quam Guillelmus de Desaya vult facere comuni Astensi de toto eo quod ipse habet pro alodio in castro et in villa et in hominibus de Stoyerda, et in posse et districtu et contili et Jurisdictione et pertinentijs de Stoyerda, et quicquid ipse Mascharus inde fecerit in recipiendo illam donationem ratum et firmum habere promisit nomine communis Astensis, Et hoc fecit dictus potestas nomine et vice dicti comunis voluntate et consensu credentie per campanam congregate, ore ad os interogate et scripte. Actum Aste in domo comunis. Interfuerunt testes, Garganus de Quatordeo, Millo de Cario, Robaldus Turtur, Guillelmus Trosellus et Petrus Becharius.

Et Manfredus Carena notarius scripsit.

796. *De dicta donatione facta dicto sindico recipienti nomine dicti comunis Ast de predictis.* 1226. 11 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo sexto Indictione quartadecima, die veneris undecimo intrantis decembris coram testibus infrascriptis, Guillelmus de desaya puro dono et inrevocabili inter vivos dedit Mascharo de Solario sindico et procuratori comunis Astensis vice et nomine communis Astensis sicut apparet per cartam inde factam hodie a me Manfredo Carena notario totum illud quod ipse vel alius pro eo habet tenet vel possidet vel visus est tenere et possidere pro alodio in castro et villa de Stoyerda et hominibus feudatis et infeudatis illius castri et ville iurisdictione aquatico pascatico, piscationibus, venationibus, rupis et ruynis, ierbis et nemoribus terris cultis et incultis, ecclesijs furnis molendinis et omnibus alijs pertinentijs ad predictam villam et castrum et iurisdictionem spectantibus, Tali modo quod comune Astense decetero predicta omnia habeat teneat et possideat pro suo, et quidquid voluerit inde faciat, sine contradictione dicti Guillelmi suorumque heredum, Constituendo se esse

possessorem de predictis omnibus nomine et vice comunis Astensis, dando ipsi Mascharo nomine comunis Astensis licenciam intrandi possessionem de predictis omnibus sua propria auctoritate. Actum Aste in domo communis. Interfuerunt testes Garganus de Quatordeo, Millo de cario, Robaldus Turtur et petrus Becharius.

Et Manfredus de Carena notarius scripsi.

797. *De receptione dicti Guillelmi de desaya in civem Astensem debendo dare fodrum in comuni Astensi et pro eo facere guerram exercitus et cavalcatas de Stoherda et Anterisio, Salvis suis dominis.* 1226. 11 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo sexto Indictione quartadecima die veneris undecimo Intrantis decembris, coram testibus infrascriptis, Guillelmus de desaya promisit et ad sancta dei evangelia iuravit per se filios et descendentes suos esse civis Astensis in perpetuum, et dare fodrum de libris decem de mobili, quotiens civitas ad fodrum venerit et facere pro comuni iter cavalcatas, exercitus, itinera, succursus et reductum et alia scufia civitatis sicut alij cives Astenses, Salvo eo quod non possit cogi venire ad habitandum in Aste nisi fuerit de eius voluntate. Item promisit et iuravit per se et suos homines de desaya et de Anterisio et de omnibus suis locis, et hominibus ubicunque eos habeat vel habuerit facere guerram exercitus itinera, cavalcatas succursum et reductum contra omnes homines, salvis suis dominis in suis feudis, Et dedit et concessit domino Guillelmo Amato potestati Astensi nomine et vice comunis Astensis in terra et hominibus suis et castris et in suis vasallis ubicumque eos habeat vel habuerit pacem, guerram, exercitus, itinera, cavalcatas, succursum et reductum, comuni de Aste et hominibus de Aste et de posse et virtute Astensi contra omnes homines, salvis suis dominis in feudis suis, tali modo quod domini sui non possint ei precipere quin predicta attendat comuni Astensi, et quin comune Astense predicta habeat in predicta terra et predictis hominibus, Et si preciperetur a dominis eius, quod propterea non minus attendat predicta et attendere teneatur. Insuper promisit et iuravit facere iurare filios suos et promittere sicut ipsemet in omnibus et per omnia, Et pro hjs omnibus attendendis et observandis et complendis omnia bona sua dicto domino Guillelmo Amato potestati Astensi nomine et vice comunis Astensis pignori obligavit. Ad hec dictus Guillelmus Amatus potestas Astensi nomine et vice comunis Astensis voluntate et consensu credentie per campanam congregate, ore ad os interogate et scripte recepit dictum Guillelmum de desaya, pro cive Astensi secundum formam et modum prenominatum. Qui potestas nomine et vice communis Astensis, voluntate credentie ut dictum est promisit ipsi Guillelmo de desaya, quod comune de Aste non debet recipere nec possit aliquem eius hominem de eius terra, ad habitandum nec pro cive in aliquo loco, vel stando super terram eius, verum si aliquis ex eorum hominibus vellet venire ad habitandum in Aste, possit ipsum comune de Aste recipere, ita quod ille homo relinqueret terram predictis dominis, et mobile quod esset ei saxitum. Et inde plura instrumenta unius tenoris fuerunt precepta. Actum Aste in domo communis, Interfuerunt testes Garginus de Quatordeo, Millo de Cario, Ribaldus Turtur, Guillelmus Trosellus et petrus Becharius.

Et Manfredus Carena notarius scripsi.

798. *De venditione dicto comuni facta per Rofinum de Ferarijs de toto eo quod habebat in Stoherda, salvis suis donneis et de renunciatione facta per matrem et uxorem eius de omnibus iuribus eis competentibus in eisdem.* 1237. 25 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo tricesimo septimo Indictione decima die sabbati septimo kallendas Madij, presentia infrascriptorum testium, Rufinus de Ferarijs filius quondam domini Alberti de Ferarijs vendidit et tradidit domino Ravarino de Bellotis potestati Astensi nomine et vice communis Astensis, totum illud quod habebat vel habere videbatur tenebat et possidebat vel quasi possidebat, per se vel per alium, in loco et villa et castro et territorio et posse stoarde, Exceptis terris donneis ipsius Rufinj, quas nunc tenet et possidet foris Castrum Stoarde, et specialiter terciam parte pro indiviso dicti castri et ville et pertinentiarum Stoarde et specialiter medietatem cuiusdam turris quam habet communiter pro indiviso cum illis de desaya, et terciam partem alterius turris, quam habet communiter cum Comite Obertino de Biandrato cum illis de desaya, pro precio librarum ducentarum Astensium de quo precio vocavit se quietum et solutum, Renunciando exceptioni non numerate pecunie et non recepti precij et omni alij iuri de quo se iuvare posset contra dictum comune. Predicta autem vendidit et tradidit dicto comuni cum omni iure actione et accessione ad predicta pertinentibus, et cum omni usu, publico et privato et cum omni contili iurisdicione et districtu cum aquatico et pascatico venationibus, piscationibus, rupibus et ruynis capellis furnis et molendinis et cum hominibus feudatis et infeudatis et cum omnibus alijs iuribus ad predicta pertinentibus nichil in se retinendo preter suas terras donneas quas habet foris castrum ut supra, promittendo dictus Rufinus dicto potestati nomine comunis Astensis dictam vendictionem ut supra legitur per omnia ab omni persona sub pena dupli defendere, et si defendere nollet vel non posset, et dictum comune ex causa evictionis sibi facte insolidum vel pro parte aliquod damnum sustineret vel expensas faceret causa vel iudicio vel aliquo modo promisit dictus Rufinus dicto potestati nomine dicti comunis recipienti illud damnum et expensas in integrum restituere, Credendo de damnis et expensis verbo ipsius potestatis vel eius successoris absque iuramento et probatione qualibet. Dictam autem venditionem fecit dictus Rufinus tali modo et in alodium constituendo se possessorem nomine dicti comunis de predictis, quousque comune Astense vel alius pro eo corporaliter intraverit possessionem predictorum, quod quidem facere possit sua auctoritate quandocumque voluerit, quod comune predictum omnia predicta teneat quieteque possideat iure proprietario absque contradictione ipsius Rufinj et eius heredum et cuiuslibet persone alterius. Promittendo dictus Rufinus dicto potestati nomine comunis predicti recipienti, dictam venditionem integre habere firmam et nullo tempore contravenire per se vel per suppositam personam, Renunciando omni exceptioni et omni iuri, quo se iuvare posset contra dictum comune et ultra dimidiam iusti precij promittendo ipsam renunciationem per se vel per suppositam personam habere firmam, et nullo tempore contravenire. Item eodem anno et Indictione die martis undecimo intrantis Augusti, testes Johannes Morrus, petrinus filius Guillelmi de Moneta, et Grosalanus ypolitus, Presentia quorum domina Elena uxor quondam dicti Rufinj de Fereris, et domina Guillelma mater ipsius

Rufinj abrenunciaverunt omni iuri quod in dicta venditione nomine dotis petere possent vel aliqua occasione, et specialiter senatui consulto Veleyano et omni feminarum privillegio. Et predictam venditionem promiserunt habere ratam et firmam et nullo tempore contravenire per se se vel per suppositam personam pro eis. Quam autem venditionem Varnotus de Stoherda pro eis et eius precepto iuravit et quod omnia predicta attendent et observabunt, et nullo tempore contravenient per se vel per suppositam personam perpetuo et inde omnia eorum bona pignori obligaverunt domino Ypolito de Cananis et Germano Soldano recipientibus nomine supradicti comunis Astensis. Actum fuit Aste sub voltis de dom. Interfuerunt testes, dominus Guillelmus Iayolius, dominus Raymondus de Solario et dominus Rodulfus de Comentina.

Et ego Albricus de Cumignano notarius pallatinus omnibus predictis interfui et scripsi.

799. *De compromisso facto super declaratione precij dandi per comune Ast domino Abbati sancti Salvatoris de Taurino pro venditione per eum dicto comuni de quadam terra jacente in Stoherda facienda.* 1237. 24 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo trigesimo septimo, Indictione decima, die lune nono kallendas septembris, Coram testibus infrascriptis, Mussus Boviculus sindicus actor seu procurator communis Astensis ut patet per instrumentum publicum scriptum per manum Astesiani Ardenghi notarij in Anno et Indictione predictis die dominico decimo kallendas Septembris, Vice et nomine dicti comunis Astensis ex una parte et dominus Ambrosius Abbas sancti Solutoris de Taurino consensu et voluntate conventus seu capituli predicti Monasterij ad sonum campane more solito congregati, quorum nomina sunt hec, Johannes de Sanctoiohanne, Jacobus Trunchus, Jacobus de Cario, Johannes de Ciriacha, Martinus, Jacobus provincialis, Rogerius pallastrellus, Obertus de Ruata et Mexonus pater dicti Abbatis Monaci dicti Monasterij et frater Guillelmus Canevarius devotus Monasterij eiusdem nomine et vice dicti Monasterij ex altera compromiserunt sese in dominum Alionum Scarampum potestatem Taurinj presens in se recipientem compromissum, et Jacobum Cornaliam civem Taurinj absentem de precio seu quantitate precij illius venditionis quam dictus dominus Ambrosius Abbas sancti Solutoris facere debet seu faciet comuni Astensi, seu alicui recipienti nomine ipsius communis, de terra illa quam dictum Monasterium habet circha ecclesiam sancti Salvari de Stoherda, et pro villa hedificanda circha predictam ecclesiam et de campanile eiusdem ecclesie de Stoherda, ad donneum dicti comunis et ad opus et utilitatem communis eiusdem, Reservata tamen ipsi Monasterio dicta ecclesia de Stoherda cum possessionibus que non essent necessarie ad dictam villam construendam et hedificandam, promittentes pro dictis nominibus totum et firmum habere nominibus supradictis, quicquid dicti dominus Alionus et Jacobus Cornalia fecerint dixerint et pronunciaverint super dicto precio seu precij quantitate dandi ipsi Abbati predicto nomine recipiendo ab eo. Actum in claustro dicti Monasterij sancti Solutoris de Taurino. Interfuerunt testes vocati, dominus Girardus Josbertus Judex domini Alionj Scarampi, petrus eius filius, Obertus Zocholerius et Bayonus Sartor cives Astenses

et inde sunt plura instrumenta michi Ricardo Boviculo notario precepta per dictum sindicum et abbatem.

Et egomet Ricardus Boviculus sacri pallatij notarius hanc cartam precepto predictorum sindici et abbatis scripsi.

CLIII. De Rippa.

800. *De donatione per comune Ast facta domino Uberto de Rippa ut ipse et sui heredes sint cives Astenses, dando fodrum de libris centum, et faciendo pacem et guerram exercitus et cavalcatas pro comuni Ast contra quascumque personas Salvis Imperatore et Episcopo Astensi.* 1198. 14 Julij.

(Omisimus quia iam est ad Num. 601).

801. *De investitura per comune Ast facta in dominos Guidonem et Fredericum de Aste ac Guillelmum de Rippa de eorum recto feudo quod tenent a comuni Ast, et de fidelitate per eos inde facta dicto comuni Ast.* 1206. 17 Novembris.

(Omisimus quia iam est ad Num. 617).

802. *De absolutione fidelitatis per certos dominos de Rippa facta de hominibus eorum Rippe, precipiendo eis quod ipsam faciant comuni Ast, Et de ipsa fidelitate dicto comuni tunc facta per dictos homines.* 1214. 15 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quartodecimo Indictione secunda die dominico quintodecimo intrantis Junij presentia infrascriptorum testium, dominus Albertus de Castronovo et dominus Guido de Aste et dominus Fredericus et dominus Guillelmus de Playa absolverunt omnes suos homines de Ripa et de posse et pertinentijs de Ripa a fidelitate qua eis aliquo modo tenebantur, et preceperunt eis ut facerent fidelitatem domino Petro de Ayratio et domino Jacobo Monaco nomine communis Astensis, gerentibus in eo casu vicem predicti communis Astensis qui homines fecerunt fidelitatem predictis domino Petro et domino Jacobo nomine communis Astensis precepto et voluntate dictorum dominorum suorum, qui domini tenent et possident totum illud quod habent in Ripa et pertinentijs et posse de Ripa, recto feudo, a comuni Astensi, Et omnes homines infrascripti, Ita fecerunt fidelitatem. Juro supra dei evangelia quod amodo ero fidelis hominibus de Aste pro communi et pro diviso, Et potestati de Aste qui modo est suo tempore et alijs potestatibus vel consulibus per tempora existentibus pro comuni de Aste contra omnes homines pro parte comunis de Aste, Et quod salvabo ubique homines de Aste pro comuni et pro diviso, et quod non ero in consilio nec in facto ut homo de Aste perdat vitam, vel membrum, nec quod capiat presonem forcitam contra suam voluntatem, et si sciero malum communis de Aste vel hominum de Aste quantum potero contrastabo ne fiat et si Illum non potero facere remanere, per me vel per meum judicem missum quam citius potero eis denunciabo, Credentiam quam potestas, qui modo est in Aste vel potestas seu consules in Aste per tempora existentes michi dixerint privatam tenebo, nec manifestabo contra eorum voluntatem, donec palam fuerint, Et si a me de aliqua re consilium petierint, dabo eis bona fide, et ad commodum, et utilitatem eorum secundum melius michi visum fuerit, pro re pro qua postulaverint, Et si a potestate vel

a consulibus de Aste per tempora existentibus vel ab eorum certo misso de modo feudo interogatus fuero, verum dicam et falsum tacebo, et eis feudum manifestabo et consignabo. Item totam terram de qua homines sunt saxiti et Investiti et maxime castrum et locum Ripe cum omnibus pertinentijs adiuvare eos tenere et defendere contra omnes homines, Et si eam perderent, adiuvare eos illam recuperare et recuperatam tenere contra omnes homines. Item totam terram quam decetero acquisierint cum ratione, et de qua cum ratione saxiti et investiti fuerint adiuvare eos tenere contra omnes homines, et si eam perderent iuvare eos illam recuperare et recuperatam tenere contra omnes homines, Castrum et villam Ripe non vetabo hominibus de Aste guarnitis vel scaritis pro comuni et pro diviso, quin faciant guerram et pacem cuicumque voluerint, et cum eis et sine eis faciam inde guerram ubi voluerint et cui voluerint, pro meo posse bona fide, et si aliquid continetur in fidelitate, quam homo Vasallus domino suo tenetur, Juro illud attendere et observare bona fide et sine fraude. Nomina illorum qui fecerunt fidelitatem sunt ista, Obertus Canonicus, Otto Castangnus, Benedictus Vitonus, Petrus de Montenatalj, Morinus Willelmus de Gura, Jacobus de Rivazola, Rufinus de Imberto, Johannes de Fulceis, lanfranchus Frepus, Philippus Tacus, Jacobus Conatus, Bayamondus de Rivazola, Conradus de pratono, Obertus de Morticio, Obertus Mussus, Jacobus Novellus, Obertus Tabuxius, Henricus Tactus, Albricus de Solario, Benedictus fecit fidelitatem pro Jacobino et Guillelmo filijs quondam Bonefacij Vitoni, Vitonus de Rivazola, Nicholaus de Gurra, Petrus de Sortibus, Guido Zima, Guido de Herba, Maynfredus lanfranchus, Guillelmus de Aura, Otto Trafellus, Bertolomeus Gentilis, Otto de Morticio, Obertus de Fosato, Guillelmus Lomellus, Fransiscus, Taurinus Bechus, Bertholomeus de Ramato, Johannes Gallus, Ubertus Gallus, Petrus Matonus, Petrus Ferarius, Jacobus Renfredus, Rodulfus Raphinus de Cenero, Johannes Galea, Carlevarius Ferarius, Jacobus piever, Ubertus Maluscuerius, loysius, Mediolanus Raphinus, Petrus de Cambiano, Johannes Ansaldus, Albertus Trava, Viotus Justa, Otto Calvus, Bayamondus de Cesolis, Perpericius Frepus. Actum in Ripa in platea sub porticu ecclesie de Ripa. Testes dominus Albertus Crivellus, dominus Maynfredus de Suberico, dominus Maynfredus provincialis, dominus Otto nepos domini Uberti de Bencia, Mediolanus filius ipsius domini Uberti et multi alij.

Et ego Ribaldus notarius pallatinus interfui et predicta sic scripsi.

803. *De sindicatu Jacobi Girardi constituti per comune Rippe ad se compromittendum in dominos Marchionem Montisferrati et potestatem Ast et certos alios de omnibus discordijs vigentibus inter dominos Rippe et dictum comune.* 1271. 16 Februarij.

Anno domini Millesimoducentesimo septuagesimo primo Indictione quartadecima die lune sextodecimo mensis februarij, presentia testium infrascriptorum, dominus Benedictus Comes de Blandrato et dominus Ubertus de Castronovo Rectores comunis et hominum Ripe, nomine comunis et hominum Ripe voluntate et consensu contionis Ripe et hominum ipsius Contionis congregatorum more solito et ipsi homines de dicta contione eorum nomine et nomine comunis et hominum Ripe, fecerunt constituerunt et ordinaverunt Jacobum Girardum presentem et mandatum suscipientem

eorum et dicti comunis et hominum Ripe sindicum et certum nuncium seu procuratorem ad compromittendum se nomine comunis et hominum Ripe in dominum Guillelmum Marchionem Montisferrati pro una parte et dominum Galeotum de lambertinis potestatem Astensem, et in quatuor societates civitatis Astensis pro alia parte sive pro alio arbitro, de omni lite discordia et controversia, que verteretur inter ipsos homines Ripe vel aliquos ipsorum ex una parte, et eorum dominos ex altera aliqua occasione, Promittentes predicti Rectores et homines Ripe nomine et vice comunis et hominum dicti loci mihi Jacobo Boviculo publico notario infrascripto recipienti nomine omnium et singulorum, quorum interest seu intererit habere et tenere ratum et firmum et nullo tempore contravenire quicquid per predictos arbitros dictum pronunciatum vel arbitratum fuerit inter dictas partes sub obligatione omnium bonorum comunis et hominum Ripe, que pro inde mihi notario predicto stipulanti nomine omnium et singulorum, quorum interesset pignori obligaverunt. Actum in Ripa in platea communis. Interfuerunt dominus Obertus de platea, dominus Thomas de Becarijs, dominus Bertramus de Comentina, et dominus Guillelmus Gardinus. Et Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et rogatus sic scripsi.

804. *De Compromisso per dictos dominos Rippe ex una parte et dictum sindicum nomine dicti comunis ex altera facto in dictos dominos Marchionem ac potestatem et alios supradictos.* 1271. 16 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo, Indictione quartadecima die lune sextodecimo mensis Februarij, presentia testium infrascriptorum, dominus Manuel et Benedictus Comites de Blandrato, et dominus Ubertus de Castronovo, Jacobus de Castronovo, Obertinus de Castronovo, Raynerius de Castronovo, et Bonefacius de Castronovo, et Guifredus de playa, Guietus, Obertinus et Rufinus de playa, pro sese et alijs dominis Castrinovi et playe, ex una parte, et Jacobus Girardus sindicus comunis et hominum Ripe ut patet per instrumentum factum per me Jacobum Boviculum notarium infrascriptum et plures alios notarios hoc eodem anno et Indictione die et mense, nomine ipsius comunis et hominum Ripe ex altera, compromiserunt sese in arbitrio dicto et arbitratu, domini Guillelmi Marchionis Montisferrati pro una parte sive pro uno arbitro et domini Galeoti de lambertinis potestatis Astensis et quatuor societatum civitatis eiusdem, pro alia parte sive pro alio arbitro, de omni lite, questione et controversia petitione et alio quolibet, quas et quod predicti simul haberent, vel unus versus alium movere posset quacumque occasione vel modo, Tali modo quod predicti arbitri arbitratores seu amicabiles compositores possint dicere pronunciare et statuere inter predictos per sese sive per illos, quibus ipsi vel aliquis ipsorum dicere arbitrari et statuere voluerint et in loco in quo voluerint et semel et pluries ipsi et eorum substituti, presentibus partibus vel absentibus, una presente et altera absente, ipsis citatis vel non citatis, servata iuris solemnitate vel non servata, die feriata vel non feriata, Et quicquid per dictos arbitros sive per eos quibus commiserint vices suas, statutum dictum vel ordinatum fuerit, predicta ad invicem stipulantes attendere et observare, et non contravenire promiserunt sub pena librarum Centum Astensium, qua soluta vel non soluta, per ipsos arbitros sive

per illos quibus commiserint vices suas dicta pronunciata et arbitrata in sua permaneant firmitate, Ita quod utrunque possit peti et exigi cum effectu, Et quicquid per ipsos arbitros sive per illos, quibus vices suas commiserint, dictum fuerit seu arbitratum attendere et observare ut supra sibi ad invicem promiserunt sub bonorum suorum obligatione, que pro inde predicti Comites et domini de Castronovo et playa, et dictus Jacobus Girardus sindicus predicto nomine sibi ad Invicem pignori obligaverunt, Renunciantes condictioni sine causa et ex iniusta causa, et exceptioni doli et in factum, et omni alij exceptioni et iuri, quibus possent venire contra predicta vel aliquod predictorum, Et predicta possint dicere arbitrari et statuere usque ad decem dies proximos futuros. Actum in Ripa in platea comunis, testes interfuerunt dominus Obertus de Platea dominus Thomas de Becarijs, dominus Bertramus de Comentina et dominus Guillelmus Gardinus Iudex. Et ego Jacobus Boviculus notarius palatinus interfui et rogatus sic scripsi.

805. *De commissione per quosdam arbitros in dicto compromisso nominatos facta Jacobo Valbelle de vicibus suis ad pronunciandum una cum dictis dominis Marchione et potestate et alijs coarbitris inter dictas partes.* 1271. 18 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo, Indictione quartadecima, diemercurij decimo octavo mensis Februarij, presentia testium infrascriptorum domini Jacobus Ysnardus, Bonefacius Alionus, Nocerius Bertholomeus et philippus Alamannus, Rectores quatuor societatum civitatis Astensis, voluntate consilio et consensu consiliariorum ipsarum societatum per campanas et nuncios more solito congregatorum, et ipsi consiliarij et Rectores nomine et vice ipsarum societatum arbitri constituti una cum domino Galeoto de lambertinis potestate Astensi pro una parte, cum domino Guillelmo Marchione Montisferrati pro alia parte, per dominos Manuelem et Benedictum Comites de Blandrato et per dominos de Castronovo, et playa, et per sindicum comunis et hominum Ripe, ut patet per instrumenta facta a Jacobo Boviculo notario et a pluribus alijs notarijs, hoc eodem anno et Indictione die lune XVI mensis presentis, commiserunt vices suas Jacobo Valbelle ad pronunciandum cum dicto domino Marchione sive cum eo, cui ipse dominus Marchio commiserit vices suas, super questionibus vertentibus, seu que verti possent inter predictas partes vel aliquos de ipsis partibus, Ita quod ipse Jacobus Valbella omnia possit facere, que ipsi de predictis societatibus, sive ipse societates in premissis facere possint. Actum Ast super voltis de dom in pleno consilio ipsarum societatum, Testes interfuerunt Guillelmus Guardeta, Marchisius Rasparellus, et Guillelmotus de Malamorte nuncius communis Astensis.

Et ego Petrus de Salis notarius pallatinus interfui et iussu dictorum Rectorum sic scripsi.

806. *De simili commissione facta per dictum dominum potestatem arbitrum antedictum In dominum Guillelmum Gardinum Judicem ad pronunciandum et arbitrandum super dictis questionibus.* 1271. 22 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo Indictione quarta decima die dominico vigesimosecundo mensis februarij, presentia testium infrascriptorum,

dominus Galeotus de lambertinjs potestas Astensis arbiter constitutus una cum quatuor societatibus civitatis Astensis pro una parte cum domino Guillelmo Marchione Montisferrati pro alia parte, per dominos Manuelem et Benedictum Comites de Blandrato, et dominos de Castronovo et playa, et per Jacobum Girardum sindicum comunis et hominum Ripe ut patet per instrumentum factum per me Jacobum Boviculum notarium infrascriptum et plures alios notarios, hoc eodem anno et Indictione die lune XVI mensis februarij presentis commisit vices suas domino Guillelmo Gardino judici ad pronunciandum cum dicto domino Marchione super questionibus vertentibus seu que verti possent, inter predictos Comites de Blandrato, dominos de Castronovo et playa, et comune et homines Ripe vel aliquos ipsorum, Ita quod omnia possint facere ipse dominus Guillelmus Gardinus, que ipse dominus potestas in premissis facere posset.

Actum Ast in domo filiorum Oberti pellete, testes Interfuerunt, dominus Ubertus de Castronovo et dominus Henricus Alferius.

Et ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et iussu dicti potestatis sic scripsi.

807. *De sententia et arbitramento lata et facto per dictos commissarios inter partes predictas super questionibus antedictis.* 1271. 25 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo Indictione quartadecima die mercurij vigesimoquinto Februarij, dominus Guillelmus Illustris Marchio Montisferrati pro una parte et dominus Guillelmus Gardinus judex cui dominus Galeotus de lambertinjs potestas Astensis vices suas commisit ad pronunciandum super questionibus vertentibus inter infrascriptos ut patet per publicum instrumentum inde factum a Jacobo Boviculo notario, Eodem anno et eadem Indictione die dominico XXII mensis Februarij, Et Jacobus Valbella, cui Rectores et consilium quatuor societatum civitatis Astensis nomine ipsarum societatum commiserunt vices suas ad pronunciandum super memoratis questionibus, ut patet per publicum instrumentum factum per petrum de Salis notarium Anno eodem et eadem indictione die mercurij XVIII.° mensis februarij, nomine et vice predictorum potestatis et quatuor societatum arbitrorum electorum pro alia parte cum predicto domino Marchione, eodem modo arbitro electo a dominis Manuele et Benedicto Comitibus de Blandrato et dominis Uberto Jacobo, Obertino, Raynerio et Bonefacio de Castronovo et Guifredo, Guieto, Obertino, Rufino de playa, pro sese et alijs dominis Castrinovi et playe, qui vocantur domini de Ripa, et a Jacobo Girardo sindico comunis et hominum Ripe ut patet per instrumenta inde facta de sindicatu predicto a predicto Jacobo boviculo notario et a pluribus alijs notarijs, hoc eodem anno et Indictione die lune XVI mensis februarij, super omnibus litibus, questionibus et controversijs, petitionibus et quolibet alio, quas et quod predicti simul haberent vel unus versus alium movere posset quacumque occasione, vel modo, ut patet per publicum instrumentum inde factum a jandicto Jacobo Boviculo hoc eodem anno et Indictione die lune sextodecimo mensis februarij, volentes inter partes predictas seu predictos superius nominatos, et super iandictis questionibus seu controversijs arbitrari pronunciare et difinire concorditer et unanimes pronunciaverunt et arbitrati sunt pro bono pacis et concordie prout inferius continetur. Primo quod Vasalj predictorum Comitum dominorum Manuelis et Benedicti fratrum eisdem

Comitibus remaneant sicut divisi fuerunt inter ipsos et antecessores ipsorum et dictos dominos de Castronovo et playa, vel antecessores ipsorum, Et Vasalj dictorum dominorum Castrinovi et playe eisdem remaneant predicto modo et forma. Item quod omnes alij homines Ripe et habitantes in Ripa et posse, vel qui illuc per tempora ad habitandum venerint et habitatores omnes loci predicti, faciant et facere teneantur et debeant fidelitatem predictis Comitibus dominis Manueli et Benedicto fratribus, et predictis dominis de Castronovo et playa, communiter usque ad quindecim dies postquam inde fuerint requisiti a predictis Comitibus et dominis Castrinovi et playe vel ab aliqua ipsarum partium. Item quod predicti Comites domini Manuel et Benedictus habeant et habere debeant medietatem loci predicti Ripe, contitus, dominij et tocius poderij et iurisdictionis, Et predicti domini de Castronovo et playa habeant et habere debeant aliam medietatem loci predicti Ripe Contiti dominij et totius poderij et iurisdictionis. Item quod Vasallj dictorum Comitum Manuelis et Benedicti habeant et habere debeant terciam partem consiliorum consiliariorum, officiorum et officialium Ripe, Et vasali dictorum dominorum Castrinovi et playe aliam terciam partem consiliorum, consiliariorum officiorum et officialium loci predicti Ripe, Et Societas Ripe aliam tertiam partem. Item dixerunt pronunciaverunt et arbitrati fuerunt concorditer quod predicti Comites et eorum vasalj et homines Ripe, et dicti domini de Castronovo et playa et eorum vasalj et homines Ripe faciant et facere possint statuta capitula et ordinamenta, in dicto loco Ripe ad eorum voluntatem, Eo tamen salvo quod non possint facere capitulum, statutum vel ordinamentum seu consilium aliquod quod sit contra Jus seu contra libertatem vel honorem predicti domini Marchionis Montisferrati vel communis Astensis, vel predictorum Comitum, et dominorum de Castronovo et playe, vel alicuius ipsorum. Item dixerunt pronunciaverunt et arbitrati fuerunt in concordia, quod predicti Comites receptis fidelitatibus supradictis predicto modo et forma faciant, et facere teneantur et debeant de dictis fidelitatibus hominibus et vasalis et omni alio iure quod habent seu habebunt in predicto loco et posse Ripe fidelitatem predicto domino Marchioni, Et predicto modo et forma predicti domini de Castronovo et playa faciant et facere teneantur et debeant communi Astensi fidelitatem de dictis fidelitatibus hominibus et Vasalis et omni alio iure quod habent et habebunt in loco predicto Ripe et posse, dictis domino Marchione et comuni Astensi investituram facientibus in vasalos predictos, videlicet, dicto domino Marchione in predictos Comites et dicto comuni Astensi in predictos dominos de Castronovo et playa de predictis omnibus et singulis secundum formam iuris. Item quod omnia predicta et singula predicto modo et forma compleantur et fiant, salvis in omnibus et per omnia omnibus iuribus, rationibus et bonis consuetudinibus dictorum dominorum Marchionum Montisferrati et comunis Astensis in predicto loco Ripe et hominibus predictis Ripe, et predictorum Comitum et dominorum de Castronovo et playa. Lata in castro Clavasij, presentibus predictis Comitibus dominis Manuele et Benedicto et domino Uberto de Castronovo et playa, et Jacobo Girardo Sindico comunis et hominum Ripe, Manuele peristorto, Facino Berrardo, et Facino de Solario de Ripa presentibus et rogatis ad hec testibus, domino Guillelmo et Bonefacio de Sancto Georgio fratribus Comitibus de Blandrato, et Oberto Spinola de Janua, domino Bernerio de Beaquis Judice, domino Frederico de ponzonibus, et Uberto de Cochonato, Et inde dictus

dominus Marchio arbiter et dicti dominus Guillelmus Gardinus et Jacobus Valbella vicem gerentes predictorum potestatis et societatum Astensium eorum nomine et vice, michi notario, eiusdem tenoris plura instrumenta facere preceperunt.

Et ego Germanus de Aura notarius pallatinus hjs omnibus interfui et iussu predicti arbitri et vicemgerentium predictorum arbitrorum sic scripsi.

808. *De alia pronunciatione facta inter easdem partes super dictis litibus per ipsos eosdem commissarios, retinentes in se bayliam iterum pronunciandi.* 1271. 25 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo Indictione quartadecima die mercurij vigesimo quinto Intrantis mensis Februarij, dominus Guillelmus Illustris Marchio Montisferrati pro una parte et dominus Guillelmus Gardinus iudex cui dominus Galeotus de lambertinjs potestas Astensis vices suas commisit ad pronunciandum super questionibus vertentibus inter infrascriptos ut patet per publicum instrumentum inde factum a Jacobo Boviculo notario eodem anno et eadem indictione die dominico vigesimosecundo mensis februarij et Jacobus Valbella cui Rectores quatuor societatum civitatis Astensis nomine ipsarum societatum commiserunt vices suas ad pronunciandum super memoratis questionibus ut patet per publicum instrumentum factum per petrum de Salis notarium eodem anno et eadem Indictione die mercurij decimo octavo mensis februarij, nomine et vice predictorum potestatis et quatuor societatum arbitrorum electorum pro alia parte cum predicto domino Marchione eodem modo arbitro electo a dominis Manuele et Benedicto Comitibus de Blandrato, et dominis Uberto, Jacobo, Obertino, Raynerio et Bonefacio, Guieto, Obertino et Rufino de playa pro sese et alijs dominis Castrinovi et playe, qui vocantur domini de Ripa, et a Jacobo Girardo sindico comunis et hominum Ripe ut patet per instrumenta inde facta de sindicatu predicto a predicto Jacobo Boviculo notario et a pluribus alijs notarijs hoc eodem anno et Indictione die lune XVI mensis februarij, Super omnibus litibus questionibus et controversijs petitionibus et quolibet alio, quas et quod predicti simul haberent vel unus versus alium movere posset quacunque occasione vel modo ut patet per publicum instrumentum inde factum a jandicto Jacobo Boviculo notario hoc eodem anno et Indictione die lune sextodecimo mensis februarij, volentes inter partes predictas seu predictos superius nominatos et super iandictis questionibus seu controversijs arbitrari pronunciare et difinire, Concorditer et unanimes pronunciaverunt et arbitrati sunt pro bono pacis et concordie prout inferius continetur, Primo quod societas Ripe sive que est in loco Ripe sit et esse debeat incontinenti post festum pentecostes proxime venturum cassa et Irrita, ita quod ulterius societas esse non possit ipsa vel aliqua alia societas vel coniuratio in dicto loco Ripe. Item quod post dictum terminum pentecostes incontinenti a predicto termino in antea, dicti Comites et eorum Vasalj et homines Ripe habeant et habere debeant medietatem consiliorum consiliariorum officiorum et officialium Ripe, et predicti domini de Castronovo et playa pro sese et alijs dominis Castrinovi et playe et eorum vasalli et homines habeant et habere debeant aliam medietatem consiliorum consiliariorum officiorum et officialium loci predicti Ripe, hoc non obstante quod pronunciatum seu dictum vel arbitratum reperiretur vel esset quod vasalli predictorum Comitum haberent

terciam partem consiliorum consiliariorum officiorum et officialium Ripe, Et vasallj dictorum dominorum de Castronovo et playa aliam terciam partem, et societas Ripe aliam terciam partem, Ita quod a dicto termino in antea predicti Comites et eorum vasallj et homines habeant medietatem predictam, et predicti domini de Castronovo et playa habeant aliam medietatem ut superius continetur, Ac si expresse pronunciatum esset, quod haberent post dictum terminum medietates predictas ut superius continetur in pronunciatione qua pronunciatum reperiretur, quod haberent tercias partes vasali predictorum Comitum et dominorum, et societas aliam terciam partem. Et predicto modo et forma pronunciaverunt retinentes in sese auctoritatem licenciam et bayliam iterum pronunciandj et pluries inter predictos, ut eis melius videbitur expedire. Lata in castro Clevasij presentibus predictis Comitibus dominis Manuele et Benedicto et domino Uberto de Castronovo pro se et alijs dominis de Castronovo et playa, et absente sindico pro parte comunis et hominum Ripe presentibus et rogatis ad hec testibus dominis Guillelmo et Bonefacio de Sancto Georgio fratribus Comitibus de Blandrato, Oberto Spinola de Janua, domino Bernerio de Beaquis Judice, domino Frederico de ponzonibus et Uberto de Cochonato, Et inde dictus dominus Marchio arbiter et dicti dominus Guillelmus Gardinus et Jacobus valbella vicem gerentes predictorum potestatis et societatis Astensis eorum nomine et vice michi notario eiusdem tenoris plura instrumenta facere preceperunt.

Et ego Germanus de Aura notarius pallatinus hjs omnibus interfui et iussu predicti arbitri et vicem gerentium predictorum arbitrorum sic scripsi.

809. *De commissione facta per comune Rippe in potestatem Ast ut possit pronunciare ad eius liberam voluntatem illud quod dictum comune Rippe facere debeat comuni Astensi.* 1290. 5 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo, Indictione Tercia die dominico quinto mensis novembris In presentia testium infrascriptorum dominus Obertus canonicus et Guillelmus de Aura sindici et procuratores comunis et hominum Ripe ad compromittendum et ponendum ac exponendum se se nomine dictorum comunis et hominum et ipsos comune et homines dicti loci Ripe in comune Astense et in arbitrio et arbitramento libero et absoluto dicti communis Astensis seu Illorum qui representant dictum comune Astense seu habent bayliam et potestatem negociorum comunis Astensis, tali modo quod ipsi sindici auctores et procuratores nomine dictorum communis et hominum Ripe possint promittere dicto comuni Astensi seu alicui vel aliquibus recipientibus nomine dicti comunis Astensis stare arbitrio et voluntati dicti comunis Astensis seu illorum qui representant dictum comune super omnibus hjs que voluerit dictum comune Astense seu representatores seu sustinentes locum seu nomine comunis Astensis, vel arbitrati fuerint, dictos comune et homines Rippe, facere debere communi Astensi, de quo sindicatu apparet publicum instrumentum factum per Odonetum de Rugata notarium, hoc eodem anno Indictione et die, nomine et vice dicti communis et hominum Ripe compromiserunt et posuerunt se se in arbitrio et arbitramento domini henrici de Tangatinjs potestatis Astensis et comunis Astensis, seu in ipsum dominum potestatem et comune Astense et representantem comune Astense et habentem bayliam super omnibus negocijs comunis Astensis, Tali modo

quod ipse dominus potestas possit dicere pronunciare sentenciare arbitrari interpretari et declarare totum id et quicquid ipse dominus potestas et comune Astense dicere pronunciare sentenciare et arbitrari interpretari et declarare voluerit ad eius liberam voluntatem, Promittentes predicti sindici auctores et procuratores nomine dicti comunis et hominum Ripe michi Francisco de Benengo notario tamquam persone publice recipienti nomine et vice comunis Astensis attendere et observare qnicquid dictus dominus potestas dixerit, sentenciaverit, pronunciaverit et arbitratus fuerit et non contravenire sub pena Marcharum Mille Argenti, quam penam michi notario predicto nomine vel ipsi comuni dare et solvere promiserunt totiens, quotiens contrafacerent vel venirent, et totiens quotiens pronunciata per ipsum dominum potestatem non fuerint observata, pro quibus omnibus et singulis attendendis et observandis omnia bona dicti comunis et hominum Ripe, michi jandicto notario nomine quo supra recipienti pignori obligaverunt. Actum in posse Ripe in quodam prato Guillelmi de Fererijs. Interfuerunt testes Jacobus Conatus, Bertanna Bresanus de Monte, Galvangnus Magnanus, dominus Tholomeus Asinarius, Girbaldus pelleta, philippus de Savilliano, Anthonius Alferius et Guillelmus Bertramus de Castagnolis, Et inde plura instrumenta unius tenoris fieri sunt precepta.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

810. *De alia pronunciatione facta per dictum potestatem commisarium antedictum in predictis.* 1290. 6 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo, Indictione Tercia, dominus henricus de Tangatinis potestas Astensis arbiter et arbitrator electus ab Oberto Canonico et Guillelmo de Aura sindicis et procuratoribus comunis et hominum Ripe ut de compromisso apparet per publicum instrumentum inde factum per me notarium infrascriptum, hoc eodem anno et Indictione, die dominico quinto mensis novembris et habens generalem bayliam a comuni Astensi super omnibus ac universis negocijs comunis Astensis faciendi tractandj et ordinandi quicquid facere tractare et ordinare ei videbitur, volens nomine dicti comunis Astensis et pro ipso comuni declarare, dicere, sentenciare et arbitrari illud quod comune et homines Ripe facere tenebuntur et decetero facere debebunt comuni Astensi et pro comuni Astensi, dixit pronunciavit sentenciavit et arbitratus fuit sedendo prout inferius continetur, In primis quod nulla divisio seu segregatio fiat de hominibus Ripe, sed uno eodemque pacto recipiantur homines dicti loci scilicet tam illi qui tenebantur a comuni Astensi, quam illi qui tenebantur seu teneri consueverunt a Marchione Montisferrati. Item quod homines Ripe et quicumque alij de omnibus maleficijs que fient in Ripa et posse teneantur parere iuri in civitate Astensi coram potestate Astensi vel eius Judice. Item quod homines Ripe et quicumque ibidem habitantes in civilibus causis que erunt de summa librarum decem vel ultra teneantur parere iuri in civitate Astensi sub iudice rationis comunis Astensis, a decem libris autem infra, non possint trahi invicti coram ipsis Judicibus, sed iuri pareant et sufficiat in loco Ripe coram eorum potestate, qui potestas teneatur de ipsis questionibus reddere rationem secundum formam capitulorum civitatis Astensis. Item quod omnes cives civitatis Astensis terras possessiones et

domos quas habent in Ripa vel posse ponere debeant ad registrum civitatis Astensis, et tollantur de Registro Ripe, ita quod decetero teneantur solvere fodra et alia munera subire in civitate Astensi et non in villa Ripe de ipsis rebus. Item quod comune et homines Ripe non possint reducere nec receptare aliquem bannitum civitatis Astensis contra formam capitulorum civitatis Astensis. Item quod comune et homines Ripe teneantur eligere omni anno potestatem de Ast vel de burgis coherentibus civitati. Item quod comune et homines Ripe teneantur pro comuni Astensi facere pacem et guerram exercitus, cavalcatas Itinera et succursus, et tenere millitias prout eisdem fuerint imposite. Item quod comune et homines Ripe teneantur facere fidelitatem comuni Astensi. Item quod aliqui cives Astenses, vel aliqui de posse Astensi decetero non teneantur solvere pedagia in Ripa vel posse. Item quod dominium contitus, signoritum, merum et mixtum imperium et omnimoda iurisdictio, pedagium terre et possessiones et domus et alia omnia que habebantur, vel habuisse inveniretur Marchio Montisferrati et Comes Manuel et nepos in Ripa et posse sint decetero comunis Astensis, Salvis tamen et reservatis iuribus cuilibet civi Astensi, que ipsi cives haberent contra predictum Comitem Manuelem et nepotem vel in rebus ipsorum, et de quibus iuribus appareant publica Instrumenta facta ante inceptionem presentis guerre, et salvo iure Guillelmi de Berbino in eo quod esset convenieus. Item quod dominus potestas, Capitaneus et quatuor sapientes plenum habeant arbitrium et bayliam ordinandi dicendi statuendi firmandi et declarandi quicquid voluerint super alijs punctis et articulis et pacta faciendi cum communi et hominibus Ripe, et constituendi sindicum et sindicos ad compromittendum et alia faciendum que facienda videbuntur vel expedient fieri cum predictis comuni et hominibus Ripe, et recipiendi compromissum a predictis comuni et hominibus, et demum omnia alia et singula faciendi cum predicto comuni et hominibus Ripe, que eisdem potestati Capitaneo et quatuor facienda videbuntur aliquo capitulo non obstante. Et predicta dixit pronunciavit sentenciavit et arbitratus fuit dictus dominus potestas voluntate etiam contionis civitatis Astensis, que predicta ordinaverat et firmaverat die dominico quinto novembris in publica contione. Et precepit suprascripta omnia et singula debere attendi et observari per comune et homines Ripe sub pena in compromisso, seu suppositione adiecta, Et inde unum et plura instrumenta michi notario per ipsum dominum potestatem fieri sunt precepta. Lata in Ayralibus ville Ripe in domo domini Soliani de Montafia, et fratris die lune sexto mensis Novembris, presentibus Oberto Canonico et Guillelmo de Aura sindicis et procuratoribus comunis et hominum Ripe nomine ipsius communis et hominum, et presentibus testibus domino Tholomeo Asinario, Antonio Alferio, Rubeo Malculfo, Alexandro Malbeco, Jacobo Malbeco, Gauterio Guardeta, Benete de Solario, Conradino Malabayla, et pluribus alijs.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et iussu dicti domini potestatis sic scripsi.

CLIV. De Bulgaro [1].

811. *De dono facto per comune Ast dominis Raynerio et petrino ac Odono et Rodolfino omnibus de Bulgaro ut ipsi et eorum heredes sint cives Astenses debendo facere pacem et guerram pro comuni Astensi, premio cuius citaynatici dederunt comuni Ast castrum Bulgari.* 1257. 9 Marcij.

(Omisimus quia iam est ad Num. 613).

CLV. De Villanova.

812. *Quomodo dominus Otto Cendelarius Mediolanensis imperialis aule Judex pronunciavit contra Ubertum de Casascho et eius consortes Abbatissam sancti Felicis de papia mittendam esse in possessionem tedialem quarumdam possessionum de Villanova.* 1184. 22 Augusti [2].

Anno domini [3] incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo quarto, Indictione Tercia die mercurij undecimo kallendas Septembris [4], In civitate placencie in claustro maiori ecclesie in presentia bonorum hominum, quorum nomina subter leguntur, Ego Otto Cendalerius [5] Mediolanensis imperialis aule Judex consilio domini Syri papiensis iudicis [6] et aliorum sociorum meorum domino Conrado lubiensi electo et magistro Metello Brixiensi vicarijs domini imperatoris ad iusticias faciendas, Talem sentenciam profero quod [7] Ubertus de Casascho et consortes sui vocati citario [8] dicto et de omni [9] perhemptorio ante curiam domini imperatoris venire contempserunt pro facienda iusticia Abbatisse sancti Felicis de papia super quibusdam possessionibus de Villanova quas occupaverant. Auctoritate imperiali et vicariorum et iudicum precipio iandictam Abbatissam mittendam esse in possessionem istarum rerum, ita tamen si infra annum venerint prestita ydonea cautione quod ad iudicium stabunt, et expensas quas predicta [10] Abbatissa inde fecerat [11] restituerint, tunc demum recipiant possessionem suam, Alioquin si infra annum venire contempserint, predictam Abbatissam nominatarum rerum possessorem constituo. Ibi interfuerunt vocati [12] testes Bergundius de Sanctonazario, Oprandus Confanonerius et Oppizo Sachetus et Bergognonus [13] Sachetus, Carexanus de Ferro, Otto Zacerius [14] et plures alij.

Et Joannes de Monte cartam inde scripsit.

Et Opizo notarius autenticum huius carte vidit et ex autentico exemplavit [15].

[1] Hic titulus iteratur in Codicis margine adiectis verbis *prope Cherium quod presentialiter dirutum est.*

[2] Huius sententiae duo sunt exempla in Codice; primum ex transumpto, alterum ut videtur ex autographo transcriptum; huius cum priore collati lectiones varias hic afferemus. — [3] *dominice.* — [4] *februarij.* — [5] *Cendalarius.* — [6] Deest *iudicis.* — [7] *quia.* — [8] *citatorio.* — [9] *demum.* — [10] *dicta.* — [11] *fecerit.* — [12] *rogati.* — [13] *Bergognus.* — [14] *Zacherius.* — [15] Deest confirmatio notarii.

813. *De alia pronunciatione contra predictos de eisdem possessionibus facta per dictum Judicem in favorem dicte Abbatisse.* 1184. 22 Januarij [1].

(Omisimus quia iam est ad Num. 612).

814. *De quodam precepto facto per Vicarium domini Imperatoris Johanni Martini ut autenticet testes productos in causa que vertebatur inter dictam Abbatissam et eius Monasterium, et Ubertum Comitem de Blandrato.* 1185. 10 Julij [2].

Anno dominice incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo quinto Indictione tercia die dominico decimo mensis Julij dominus Bonefacius Novariensis Episcopus et magister Metellus vicarij imperialis curie preceperunt michi Johanni publico notario ut autenticarem et in publico scripto redigerem dicta testium Abbatisse sancti Felicis de causa que vertitur inter ipsam Abbatissam et Comitem Ubertum de Blandrato ut hec eorum dicta ita semper in omnibus firma habeantur ac si ipsi semper presentes adessent, quorum dicta sunt hec. Bonusiohannes de Vilanova iuramento testatur quod ipse recordatur per annos quinqueginta et semper audivit dicere quod Monasterium sancti Felicis tenuit ipsam Villamnovam [3] quiete, et bene scit [4] firmiter quod nemo in ipsa villa et a duobus milliaribus prope non habet aliquid ad agendum preter predictum Monasterium, et ipsum Monasterium tenet ipsam pro regalia a domino Imperatore. Interogatus quomodo [5] sit hoc [6], Respondit Monasterium inde habere multa privillegia, et talis est fama hominum predicti loci, et ipse est villarius Monasterij et bene scit, Et dicit quod Comes Ubertus de Blandrate non habebat a vigintiocto annis supra nisi duos panes et duos pulos in duobus hospicijs de quibus unum recessit, et terra remansit isti Monasterio, et hoc habebat pro comandaria, sed ab illo termino infra ipse Comes pro hoc accepit fodrum, bannum, Albergarias quamvis nullam haberet rationem. Martinus de Villanova iuramento testatur idem per anos quadraginta, et dicit quod est parum minus de Annis vigintiocto quod Comes Ubertus facit istam superpositam predicto Monasterio, et quod ille qui [7] recessit de illis duobus hospitijs tenet adhuc terram. Joannes Waytafocus iuramento testatur idem quod Martinus et dicit quod comes predictam superpositam facit a tempore quo Ast fuit destructa, Et dicit quod Comes Ubertus et Ubertus de Riva habebant terciam placiti, quando ad hoc vocabantur, sed aliter nichil debebant habere. Carlevarius iuramento testatur idem quod Bonusiohannes a destructione Astensis civitatis. Ubertus Revel iuramento testatur idem quod Johannes Waytafocus per annos triginta. Petrus Dominus iuramento testatur idem quod Johannes Waytafocus preter de tempore, quo ipse Uhertus Comes incepit superpositam facere predicte ville, quod dicit posse esse bene anni vigintiseptem. Rodulfus de Villanova iuramento testatur idem quod iohannes Waytafocus. Adam iuramento testatur idem quod johannes Waytafocus.

[1] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker, *Forschungen zur Reichs-und Rechtsgeschichte Italiens*, Vol. IV. pag. 194. N. 154, sub diversa anni nota (1185).

[2] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcriptum edidit J. Ficker *Forschungen* etc. cit. vol. IV. pag. 201. N. 159. Lectiones varias hic afferemus. — [3] *Villanovam.* — [4] *quiete et bene; scit.* — [5] *quoniam.* — [6] *hac.* — [7] *quod.*

Petrus Vexosius iuramento testatur idem quod Joannes Waytafocus [1]. Marchesius qui dicitur Petrus iuramento testatur idem quod Johannes Waytafocus. Raymundus iuramento testatur idem quod Joannes Waytafocus, preter quod dicit, quod nescit si Abbatissa vel prioria fecerit tale pactum prout audivit, quod [2] quando furta et homicidia et periuria fiebant et ipse domine non possent vocare homines ad rationem, quod propter hoc vocabant Comitem predictum et consortes ut venirent ad hoc, et adiuvarent distringere homines, et quando veniebant, debebant habere terciam banni et iudicature, hoc habere debebant, Et si non venirent nichil habere debebant. Et predicti Raymondus, Petrus, et Marchisius hoc dicunt similiter, et non de iure hoc habere debebant, sed propter convenientiam quam cum eis fecit predicta Abbatissa, vel prioressa. Et omnes dicunt una voce quod predictus nullam habet rationem ibi, sed hoc quod facit, per violentiam facit. Actum in placencia interfuerunt Johannes Cacia de Cume et dyopoldus iudex de Vicencia et litus de Vicencia iudex, Viscardus de palio de Verona, Valerianus de Greco de Verona, Ottolinus delapoma, Aldricus Seschalchus de Cume, Johannes de Malamina, Rufinus Advocatus, Oprandus Vexilifer qui sunt de Papia et multi alij testes.

Et Johannes Martinj sacri palatij notarius precepto vicariorum et iudicum hos testes autenticavit et scripsit [3].

Et Opizo notarius sacri pallatij autenticum inde vidit et exemplavit et scripsit.

815. *De quodam alio precepto per vicarium dicti domini Imperatoris facto Martino philippi quod autenticet dicta quorundam aliorum testium receptorum in alia questione vigente inter dictas partes.* 1186. 15 Februarij [4].

Anno dominice incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo sexto Indictione quarta die dominico quintodecimo [5] kallendas Martij, Apud Monasterium sancti Salvatoris de civitate papie, Magister Metellus Vicarius domini Frederici invictissimi imperatoris una cum Ottone Cendadario Mediolanensi, Alberto de Adegherio ferrariensi et Syro Salimbene papiensi et ydone Terdonensi iudicibus Curie preceperunt michi Martino publico notario imperialis curie ut autenticarem et in publico scripto redigerem dicta testium domine Scolastice Abbatisse Monasterij sancti Felicis de causa quam habuit cum Comite Uberto de Blandrato, de iurisdictione, districtu, et fodro Villenove, et de quinque generalibus placitis eiusdem ville, ut hec eorum dicta semper in omnibus firma habeantur, ac si ipsi semper presentes adessent, quorum dicta sunt hec. Andreas iuramento testatur, quod ipse bene recordatur per annos quadraginta, et semper vidit quod Abbatisse predicti Monasterij nomine ipsius Monasterij tenuerunt Villamnovam [6] ex parte imperij per regalia et habuerunt fodrum et bannum et Albergarias sine alicuius contradictione preter quod scit quod comes quondam Guido pater Uberti Comitis et ipse Ubertus Comes habebant [7] pro comandaria in ipso loco ex parte Marchionis Montisferrati Guillelmi in duobus scilicet in Uberto Revello et

[1] Add. *Et.* — [2] *quia.* — [3] Reliqua desunt.

[4] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 206. N. 165. — [5] *Februarij* quod verbum in codice obliteratum videtur. Rectius dicendum *decimosexto Feb.* ut monet Ficker. — [6] *Villanovam.* — [7] *habebat.*

in Johanne Guaytafoco, duos panes et duos capones, Et propter hoc bene sunt anni vigintiseptem, quod ipsi Comites et sine aliqua ratione acceperunt banna et fodra de ipsa villa, Et nescit quod ipsi Comites aliquid habuissent in ipsa villa preter ipsas predictas comandarias. Interogatus quantum temporis est quod predicti Comites tenent Comitatum, Respondit quod ipsi nunquam habuerunt Comitatum aliud ibi, preter predictas duas comandarias, sed a vigintiseptem annis citra ceperunt fodrum et banna et hoc sine ratione, et dicit quod stetit cum Comite Uberto et stando cum eo dicebat ei in derisione quid habetis vos in Villanova, vos non habetis ibi nisi tortum, et ipse Comes respondit immo habeo, sed tamen plus est michi carum tortum quam rationem. Ogerius iuramento testatur idem quod Andreas per omnia per triginta annos preter quod non stetit cum Comite Uberto nec ei dixit illa verba que ipse Andreas ei dixit. Johannes Roba iuramento testatur per annos quadraginta idem quod Andreas de Benuta, et de Comendarijs Comitis, et de fodris et bannis a vigintiseptem annis ab eo acceptis, Et isti tres dicunt quod Comes habuit predictas Comandarias, a Marchione Guillelmo Montisferrati, Et idem de Comitatu Comitis quod habet, sed dicit quod a viginti annis retro ipse Comes ibi non habebat nisi predictas comandarias. Viubercionus [1] Magister iuramento testatur idem quod Andreas et Ogerius. Presbiter petrus iuramento testatur quod stetit intus Monasterium sancti Felicis adhuc per quindecim annos, et testatur quod multotiens ivit apud Villamnovam cum Abbatissa et sine Abbatissa, et videbat homines loci distringi per Abbatissam et facere eius voluntatem, et si discordia erat inter homines loci, videbat conqueri Abbatisse et placitare sub ea, et iurare sub ea de bannis, et circa decem et septem anni sunt, quod ipsemet tempore Abbatisse Cicilie ivit Villamnovam et cum Gastaldo Abbatisse quiete collegit fodrum in ipso loco. Interogatus si Comes de Blandrato contrariavit hoc vel eius nuncius, Respondit non, sed audivit dicere ipsi Abbatisse, quod Comes Guido dicebat, Ubertus de Ripa habebat terciam partem bannorum de medietate ville, et ego volo habere terciam partem bannorum de alia medietate, et audivit dicere ipsi Abbatisse quod tollebat inde terciam partem, sed promittebat ei, quod quando ipse Ubertus dimitteret suam terciam partem, ipse similiter dimitteret suam partem Abbatisse, Et dicit quod a XXXII, annis retro non audivit quod Comes peteret aliquid in ispo loco, sed postea ceperunt per vim tollere banna ut audivit. Interogatus si proprietas illius loci est Monasterij, Respondit sic, ut audivit semper dicere. Interogatus si vidit Comites vel eius nuncios habere aliquid in ipso loco, Respondit non. Maximigla monacha istius Monasterij testatur iuramento, quod a duodecim annis infra, fuit cum Abbatissa Cicilia apud Villamnovam, et ibi collegit cum Gastaldione ipsius Abbatisse fodrum ipsius loci, quiete sine contradictione alicuius, Et postea per plures vices fuit cum Abbatissa, in ipso loco, et videbat homines loci placitare sub ipsa quiete, et fuit cum predicta Abbatissa Scolastica apud Villanovam et vidit homines loci sub ea placitare. Item dicit quod semel vel bis vidit homines de villanova placitare sub abbatissa Cicilia papie et conqueri sub ea, Et dicit quod communis fama erat et est quod Comes non debet habere aliquid in ipso loco, nec aliquid habet nisi per vim, et hoc a triginta annis infra, Excepto quod audiebat dicere quod habebat

[1] *Viubecionus.*

duos pulos et duos panes in duabus domibus loci, et hoc nomine Comandarie. Interogata qualis est comunis fama loci, Respondit quod audiebat hoc dicere hominibus loci Villenove et alijs hominibus de ipso circuitu, Et audiebat hoc dicere Abbatisse Cicilie. Interogatus (sic) si proprietas illius loci est sancti Felicis, Respondit sic. Interogata quomodo sit hoc, Respondit quia vidit per plures vices, et hoc semper quando fuit illic cum alia Abbatissa et cum ista videbat homines et mulieres loci venire obviam Abbatisse et recipere eam ad campannas sonantes et cum aqua benedicta, et encenso. Sybilia iuramento testatur quod tempore Abbatisse Cicilie semel, et tempore istius Abbatisse semel fuit cum eis apud Villamnovam et vidit homines recipere ipsas Abbatissas ad campannas sonantes et cum aqua benedicta et encenso et venire obviam eis et mittere eis tortas et capones et tenere eam pro domina, et placitare vidit homines illius loci sub eis, Et vidit Abbatisse Cicilie colligere fodrum per ipsum locum quiete. Interogata si vidit Comites Blandrati vel eorum nuncios ibi aliquid habere, Respondit non, et dicit quod sedecim anni sunt quod moratur in ipso Monasterio et ab eo tempore infra audivit quod Comites per vim et non iuste tollere ab hominibus ipsius loci, hoc quod ipsi tollunt, et de comuni fama et de comandaria dicit idem quod Maximigla. Felicitas Monacha eiusdem Monasterij iuramento testatur quod a tribus annis infra fuit cum illa Abbatissa Scolastica apud Villamnovam, et vidit homines loci venientes obviam[1] ei et recipere eam ita honorifice ut ista Maximigla testata est, et vidit homines loci placitare sub ea et tenere eam pro domina, de comuni fama et commandaria dicit idem quod Maximilla, de auditu quod Comites nichil habent ibi nisi per vim et iniuste dicit idem quod sibilla. Interogata si vidit[2] Comites vel eorum nuncios habere vel colligere aliquid in Villanova, Respondit non, Et dicit quod alteri Abbatisse audivit dicere quando inde redibat, quod collegerat fodrum in ipso loco. Bergognonus[3] Sachotus iuramento testatur, quod tempore Abbatisse Cicilie eo anno quo Mediolanenses intraverunt civitatem et ante quam intrarent, fuit in Villanova, et vidit ipsam Abbatissam ponere fodrum in ipso loco, et vidit Gastaldum ipsius Abbatisse deferre ipsi Abbatisse partem ipsius fodri, Et vidit ipsam Abbatissam facere venire messes de tercijs et quartis rusticorum suorum, et facere eas deferre in area sua, et ipsas fruges facere batere, et videbat quod rustici mittebant tortas et capones domine Abbatisse, et vidit nuncium Abbatisse tollere de unaquaque vegete vinj, que tunc veniebat ad vendendum in ipso loco galetam unam vinj, Et dicit quod Episcopus Astensis tunc colligebat exercitum et sic quidam homo Comitis qui habet nasum argenti venit in ipso loco et sic Abbatissa interogavit eum, ad quid venerat in ipso loco, qui dixit quod venerat causa adiuvandi homines loci ne damnum susciperent[4] pro exercitu, et Abbatissa dixit quod nolebat suum auxilium nec domini sui, sed recederet, et sic ipse recessit, et dixit quod a tribus annis infra, fuit cum ista Abbatissa in Villanova, et taliter fuit recepta honorifice ut Maximilla testata est, et dixit quod quando ivit cum ipsis Abbatissis vidit homines loci placitare sub ipsis et vocare eas dominas, Et dixit quod vidit Wilelmum[5] Balzanum de ipso loco dare illi Abbatisse bannum de homicidio sed

[1] *Obveniam.* — [2] *quod* obliteratum in cod. — [3] *Burgognonus.* — [4] *suscurrent.* — [5] Deest *Willelmum.*

dixit quod comes vi tulerat sibi tercium ipsius banni, Et dicit quod tercia pars de bannis et de investituris, quas Abbatissa fecit de sua[1] et aliorum advocatorum, Et dicit quod quando Ivit cum ista Abbatissa vidit eam ibi ponere fodrum, et vidit denarios et pignora venire in manibus Abbatisse. Interogatus si unqnam vidit Comites vel eorum nuncios colligere fodrum vel habere bannum vel habere aliud in Villanova, Respondit non. Iterogatus si Comes Ubertus tenet Comitatum Cesole, Respondit se nescire nisi per auditum hominum. Interogatus si Villanova de qua agitur est de comitatu Cesole, Respondit non, immo homines loci et alij homines dicunt, non[2] Comes, nichil iuris ibi habet et quod tortuose tenet, hoc quod tenet ibi Interogatus si tenet placita, que dicuntur contiva[3] in ipso loco, Respondit quod nichil scit, nec hoc dicere audivit, nec ipsius Comitis, de alijs questionibus nichil scit. Opizo sachotus iuramento testatur quod a tribus annis infra fuit in Villanova cum ista Abbatissa, et vidit Abbatissam ita recipi ab hominibus terre ut Maximilla testata est, et tunc vidit Abbatissam tunc ibi imponere fodrum super homines ipsius ville et qniete etiam colligere, et vidit homines illius loci tunc placitare sub nuncijs domine Abbatisse, et homines ipsius loci bene dicebant quia Comites nichil cum ratione habebant nisi duos panes et duos pulos de duabus domibus pro commandaria, et dixit quod quadam vice dixit ipse Opizo Comiti Uberto in Cherio quod malefaciebat, quod inquietabat Monasterium, de rebus de Villanova. Et Comes Respondit quid iuvaret Monasterio si dimitterem hoc quod ibi teneo, quia illi de Riva tollerent totum, sed si ipsi dimitterent cito posset Abbatissa concordari inde mecum, de omnibus questionibus Comitum Blandrati interogatus dixit se nichil scire. Item confitetur quod audivit confiteri Marchioni Montisferrati postquam ipse Marchio levavit crucem, quod Comes Blandrati faciebat peccatum et male de hoc quod inquietabat Monasterium, et dixit quod operam dyaboli inde faciebat. Interfuerunt Guillelmus Advocatus, Guido de Codela, Oprandus Confanonerius, Malaguisca de Brisia, Guarnerius iudex de Asisio et multi alij testes.

Et Martinus philippi imperialis aule et papiensis notarius hos testes autenticavit.

816. *De sententia lata per vicarium domini Imperatoris in favorem dicti Monasterij contra dictum Comitem Ubertum.* 1186. 15 Februarij[4].

In nomine domini nostri Yhesu Christi, Anno ab eius Incarnatione Millesimo centesimo octuagesimo sexto Indictione quinta, die dominico quintodecimo[5] mensis Februarij, super controversia que vertebatur[6] inter dominam Scolasticam Abbatissam Monasterij sancti Felicis ex una parte, necnon et ex alia Comitem Ubertum de Blandrato videlicet de iurisdictione et districtu, et fodro Villenove, de quibus omnibus predictis Comes dicebat se debere habere terciam partem medietatis, Et iterum dicebat se habere debere quinque generalia placita, et se possessionem inde habere allegabat, Contra predicta Abbatissa respondebat et dicebat nec iurisdictionem nec districtum nec fodrum nec predicta generalia placita ibi habere debere, et si in aliquo tempore habuit, dicebat ipsa Abbatissa ipsum Comitem habuisse per vim, domino Bonefacio

[1] Corrigit *est sua.* — [2] *quod.* — [3] *conlicua.*

[4] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 209. N. 166. — [5] Rectius *sextodecimo* ut monuit Ficker. — [6] *vertebat.*

novariensi Episcopo et Magistro Metello Vicarijs domini Invictissimi Imperatoris ad iusticias faciendas sedentibus pro tribunalj Ego Ido Terdonensis imperialis aule iudex consilio sociorum meorum videlicet Alberti de Adegherio Ferrariensis, Syri Salimbene Papiensis, Ottonis Cendadarij Mediolanensis iudicum curie, visis et auditis rationibus et allegationibus utriusque partis, et testibus diligenter inspectis pronuncio et Judico fodrum districtum iurisdictionem et quinque generalia placita, de quibus omnibus erat contentio inter predictam Abbatissam et predictum Comitem Ubertum, ad abbatissam, et non ad Comitem predictum pertinere, Unde condemno predictum Comitem Ubertum in restitutione predicti fodri et districtus et iurisdictionis et quinque generalium placitorum predicte Abbatisse. Actum in Claustro Monasterij sancti Salvatoris siti non multum longe a civitate papia, Interfuerunt Oprandus Confanonerius, lanfranchus Taconus, Campanese de Becharia, Willelmus [1] Mazonus, ardericus de Bonanato [2], Mediolanensis iudex, Guillelmus Advocatus, Aristaus Medicus, Opizo Sachetus, Girardus Advocatus, Raynaldus de plebe atque Guido de Cadalo [3] testes.

Et Martinus philippi imperialis aule et papiensis notarius inde sentenciam scripsit.

817. *De possessione tediali data per Judicem domini Regis henrici dicte domine Abbatisse sancti Felicis de papia de villanova cum omnibus suis iuribus contra Rogerium de Rippa.* 1187. 24 Octobris [4].

Anno dominice incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo septimo Indictione quinta, nono die ante kallendas novembris, presentia bonorum hominum quorum nomina hic subter leguntur veniens ante presentiam iudicum curie serenissimi Regis Henrici Abbatissa sancti felicis de papia conquesta fuit de Rogerio de Ripa, quod homines de Villanova iniuste fodrat et possessionem turbat, asserens iurisdictiones loci ad se pertinere, quod Abbatissa negat, et dominam sicut loci, ita et iurisdictionis se fodri et causarum esse affirmat et omnium que ad iurisdictionem pertinent, Cumque predictus Rogerius citatus perhemptorie fuisset, et venire contempsisset, constituto procuratore philippo de petracio ab Abbatissa, ego Bertramus Salimbonum de papia regie aule iudex consilio et voluntate sociorum meorum scilicet Syri Salimbonum, Idonis Terdonensis de Sanctogenesio, et Ottonis Cendadarij de Mediolano, Gualfredi de Turricella de papia, et passaverre de Mediolano, et Guidonis de Elma, similiter eiusdem curie iudicum, Serenissimi domini Regis Henrici, pronuncio supradictum philippum procuratorio nomine mittendum in possessionem [5] supradicte Villenove, et eum mitto ita ut predictus Rogerius intra annum nec aliter recuperet quasi possessionem in supradicto loco, nisi solutis expensis, Salvo iure quasi possessionis, quod Abbatissa in supradicta villa habet pro omni iurisdictione siquod habet, quia sic interfuerunt [6]. Actum in Taurino in pallatio domini regis. (Signum manus) bonniardus [7], de Cambarario, Nicholaus petrus, Jacobus Viola, Martinus, et ipsi interfuerunt testes.

Et lanfranchus Michaelis notarius sacri pallatij cartam ex tali autentico exemplavit.

[1] *Winus.* — [2] *Bonato.* — [3] *Cadolo.*

[4] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcriptum edidit J. Ficker *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 215. N. 172. — [5] Addit *esse.* — [6] *convenerunt.* — [7] *Bonntardus.*

818. *De dicta Abbatissa ponenda in possessione loci Sancti Salvatoris et loci Villenove et omnium iurium et Jurisdictionum eorum precepto et ex commissione Judicis Regie Aule.* 1187. 24 Octobris [1].

Anno dominice incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo septimo nono die ante kallendas novembris Indictione quinta, presentia bonorum hominum, quorum nomina hic subter leguntur Gualfredus de Turricella regie aule iudex parabola Bertrami Salimbonum socij sui fecit philippum de petracio de papia suum missum ut mittat Abbatissam de Sancto felice de papia in quasi possessionem iurisdictionis honoris et districtus nominative de loco sanctosalvatore, et Villanova, Salvo omni iure predicte Abbatisse siquod habet in predicta quasi possessione, quia sic convenerunt. Actum in Taurino (Signum manus) Artusius de Becaria [2] de papia, Germanus de Casate, et ipsi interfuerunt testes.

Et Guifredus notarius sacri palatij inde cartam scripsit.

819. *De quadam declaratione facta de quodam Carlevario a carceribus relaxando, in favorem dicte Abbatisse, contra Oppicium Sapientem.* 1202. 16 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo Indictione quinta die iovis sextodecimo intrante Madio, causa Talis vertebatur ante presentiam domini Alberti Saporiti iudicis domini Guidonis de pirovano potestatis Astensis inter Sybiliam prioriam ecclesie Monasterij sancti Felicis de papia nomine ecclesie sancti Felicis, de Villanova ex una parte et Opicium Sapientem ex alia supra quendam hominem Carlevarium nomine, quem Opicio ceperat ex alia, et quem in carcerem posuerat, et quem petrus Gallina manulevaverat dicendo ipsum hominem capere et debere tenere, allegando res Rogerij de playa habere obligatas et licenciam a potestate habere capiendi in personis et rebus ipsius Rogerij et hominum suorum pro suo debito, dicens istum hominem esse hominem de districtu ipsius Rogerij de fodro et banno et placitis et successionibus. Econtra predicta Sybilia prioria dicebat hominem istum sibi tenere non licere nec debere, et ad ipsum Rogerium non pertinere sed de fodro et banno et placitis et successionibus et de districtu predicti Monasterij esse. Et sic ipse iudex visis allegationibus utriusque partis et auditis et testibus et instrumentis et sentencijs, et delato sacramento ipsi priorie et ab ea prestito, quod predictus Carlevarius ita pertinebat ad predictam ecclesiam de Villanova pro fodro et banno et placitis et successionibus, quod pro hjs ad predictum Rogerium non pertinebat, Ideo ipsum Carlevarium ab eiusdem Opicionis vinculo carceris et petitione, et ipsum Petrum Gallinam per sentenciam absolvit. Lata fuit Aste in ecclesia sancti Systi testes Garnerius Arancaboschus, Otto Bassus, Raymondus de Cavoro.

Et philippus Moxus notarius inde cartam scripsit.

[1] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcriptum edidit J. Ficker, *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 215. N. 173. — [2] *Becana.*

820. *De libris CXL Astensibus per prioriam Monasterij sancti Felicis de Villanova mutuo sumptis ab Uberto domine Benzie pro denarijs tribus pro libra, de consensu dicte domine Abbatisse et eius capituli.* 1208. 16 Septembris.

Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo octavo, Indictione undecima in Kario sextodecimo mensis Septembris, domina Lucia sancti Felicis Monasterij de Villanova prioria consilio domine Audixie eiusdem Monasterij monace, et mandato voluntate et precepto domine Maximilie dei gratia sancti Felicis Monasterij Abbatisse de papia, et eius totius conventus eiusdem Monasterij scilicet domine Sybilie eiusdem Monasterij priorie, et domine Faustine et domine Mayolite et domine Margarite et domine Ysabelle eiusdem Monasterij Monacarum, que concessit et licenciam dedit a parte istius Monasterij iandicte domine lucie nomine iandicti Monasterij de Villanova sancti Felicis mutuandi ad sanandum debita Iandicti Monasterij Centum quadraginta libras Astenses ut in publico instrumento ibi et viso et lecto a Rufino notario confecto Anno domini MCCLXXX°. Indictione undecima concurrentibus, die lune primo mensis Septembris ostendebat, In quo etiam instrumento pro testibus fuerunt Guillelmus Raviolus, et Rodulfus Sardus, fuit confessa se mutuo recepisse ad opus et utilitatem ecclesie ipsius de Villanova ab Uberto domine Bencie libras Centumquadraginta bonorum Astensium, exceptioni non accepte pecunie renunciando, quos per stipulationem nomine et a parte dicti Monasterij sancti Felicis de Villanova eidem creditori vel suo certo misso solvere in Kario promisit usque ad anum unum proximum, quod si tunc non solverit promisit deinde eidem creditori in antea dare pro premio et puro dono, denarios tres pro qualibet libra singulis mensibus donec eos tenuerit, ita tamen quod ei non liceat tenere sine ipsius creditoris parabola, et a termino inantea liceat ipsi creditori istos denarios et premium ab alio mutuare ad laborem vel ad guierdonum secundum quod magis placuerit ipsi creditori, et omne damnum et expensas quod vel quas a termino in antea fecerit pro hoc debito mutuando, placitando, iudicaturam dando sive eundo vel redeundo vel stando seu quolibet alio modo, ei in integrum nomine et a parte dicti Monasterij restituere ac solvere promisit, credendo in suo verbo sine testibus et sacramento de mutuo et damno et expensis et de quantitate dati prout ipse dixerit, unde iandicta domina lucia omnia bona iandicti Monasterij de villanova presentia et ventura eidem creditori pignori obligavit, que sibi grata fuerint ad integram ut supra legitur solutionem et restitutionem sortis et uxurarum et expensarum et damnorum si affuerint inde consequi possint, omni placito et omni legis auxilio et privillegio fori ecclesiastici renunciando. Et ex inde eodem die et eodem anno in claustro de Villanova, coram Ansaldo de Solberico et Joanne de furno et Jacobo Carleto et Berono de Stoyerda et presbitero Tebaudo, Guillelmus Raviolius et Rodulfus sadus, et petrus Gurra et Guillelmus et Raymondus de Surica, et Carlevarius, Otto, Agnellus, Petrus Obertus pancera, Bechinus, Petrus Vezosus, Ubertus Varinus, Joannes Marchisius, Guillelmus pellacia, Guillelmus damepiscopus, Obertus Raviolius, Jordanus Ferrarius versus ipsum creditorem fideiussores se constituerunt quisque insolidum renunciantes his duabus novis constitutionibus, quarum una dicitur ne quis ex reis conveniatur insolidum donec alter

fuerit presens et solvendo altera vero denotatur quod principalis debitor prius conveniatur quam fideiussor, Unde ipsi fideiussores, qui omnes sunt de Villanova omnia eorum bona presentia et ventura ipsi creditori pignori obligaverunt que sibi grata fuerint ad integram ut supra legitur solutionem, omni placito et omni legis auxilio et privillegio fori renunciantes, Et hoc debitum factum fuit pro comodo et utilitate iandicti Monasterij de Vilanova in solvendis debitis uxurarijs iandicti Monasterij scilicet Alinerio Bulle libras sexagintatres, cui ipsum Monasterium dare debebat ut in quodam publico instrumento continetur, Anno domini MCCVI° indictione nona concurrentibus a Jacobo notario confecto, duodecimo mensis octubris, et Henrico Boniiohannis Balbi ..... ut in quodam publico instrumento ibi viso et lecto, et a petro de Suaterra notario confecto, Anno domini MCC°V. Indictione VIII[a] quartodecimo kallendas Junii concurrentibus ostendebat, et Gribaldo Irato bonorum Secusinorum ..... cui ipsum Monasterium dare debebat ut in quodam publico instrumento ibi viso et lecto continebatur et a Guillelmo Raviolo notario confecto, Anno domini MCC°IIII[to]. Indictione VI°, XII° kallendas Junii concurrentibus, Interfuerunt testes Guillelmus de Solario, Odonus Ottonis dodellj, Astesianus, Bonefacius de Cellarengo.

Et Guillelmus imperialis notarius cartam scripsit.

821. *De presentatione quarundam litterarum vicarij domini Imperatoris per sindicum dicti Monasterij facta domino ottoni qui dicitur de Aste.* 1210. 28 Aprilis [1].

Una die mensis Aprilis tercia exeunte ipso mense, apud portam castri de Mombello presentia infrascriptorum testium ser Carexanus missus atque conversus Monasterij sancti Felicis de civitate papie, ex parte domini Ottonis dei gratia Imperatoris atque dominj Henrici civitatis Mantue Episcopi, Vicarij ipsius [2] domini Ottonis imperatoris dedit atque porexit domino Guidoni qui dicitur de Aste de iandicto castro habitatori eius nomine et nomine Frederici fratris ipsius domini Guidonis literas sigillo prenominati domini Henrici Episcopi sigillatas, qui vero dominus Guido, ipsas recepit litteras. Factum est hoc anno domini Millesimo ducentesimo decimo Indictione terciadecima, interfuerunt ibi testes, ser iacom Coagatta de civitate papie atque Garogla servitor comunis civitatis Astensis et quamplures alij.

Et lantelmus domini Henrici et domini Imperatoris notarius inde cartam scripsit.

822. *De presentatione aliarum litterarum dicti domini Vicarij per dictum sindicum nomine dicti Monasterij facta dominis Qualie et Uberto fratribus de Gorzano.* 1210. 23 Maij [3].

Die nono exeunte Maio in civitate Astensi, apud Casam ser Uberti Bovini presentia infrascriptorum testium Carexanus conversus et sindicus Monasterij sancti Felicis de civitate papie prout vidimus contineri in quodam publico instrumento a

[1] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 278. N. 227. — [2] *ipsi.*

[3] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcriptum edidit J. Ficker *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 280. N. 229.

Rufino Manicello notario scripto ex parte domini Ottonis imperatoris ut prenominatus Carexanus dicebat dedit et porexit dominis Qualie de Gorzano et Uberto eius fratri, literas sigillo predicti domini Henrici episcopi et vicarij sigillatas de facto et super facto Villenove, ut dicebat et dixit ipse Carexanus, Qui vero fratres Qualia et Ubertus ipsas receperunt concorditer literas. Factum est hoc anno domini M°CC°X. Indictione terciadecima, interfuerunt ibi testes Jacobus Coagatta et Rufinus Medicus, et Petrinus Romani omnes de civitate papie et Garogia servitor comunis civitatis Astensis.

Et lanfranchus de Morengo domini ..... imperatoris notarius inde cartam scripsit.

823. *De sindicatu Caresani conversi supradicti constituti sindici et yconimi dicti Monasterij sancti felicis de papia, in omnibus causis dicti Monasterij.* 1210. 21 Junij.

Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo decimo Indictione terciadecima die lune undecimo kallendas Julij In Papia, Nos domina Maximillia Monasterij Sancti Felicis Papie Abbatissa et domina Sybilia prioria et domina Scolastica et domina Faustina et domina Margarita et domina Mayolica et domina palma, et domina item Maximigla monace iandicti Monasterij nomine et a parte iandicti Monasterij constituimus et facimus Carexanum conversum iandicti Monasterij sindicum et yconimum in omnibus causis quas predictum Monasterium habet vel possunt emergi pro ipso Monasterio contra omnes personas in papia et eius comitatu, et similiter in tota ytalia et in omnibus locis ubicumque necesse fuerit In agendo et petendo respondendo et exigendo et excutiendo, et quicquid ad causam vel ad causas pertinet faciendo, Et quicquid dictus Carexanus inde fecerit ratum et firmum nos semper habere promittimus, Et inde hanc cartam fieri rogamus. Interfuerunt Nicholaus Scaranus, Bertramus de laude et Johannes Tensus et Allo de Carexino testes.

Et Otto Michaelis sacri palatij notarius, inde cartam scripsit.

824. *Da quodam termino dato per commissarios domini Imperatoris dictis Guidoni et Frederico fratribus de Ast ad comparendum coram ipsis.* 1210. 19 Augusti [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo decimo Indictione terciadecima die iovis quartodecimo kallendas Septembris, Super causa que vertebatur inter Monasterium sancti Felicis de papia ex una parte et Guidonem de Aste et Fredericum fratrem eius ex altera, delegata a domino imperatore, dominis Resonato et Jacobo de Platea iudicibus ut in commissione inde facta continetur, tenor cuius talis erat, Otto dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, fidelibus suis Resonato Zacio et Jacobo de Platea iudicibus gratiam suam et bonam voluntatem, causas quas habet Monasterium sancti Felicis de Papia cum Qualea de Gorzano et Uberto de Gorzano et fratribus suis et cum Guidone de Aste et Frederico fratre eius devotioni vestre

[1] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcriptum edidit J. Ficker, *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 284. N. 236.

committimus cognoscendas et fine debito terminandas, Mandantes quatenus partes ante presentiam vestram convocetis [1], et auditis hinc inde propositis predictam causam sive causas iusticia mediante ..... [2]. Et si qua partium ante vos venire recusaverit nostro banno auctoritate nostra supponatis. Prefati vero Resonatus et Jacobus bis predictos Guidonem et Fredericum ut ante eos venirent Carexano sindico pretitulati monasterij iusticie stare, et postea bis peremptorie et per peremptorios eosdem per suas literas et nuncios citaverint, et venire recusaverunt, Ad finem ipsis venientibus dixerunt quod coram eis omnino non responderent, Idcirco pretaxati Resonatus et Jacobus titulatis Guidoni et Frederico terminum dederunt ut usque ad diem dominicum per sese vel certum eorum responsalem ante eorum presentiam venire deberent Alioquin imperiali auctoritate qua fungebantur prelibatos Guidonem et Fredericum in banno posuerunt, taliter quod si ad terminum iandictum non venerint, deinde sint in banno domini imperatoris. Actum Aste in camara communis Astensis, interfuerunt testes Baiamondus de platea Judex, Girardus Josbertus iudex, Sorleonus Maronus, Otto Gohomondus, Ogerius Culorius, Jacobus de fossato, philippus notarius, Obertus filius Dunioti Calderarij.

Et Gandulfus Donaschus notarius inde cartam scripsit.

825. *Quomodo dictus sindicus nomine dicti Monasterij a nuncio per dictos commissarios domini Imperatoris ad hoc constituto positus fuit in possessionem Villenove.* 1210. 24 Augusti [3].

Anno domini Millesimo ducentesimo decimo Indictione terciadecima die martis nono kallendas Septembris, presentia testium infrascriptorum, Vistafilatus nuncius ad hoc constitutus specialiter a domino Resonato Zacio et Jacobo de platea iudicibus delegatis a domino Ottone Romanorum imperatore super causa que vertebatur inter Monasterium sancti Felicis de papia ex una parte et Guidonem de Aste et Fredericum fratrem eius ex altera posuit Carexanum sindicum ecclesie sancti Felicis nomine ipsius Monasterij in possessionem et quasi possessionem villenove, et omnium illorum iurium que ipse Carexanus nomine prefati monasterij ab eis exigebat prout in libello inde composito continetur, Tenor cuius libelli talis est, Vobis dominis Resonato Zacio [4] et Jacobo de platea a domino Ottone Romanorum imperatore iudicibus delegatis in causis quas habet Monasterium sancti Felicis de papia cum Guidone de Aste et Frederico fratre suo, Conqueror ego Carexanus sindicus predicti Monasterij nomine et vice ipsius Monasterij de Guidone de Aste et Frederico fratre eius, qui accipiunt contra jus et rationem in Villanova et hominibus illius loci fodrum et bannum et de iurisdictione et districtu et successionibus et de quinque generalibus placitis illius loci se intromittunt que eis facere non licet, cum omnia supradicta ad predictum Monasterium pertineant, unde predicto modo et nomine peto quatinus eos ab omnibus predictis cessare faciatis, et ad predictum Monasterium omnia predicta pertinere pronunciare debeatis, Tali modo positus est ipse Carexanus nomine

[1] *convocatis.* — [2] Supplet (*decidatis*).

[3] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficher, *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 285. N. 237. — [4] *Cacio.*

prefati Monasterij in iandicta possessione, ut ipse Carexanus nomine predicti Monasterij omnia predicta que continentur in libello superius nominato teneat et possideat salvo iure omnium aliarum personarum, donec prefati Guido et Fredericus tedio affecti veniant responsuri. Interfuerunt testes, Raymondus Gastaldus, Petrus Vexosius, Petrus culirius, Vercelle, Carlevarius, Jacobus Mola, Petrus Rogerius, Otto Agnellus, Johannes Marchixius, Rodulfus Jacherus, Andreas de Scarlenda,[1] et Guillelmus Varlasta, Insuper in claustro predicti Monasterij prefatus Vastafilatus ex parte domini imperatoris et predictorum Resonati et Jacobi gerentium mandatum domini Imperatoris precepit predictis testibus ut decetero debeant respondere predicto Carexano nomine dicti Monasterij vel alij nomine ipsius Monasterij de omnibus illis iuribus et rebus que superius continentur in libello, Et predictis Guidoni et Frederico respondere non debeant, Et hoc preceptum eis fecit predictus nuncius vice et nomine omnium hominum Villenove.

Et Gandulfus donaschus notarius inde cartam scripsit.

826. *De curatore dato per dictos commissarios dictis Qualie et Oberto fratribus de Gorzano ad causam quam habituri sunt cum dicto Caresano sindico dicti Monasterij.* 1210. 6 Septembris[2].

Anno domini Millesimo ducentesimodecimo, Indictione XIII.ª die lune sexto intrantis Septembris Venientes Qualia de Gorzano et Ubertus frater eius ante presentiam domini Resonati de papia et domini Jacobi de platea Astensium Judicum delegatorum a domino Ottone Romanorum imperatore, postulaverunt ab eis, quatinus sibi darent petrum de Moneta curatorem ad causam quam habituri erant cum Carexano sindico Monasterij sancti Felicis de papia nomine ipsius Monasterij, Qui predicti Judices voluntatibus eorum volentes acquiescere predictum petrum eis curatorem ex imperiali parte dederunt et confirmaverunt ad predictam causam, qui prelibatus petrus tactis sacrosanctis evangelijs, Juravit facere omnia ea que crediderit esse utilia pretaxatis Qualie et Uberto, et inutilia bona fide pretermittere. Actum in posse Astensi in ecclesia apostolorum, interfuerunt testes Baiamondus de platea, Mussus Trosellus, Nicholaus Gardinus[3], Maynfredus Garretus, Girardus Josbertus.

Et Philippus durcus notarius inde cartam scripsit.

827. *De monitione parte dictorum commissariorum facta dicto curatori quod vadat ad audiendam sententiam inter dictas partes proferendam per ipsos commissarios.* 1210. 3 Decembris[4].

Una die mensis decembris octava intrantis, In civitate Astensi apud becariam sancti Anastasij, presentia infrascriptorum testium Maynfredus servitor comunis iandicte civitatis ex parte domini Resonati Zacij de papia et Jacobi delaplaza de suprascripta civitate Astensi Judicum delegatorum a domino Ottone Romanorum

[1] *Sarlenda.*

[2] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker, *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 287. N. 239. — [3] *gardivus.*

[4] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker, *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 293 N. 246.

imperatore ad rationem cognoscendam de placitis et controversijs que vertebantur inter Ser Garexanum conversum et sindicum monasterij sancti felicis de papia et Ipsum Monasterium ex una parte, et Qualiam de Gorzano et Ubertum fratrem suum ex altera, domino petro de Moneta de suprascripta civitate Astensi procuratori ipsorum fratrum Qualie et Uberti in ipso placito ut ipse Maynfredus dicebat, dixit et denunciavit ut ante presentiam suprascriptorum dominorum Resonati et Jacobi veniret factum[1] sacramentum calumpnie de ipso placito, et auditum[2] sentenciam ipsius placiti, et peremptorie, tali modo quod si veniret vel non, de ipsa causa procederent et sentenciam ex ea darent et proicerent, et illud placitum determinarent. Qui vero dominus Petrus respondit, dicens se libenter ante presentiam predictorum dominorum velle venire. Factum est hoc anno domini millesimo ducentesimo decimo, Indictione terciadecima, interfuerunt ibi testes domini Rollandus[3] Sinistrarius et Aycardus de Insula et Maneseus.

Et lanfranchus domini Henrici imperatoris notarius inde cartam scripsit.

828. *De sententia per dictos commissarios domini Imperatoris lata in favorem dicti Monasterij contra dictos fratres de Gorzano et eorum curatorem in dicta causa.* 1210. 13 Decembris[4].

Anno domini Millesimoducentesimodecimo Indictione XIII.ª die lune terciodecimo intrantis decembris, Controversia vertebatur inter Carexanum sindicum monasterij sancti felicis de papia nomine ipsius Monasterij ex una parte et Qualiam et Ubertum de Gorzano ex altera. Petebat siquidem dictus Carexanus a predictis Qualia et Uberto in hac forma, Vobis domino Resonato Zacio et Jacobo domini Baiamondi de platea, a domino Ottone Romanorum imperatore iudicibus delegatis in causis quas Monasterium sancti felicis de papia habet cum Qualia de Gorzano et fratribus conqueror ego Caresanus sindicus predicti Monasterij et vice ipsius Monasterij de Qualia et Uberto de Gorzano et fratribus, qui accipiunt contra ius et rationem in Villanova et hominibus illius loci fodrum et bannum, et de iurisdicione et districtu et successionibus et quinque generalibus placitis illius loci se intromittunt, que eis facere non licet, cum omnia supradicta ad predictum Monasterium pertineant, Unde predicto modo et nomine peto quatinus eos ab omnibus supradictis cessare faciatis, et ad predictum monasterium omnia predicta pertinere debere pronunciare debeatis, que omnia ad predictum Monasterium pertinere dicebat, quod probare nisus[5] est per testes autenticos et in publicam formam transductos, et per publicum instrumentum quod super hoc inducebat et per confessionem petri de Moneta curatoris predictorum Qualie et Uberti. Allegabat preterea dictus Carexanus predictos Qualeam et Ubertum esse in causa condemnationis eo quod petrus de Moneta curator predictorum Qualie et Uberti lite contestata de calumpnia iurare noluit, Unde Nos Resonatus Zacius de papia et Jacobus de platea Astensis, iudices dellegati a domino Imperatore Romanorum Petrum de Moneta curatorem predictorum Qualie et Uberti et predictos Ubertum

[1] *faciendum*, — [2] *audiendum*. — [3] *Rollanus*.

[4] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker, *Forschungen* etc. cit Vol. IV. pag. 294. N. 247. — [5] *visus*.

et Qualiam condemnamus, ut ipse Petrus nomine predictorum Qualie et Uberti et ipsi cessare debeant a perceptione fodri ab hominibus Villenove et banni et successionum, et de iurisdicione et districtu et quinque generalibus placitis se intromittere non debeant. Lata fuit hec sentencia in urbe Astensi in camara comunis interfuerunt testes vocati et rogati, Baiamondus de platea, petrus Becarius, Judices, Baracinus notarius, Otto Gohomondus, Ubertus de Mercato, Arduynus nuncius comunis Astensis, Rogerius brandolus, Bonellus de limogijs et Guillelmus Cerrutus.

Et philippus durcus notarius sacri pallacij ex precepto predictorum dominorum Resonati et Jacobj inde cartam scripsit.

829. *De confessione per dictum dominum Jacobum delaplaza facta quomodo habuerat a sindico dicti Monasterij libras VII cum dimidio pro sua parte salarij seu Judicature dicte cause.* 1211. 7 Januarij [1].

Die septimo intrantis Januarij, in civitate Astensi in palatio domini Henrici de Solario, presentia infrascriptorum testium, contentus atque confessus fuit dominus Jacobus delaplaza dictus de iandicta civitate, quod Carexanus conversus sancti Felicis Monasterij de papia dederat ei et solverat et numeraverat libras Septem et dimidiam Astenses, Ex illis libris xv. Astensibus, de quibus ipse Carexanus fecerat eidem domino Jacobo et domino Resonato Zacio de papia pro salario et iudicatura placiti, quod ipse Carexanus pro predicto Monasterio et ipsum Monasterium habebat cum Qualea de Gorzano et fratribus de facto Villenove sub ipsis dominis Resonato et Jacobo gerentibus vicem imperatoris, et de quibus libris quindecim dicebant Bonzoanum de Cuminiano notarium fecisse seu abreviasse cartam, sed dicebat ipse Bonusiohannes abreviaturam amisisse ita quod eam babere non poterat, Et ibi ipse Jacobus precepit Bonoiohanni notario si ipsam imbreviaturam inveniret, quod ipsam cassaret, ita quod nullius valentie esset, et renunciat ipse Jacobus exceptioni sibi non date nec numerate pecunie et omni alij exceptioni et iuri, quibus de hoc tueri vel se iuvare posset contra ipsum Carexanum et contra suos heredes. Et insuper ipse dominus Jacobus convenit et per stipulationem [2] promisit ipsi Carexano si in aliquo tempore inveniretur [3] aliquod instrumentum ipsorum denariorum quod omni tempore faciet esse vanum et vacuum et nullius valentie de istis libris septem et media [4] de sua parte. Anno domini Millesimo ducentesimo undecimo, Indictione quartadecima, testes predictus Boniohannes et Sicardus de plocascho.

Et Lanfranchus domini Henrici Imperatoris notarius inde cartam scripsit.

830. *De sindicatu domine Faustine constitute sindice et rectricis dicti Monasterij per Abbatissam et capitulum ipsius Monasterij, etiam ad pecuniam mutuo suscipiendam pro dicto Monasterio.* 1215. 20 Junij.

Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo quintodecimo, Indictione tercia die sabbati duodecimo kallendas Julij, In papia domina Maximilia dei gratia Abbatissa Monasterij sancti Felicis et domina Sybillia priorissa eiusdem Monasterij,

[1] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker, *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 295. N. 248. — [2] L. c deest *per stipulationem.* — [3] *invenirent.* — [4] *medium.*

domina Scolastica, domina Maria, domina ysabella, domina Maria, domina Agnesia domina Umilitas, domina Margarita monace et sorores predicti monasterij nomine et a parte ipsius Monasterij, constituerunt dominam Faustinam monacam et sororem eiusdem Monasterij sindicam et procuratricem atque rectricem ipsius Monasterij in agendis procurandis et regendis atque percipiendis redditibus et fructibus ipsius Monasterij, ubique ipsum Monasterium habet aliquas possessiones extra papiam. Insuper dederunt ei plenam et liberam facultatem licenciam et potestatem mutuandj, promittendj et obligandi pro facto Monasterij, et omnes contractus nomine Monasterij faciendi, Et firmum habere promiserunt. Preterea Abbatissa et sorores hanc cartam fieri preceperunt, interfuerunt Gualterius de Moneta, Mussus de Bremide et petrus Bremedensis clericus testes.

Et lantelmus imperialis notarius inde cartam scripsit.

831. *De promissione potestati Ast facta per dictam sindicam de faciendo quod predicta domina Abbatissa et eius capitulum facient sibi pro comuni Ast cartam venditionis de Villanova secundum conventiones super hoc habitas.* 1215. 16 Julij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quintodecimo Indictione tercia die iovis sextodecimo Julij, presentia testium infrascriptorum domina Faustina Monaca et soror Monasterij sancti Felicis de papia sindica et procuratrix et rectrix eiusdem Monasterij sicut apparebat per cartam inde factam per manum lantelmi Ferarij notarij Anno dominice incarnationis MCCXV. Indictione tercia die sabbati XII.° kallendas Julij promisit nomine et vice capituli ipsius Monasterij domino Uberto Buccafolo potestati Astensi nomine et vice comunis Astensis facere et fieri facere domine Abatisse ecclesie santi Felicis de papia et capitulo eiusdem Monasterij cartam vendictionis ipsi domino Uberto Bucafollo nomine dicti communis de venditione quam ipsa Faustina nomine eiusdem Monasterij fecit de Villa Villenove et cum omni iure et posse et districtu et contili et cum omnibus iuribus et rationibus pertinentibus dicte ecclesie et dicto Monasterio in predicta villa villenove et in eius posse talem, qualem ius dictat pro precio librarum Sexcentum papiensium, Et constituit se esse possessorem nomine comunis Astensis, Eo excepto quod non teneatur facere renunciare creditoribus generalibus predicti Monasterij de papia huic venditioni, sed faciet renunciare creditoribus ecclesie, et monasterij villenove, qui prestaverunt in utilitatem ipsius Monasterij Villenove. Item dicta Faustina promisit nomine predicti Monasterij predicto Uberto dicti comunis nomine dare et dari facere omnia istrumenta pertinentia ad dictum Monasterium in predicta villa Villenove sive sint privillegia vel sentencie, vel alique alie carte. Actum Aste in claustro sancti Anastasij, testes Rollandus Cazo, Guillelmus Sylvaticus, Rufinus de Ripa, Jacobus de Jaffa, Ubertus Butinus, Raimondus de Solario.

Et Guillelmus Torchonus notarius inde fecit cartam et scripsit.

832. *Quomodo dicta domina Abbatissa et eius capitulum ratas habuerunt conventiones et pacta facta per dictam suam sindicam cum comuni Ast super venditione Villenove facienda dicto comuni.* 1215. 24 Septembris.

Anno dominice nativitatis, Millesimo ducentesimo quintodecimo, Indictione Tercia die iovis octavo kallendas octubris in Papia in Brolio Monasterij sancti Felicis de

papia domina Maximillia Abbatissa eiusdem Monasterij consensu et affirmatione domine Sybilie priorie ipsius Monasterij et domine Faustine sindice Monasterij eiusdem et domine Scolastice et domine ysabelle et domine Marine et domine Agnesie et domine Maximillie neptis eiusdem Abbatisse monacarum et sororum ipsius Monasterij et que sunt de capitulo ipsius Monasterij, nomine et a parte istius Monasterij, habuit ratam et firmam promissionem illam et pacta omnia seu conventiones, que domina ista Faustina monaca et sindica istius Monasterij fecit et facere fieri promisit domino Uberto Bucchafollo potestati Astensi nomine comunis ipsius civitatis Astensis a predicta Abbatissa, de venditione facienda et carta venditionis nomine ipsius Monasterij de Villa Villenove et eius posse et districtus et contilis cum omnibus iuribus et pertinentijs eiusdem Villenove, prout in carta facta per Guillelmum Torchonum notarium continetur, Et predicta omnia a se isto nomine consensu et affirmatione predictarum sororum omnium seu eiusdem capituli attendere et adimplere promisit per omnia sicut in prenominato instrumento continetur cum eisdem pactis et iuribus datis et tenoribus in integrum. Et predicta omnia cum dicto capitulo quod papie aderat firmavit et promisit et venditionem fecit cum eisdem tenoribus et pactis atque datis, domino Rufino Buchanigre iudici et vicario predicti potestatis nomine communis Astensis, Et predicta omnia tali condictione apposita firmavit et adimplere promisit videlicet, si comune Astense usque ad kallendas novembris proximas de solutione precij predicte Villenove solverit et pacta adimpleverit predicte Abbatisse dicto nomine, nisi parabola predicte Abbatisse terminus prolungaretur. Inde ista Abbatissa et predicte sorores cartam hanc fieri rogaverunt. Interfuerunt Johannes lombardus et Guido de Secundo testes.

Et lanterius Barbasiricus inde cartam scripsit.

833. *De venditione Villenove facta dicto comuni Ast per dictas Abbatissam et eius moniales et capitulum cum omnibus iuribus et iurisdictionibus suis.* 1215. 25 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo quintodecimo Indictione tercia, die dominico octavo kallendas novembris, presentia testium infrascriptorum, domina Maximillia Abbatissa Monasterij sancti Felicis de papia consensu et voluntate infrascriptarum sororum suarum videlicet domine Sybilie priorie eiusdem Monasterij et domine Marine et domine Margarite et domine Marie et domine Maximillie et domine Ysabelle, et domine Humilitatis et domine Scolastice, que omnes erant presentes et de capitulo consensu et voluntate Ferrandi Sacheti advocati ipsius Monasterij et domini Martinj Cristiani et prosiliasij Cristiani Vasalorum eiusdem Monasterij nomine et a parte eiusdem Monasterij vendidit domino Rufino Buchanigre Judici domini Uberti Buccafolj potestatis Astensis nomine et vice eiusdem comunis Astensis Villamnovam que est sita inter ducinum et Curtemvetulam, et Monasterium et Valfenariam universaliter et integraliter cum omni poderio et territorio et posse et districtu et Jurisdictione et iure et contili et omnibus alijs rebus et iuribus sive rationibus que suprascriptum Monasterium tenebat modo aliquo in dicta Villanova et districtu sive consistant predicta in hominibus sediminibus, terris cultis et incultis, nemoribus pascuis, jerbis, pascuis et piscationibus, aquaticis Rivaticis et venationibus sive consistant in alijs quibuscumque

rebus seu iuribus que possent excogitari. Et hanc venditionem fecit suprascripta Abbatissa pro precio librarum sexcentum papiensium, quos denarios prefata Abbatissa fuit confessa se recepisse nomine Monasterij ipsius, et in utilitatem eiusdem Monasterij ipsos convertisse, Renunciando exceptioni non numerate pecunie, Eo modo ut predictum comune Astense habeat teneat et possideat omnia predicta pro alodio, et faciant deinde de predictis omnibus quicquid voluerit sine aliqua contradictione predicti Monasterij et dicte Abbatisse et sororum suarum et omnium succedentium in dicto Monasterio seu post eas venientium et cum defensione eiusdem Monasterij et Abbatisse et aliarum que reperirentur tempore aliquo Abbatisse et sorores in eodem Monasterio. Preterea promisit dicta Abbatissa nomine eiusdem Monasterij et consensu predictarum personarum omnium, domino Rufino nomine iandicti comunis Astensis defendere prefatam venditionem ab omni persona cum ratione promittendo de evictione, Et promisit predicta abbatissa voluntate et consensu predictarum personarum omnium et iuravit ipsa et dicte sorores eius, contra predicta non venire per se nec per alias personas submissas decetero modo aliquo, Renunciantes omni Juri quo uti possent veniendo contra, et ne possint dicere dictum Monasterium esse deceptum ultra dimidiam iusti precij, Et si prefata omnia non attenderet ipsa Abbatissa, dicto nomine consensu predictarum personarum omnium et nomine dicti Monasterij promisit eidem domino Rufino nomine predicti comunis Astensis omne damnum et interesse restituere, quod proinde predictum comune passum fuerit. Insuper iuravit predicta Abbatissa, quod fecit dictam venditionem pro utilitate dicti Monasterij, et quod credebat venditionem esse utilem dicto Monasterio, et debitum Inesse ipsi Monasterio propter quod fecit dictam venditionem, et quod debitum ex mobilibus solvi non poterat, et quod erat illa res, que poterat vendi cum minori damno Monasterij, et quod pluries posuerat eam venalem et tantum habere non potuit, et ad plus quam potuit vendidit. Preterea abbatissa predicta consensu iandictarum personarum omnium dedit cessit atque mandavit eidem domino Rufino nomine eiusdem comunis Astensis omnes rationes et actiones et iura quas et que ipsa nomine dicti Monasterij habebat contra aliquam personam occasione Villenove modo aliquo sive per privillegium sive per sentenciam sive per aliquod aliud Jus, Et hanc cessionem fecit vice et nomine ipsius Monasterij et voluntate et consilio predictarum personarum omnium. Et fuit confessa predicta Abbatissa predictum comune esse in possessione vel quasi possessione predictarum rerum omnium sua et sororum suarum voluntate et predictorum omnium. Insuper fuit confessa dictum comune Astense sibi nomine predicti Monasterij observasse omnia ea que sibi nomine dicti Monasterij vel alicui alij persone nomine dicti Monasterij observare convenerat occasione predicte venditionis. Actum fuit in papia in Brolio dicti Monasterij. Interfuerunt testes vocati et rogati Arnaldus de Burdegrana, Falinus de Valentia, Mapheus de Castello sancti Felicis.

Et Otinus de Otinis sacri pallatij notarius hanc cartam scripsit.

834. *Quomodo capitulum ecclesie maioris papiensis confirmavit omnia ea de quibus comune Ast erat in concordia cum capitulo Monasterij sancti Felicis de papia, super venditione facienda dicto comuni Ast de Villanova pro libris VI*c 1215. 24 Octobris.

Anno domini Millesimoducentesimoquintodecimo Indictione Tercia, die sabbati nono kallendas novembris presentia testium infrascriptorum, dominus Otto de Curia prepositus ecclesie papiensis consensu et voluntate canonicorum eiusdem ecclesie videlicet henrici de Canonica et lantelmi de Ardenghis et Gualdesij et henrici de Sanctonazario et petri de Episcopo et Johannis de Quintavalle, qui omnes erant de capitulo papiensi et presentes congregato capitulo et consilio habito nomine et a parte dominj Robaldj dei gratia papiensis Episcopi, qui dicebatur ivisse ad concilium et a parte ipsius Episcopatus et suprascripti capituli consensit et confirmavit omnia ea, de quibus comune de Aste erat in concordia cum domina Maximillia abbatissa Monasterij sancti Felicis et cum domina Faustina sindica eiusdem Monasterij de venditione Villenove et de districtu et iurisdictione et ceteris alijs pro precio librarum sexcentum Papiensium, cognito ut dixit quod fiebat et erat pro utilitate jandicti Monasterij, et ibidem dedit licenciam prefate Abbatisse et monacabus predicti Monasterij ut cartulam facerent de ipsa venditione et omnia adimplerent dicto comuni, que eidem comuni convenerant, dicendo quod bene placebat suprascripto capitulo ut omnia complerentur et fierent, et predictis omnibus a parte Episcopi et dicti capituli auctoritatem interposuit. Actum in papia in claustro maioris ecclesie papie. Interfuerunt testes rogati et vocati, Martinus poeta lombardus Maxovarius ecclesie papiensis, presbiter Obertus sancti Crispinj.

Et Otinus de Otinis notarius inde cartam scripsit.

835. *De iuribus que Ubertus de Donnabentia habebat contra Monasteria sancti Felicis de Villanova et sancti Felicis de papia per eum titulo venditionis cessis dicto comuni Ast.* 1215. 11 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo quintodecimo Indictione tercia die mercurij undecimo intrantis novembris, presentia testium infrascriptorum, Ubertus de donnabentia dedit cessit atque mandavit domino Rufino Buchenigre Judici domini Uberti Buchefolle potestatis Astensis nomine et vice comunis Astensis omnes rationes et actiones et Jura reales utiles et directas realia utilia et directa, que habebat et exigere poterat, vel visus erat habere et exigere posse in bonis que sunt vel fuerunt Monasterij sancti Felicis de Villanova et Monasterij sancti Felicis de papia occasione unius debiti librarum Centumsexaginta Astensium de capitali, et guiderdonj eiusdem debiti currentis a tempore conditi instrumenti citra, quod instrumentum conditum est per Guillelmum imperialis aule notarium in anno domini Millesimo ducentesimo octavo, Indictione undecima in cario XVI° mensis Septembris. Eo modo quod suprascriptum comune Astense ita possit se tueri agere et experiri de predictis rationibus sicut prefatus Ubertus poterat occasione suprascripti debiti, quod suprascriptum Monasterium sancti Felicis de Villanova sibi dare debebat ut in dicto instrumento continetur, et si contingeret quod res Villenove aut ipsa Villanova iure eviceretur a

suprascripto comuni Astensi dedit cessit atque mandavit omnia iura realia et personalia utilia et directa eidem Rufino predicto nomine, que habebat versus suprascriptum monasterium sancti Felicis de Villanova, et fidejussores ipsius et res eorum pro predicto debito, ut dictum comune Astense ita possit agere et experiri sicut dictus Ubertus poterat aliquo modo, et post predicta data fuit confessus dictus Ubertus se recepisse solutionem suprascriptarum librarum Centumsexaginta Astensium de sorte et usurarum omnium totius suprascripti debiti illius temporis quod cucurrit a tempore dicti instrumenti citra, quam pecuniam totam dictus dominus Rufinus nomine eiusdem comunis dedit ipsi Uberto de precio quod iandictum comune debebat Monasterio sancti Felicis de papia pro precio emptionis Villenove, quam dictum comune fecerat ab eodem monasterio sancti Felicis de papia. Insuper dictus Ubertus fuit confessus versus prefatum dominum Rufinum dicto nomine se recepisse integram solutionem de toto suprascripto debito, videlicet sortis et usurarum, et de omni alio debito, quod suprascripta monasteria ipsi Uberto olim dare debuerint. Actum est in Cario sub porticu domus Bayamondi de Casteglono, testes Guidotus Sartor, Bracha Calderarius et Jacobus Bellenzonus et plures alij.

Et ego Guillelmus Trosellus notarius hanc cartam scripsi.

836. *De investitura per comune Ast facta in Guillelmum de Solario de Rippa pro se et fratribus suis de eo quod tenent in Villanova pro dicto comuni, Et de fidelitate per eum exinde facta dicto comuni.* 1290. 11 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo Indictione septima die mercurij undecimo intrantis decembris dominus Resonatus Zacius potestas Astensis nomine communis Investivit de suo dricto feudo Guillelmum de Solario de Ripa pro se et nomine fratrum suorum de eo quod tenent in Villanova pro communi, Qua investitura facta, fecit communi Astensi et hominibus de Aste (et) iuravit fidelitatem talem qualem vasallus facit domino suo. Actum Aste in porticu communis, testes dominus Rolandus Cepula miles potestatis Astensis, Gandulfus notarius, Ubertus paganotus.

Et Mussus Boviculus notarius inde cartam scripsi.

CLVI. De Curtevetula.

837. *De solutione cuiusdam census facta communi Ast per prepositum Curtisvetule occasione iuris acquisiti per dictum commune ab Abbatissa et capitulo Monasteri sancti Felicis de papia.* 1247. 25 Marcij

Anno domini Millesimoducentesimoquadragesimoseptimo Indictione quinta die lune octavo kalendas Aprilis. In domo Bergogninorum, qua stat potestas testes Raymondus de Solario, Suzius de Sancto Julio, Guilelmus durnasus et Rollandus Pallius, quorum presentia et presentia domini Osmundi Judicis domini Murri de Becharia, dominus Jacobus prepositus Curtisvetule obtulit et dedit Jacobo Ottino Clavario communis Astensis denarios duos et duas candelas pro anno preterito et presenti, et quos debebat ipsi communi iure ipsi communi acquisito ab Abbatissa et Monasterio Sancti Felicis de papia pro censu sive fictu.

Ego Mussus Boviculus notarius feci cartam.

838. *De domino Arnaldo filio domini Guilelmi de Platea ellecto in rectorem hospitalis sancte Margarite de quatuor pontibus una cum dicto suo patre per dictum prepositum ecclesie Curtisvetule sub multis conventionibus.* 1279. 19 Junij.

Anno domini Millesimoducentesimoseptuagesimonono, Indictione septima die lune decimonono mensis Junij, Cum contentio et controversia seu questio verteretur et esset inter dominum Guidonem prepositum ecclesie Curtisvetule et capitulum eiusdem ecclesie ex una parte et dominum Arnaldum filium domini Guilelmi de platea ex altera occasione ecclesie seu hospitalis sancte Margarite de quatuor pontibus Astensis diocesis ex altera, Et iandictus dominus Arnaldus cessisset liti atque renunciasset in manibus predicti prepositi et dominorum Rollandi de Antegnano et Nicholleti Tercij canonicorum et sindicorum ecclesie supradicte Curtisvetule nomine ipsius ecclesie, ipse dominus Arnaldus et predictus eius pater et fratres eius Philippus et Johannes et henricus omni juri eis conpetenti in predicta ecclesia seu hospitali sancte Margarite liberaliter et pure et sine tenore vel intractione aliqua pro honore et reverentia dei et predicte ecclesie Curtisvetule, Ecce quod predictus dominus prepositus et canonici supradicti sindici solemniter constituti a preposito et capitulo supradicto Curtisvetule ad elligengendum quencumque et quoscunque voluerint in clericum seu clericos et rectores et ministros iandicte ecclesie seu hospitalis sancte Margarite, Et ad transigendum et amicabiliter componendum super dicta ecclesia, Et ad omnia et singula faciendum una cum predicto domino preposito, que eisdem placuerint et expedire videbuntur ecclesie supradicte prout de predicto sindicatu et baylia plene patet per publicum instrumentum factum per henricum dominum notarium MCCLXXVIIII. Indictione septima die iovis quinto decimo mensis Junij eorum nomine et nomine et vice predicte ecclesie curtisvetule celo caritatis, et diligenter pensata utilitate ecclesie Curtisvetule et maxime iandicte ecclesie seu hospitalis sancte Margarite cum melius gubernari et defensari valeat et utilius tractari per predictos dominos Arnaldum et Guilelmum quam per aliquem alium vel alios qui ad presens possent dicte ecclesie superesse et libertatem exercentes et exercere volentes maxime occasionibus supradictis in dictos dominos Arnaldum et Guilelmum, ipsum dominum Arnaldum eorum nomine et nomine iandicte ecclesie auctoritate predicte baylie eis ut supra concesse et omni iure quo melius potuerunt Ellegerunt et pacis osculo receperunt predictum dominum Arnaldum in clericum dicte ecclesie seu hospitalis sancte Margarite, Et eundem etiam una cum fratre eius predicto domino Guilelmo, et ipsum dominum Guilelmum simul cum dicto domino Arnaldo elegerunt et constituerunt Rectores et ministros iandicte ecclesie et rerum et bonorum iandicte ecclesie, Videlicet dictum dominum Arnaldum in rebus spiritualibus, et in temporalibus eundem et fratrem eius predictum cum ipso et eisdem contulerunt rectoriam et administrationem iandicte ecclesie seu hospitalis sancte Margarite et rerum et bonorum omnium ipsius ecclesie seu hospitalis, Inducentes eosdem in possessionem predicte ecclesie seu hospitalis et bonorum eiusdem et iandicte ecclesie administrationis per panum altaris nomine predicte ecclesie et rerum et bonorum dicte ecclesie, Taliter quod ipsi ambo regant ed administrent ecclesiam seu hospitale predictum ut dictum est, Et predictam administrationem habeant vel alter eorum sicut voluerint et de eorum voluntate processerit in vita ipsorum, Tali modo quod

si alter eorum caderet vel decederet quod alter qui superesset habeat administrationem predictam in vita ipsius et insolidum administret dum vixerit. Tali modo facta est ellectio receptio et collatio supradicta per predictos prepositum et canonicos eorum nomine et predicto quod predicti Rectores et ministri predicte ecclesie seu hospitalis recipiant et recipere debeant eundo et redeundo dumtaxat pro negocijs et factis necessarijs ex legitissima causa predicte ecclesie Curtisvetule vel membrorum eiusdem ecclesie Curtisvetule, Et hoc secundum possibilitatem et facultates dicte ecclesie seu hospitalis sancte Margarite, predictum prepositum et successores eius et fratres dicte ecclesie Curtisvetule in dicta ecclesia seu hospitali sancte Margarite. Et eo etiam modo facta est collatio supradicta quod predicti domini Arnaldus et Guilelmus teneantur et debeant tenere in dicta ecclesia sancte Margarite unum sacerdotem de canonicis Curtisvetule, qui in dicta ecclesia serviat et divina celebret ut decebit, et ipsum tenere et tractare teneantur ut decebit in victu et vestitu secundum possibilitatem et facultates predicte ecclesie sancte Margarite, tali modo quod si dictus sacerdos minus ydoneus esset vel esse reperiretur quod inde removeri possit et debeat per prepositum Curtisvetule ad voluntatem dicti domini Arnaldi et alius in locum eius subrogari ydoneus ex canonicis supradictis, Et predictum sacerdotem predicto modo habere debeant si predictis preposito et capitulo Curtisvetule placuerit ipsum sacerdotem eis concedere. Item teneantur et debeant predicti Rectores et ministri et quilibet ipsorum tenere fratres et conversos dicte ecclesie sancte Margarite, qui ibidem erunt tempore quo dictus dominus Arnaldus ceperit se intromittere de eadem ecclesia, in ipsa ecclesia et eos tractare convenienti modo secundum possibilitatem et facultates ecclesie supradicte sancte Margarite, Ita tamen quod supradictus prepositus habeat licenciam et auctoritatem eos mutandi et removendi de loco predicto, si excessum facerent quare debeant removeri, et etiam ipsos corrigendi et puniendi secundum quod iustum fuerit cum consensu et voluntate iandicti domini Arnaldi et patris. Item tali modo facta est collatio supradicta quod predicti Rectores et ministri vel aliquis ipsorum non possint nec debeant aliquos clericos fratres socios vel conversos vel conversas recipere vel ponere in ecclesia sancte Margarite seu hospitalis predicti, nisi hoc faceret cum consensu et voluntate prepositi et capituli Curtisvetule. Item tali modo facta est sepedicta Collatio quod predicti rectores et ministri vel aliquis eorum non possint neque debeant vendere permutare vel modo aliquo alienare terras vel possessiones dicte ecclesie in toto vel in parte, nec etiam easdem pignori obligare, vel pecuniam sumere mutuo, vel alio modo super possessionibus vel possessione obligata predicte ecclesie, nisi predicta facerent de licencia prepositi et capituli Curtisvetule supradicti. Item actum estitit in collatione presenti, quod predicti domini Arnaldus et Guilelmus et quilibet eorum teneantur et debeant nomine et vice predicte ecclesie seu hospitalis Sancte Margarite conservare indempnem et indemnes ecclesiam et capitulum Curtisvetule, ab omni eo quod commune Astense vel alius seu alij pro communi Astensi petunt seu petere possunt a predictis capitulo et ecclesia Curtisvetule occasione alicuius defectus presentis preteriti vel futuri, qui ascriberetur vel imputaretur seu imputari posset predicte ecclesie Curtisvetule ex eo quod non manutenuisset et conservasset secundum quod debuisset pontes Burburis, qui dicuntur manuteneri debere per predictam ecclesiam, vel occasione ipsorum pontium et ab omni molestia et inquietatione et damno,

quod et quam predicta ecclesia incurrisset vel haberet occasione dictorum pontium, Et hoc teneantur facere predicti Rectores ipsi et quilibet eorum de rebus et super rebus ipsius ecclesie sancte Margarite, Ita quod propterea ipsi vel eorum bona non intelligantur obligati sive obligata sed solomodo predicta ecclesia sancte Margarite, et bona ipsius. Quibus liberaliter et caritative collatis per predictos prepositum et canonicos eorum nomine et predicto in iandictos dominos Arnaldum et Guillelmum secundum quod superius continetur iandictus dominus Arnaldus positis eius manibus inter manus iandicti prepositi eius nomine et nomine capituli Curtisvetule et genuflexo fecit et promisit eidem preposito et canonicis eorum nomine et predicto de predicta ecclesia seu hospitali voluntate dicti eius patris et etiam pro predicto eius patre obedientiam de predicta ecclesia seu hospitali dumtaxat. Ita quod dictam ecclesiam et eius ministrationem teneat sub protectione et dominio ecclesie Curtisvetule secundum quod superius et inferius continetur in vita ipsorum, Ita quod post mortem ipsorum amborum dicta ecclesia seu hospitale sancte Margarite libere revertatur et redeat ad predictum capitulum et ecclesiam Curtisvetule, Et aliter nisi secundum quod supra legitur propter predictam obedientiam non teneantur predicte ecclesie nec eidem censeantur astricti, Et volentes iandictus prepositus et canonici eorum nomine et predicto predicta omnia et singula firmiora esse et maiorem obtinere roboris firmitatem habundantiori liberalitate ex una parte et predicti domini Arnaldus et Guilelmus ex altera omnia et singula supradicta prout superius continetur solemni stipulatione eorum nominibus et quo supra promiserunt sibi ad invicem attendere observare et complere et nullo tempore contrafacere vel venire per se vel per alios aliquo modo vel ingenio sub pena centum Marcharum argenti, quas sibi adinvicem dare et solvere promiserunt si contrafacerent vel venirent vel non attenderent et observarent per omnia prout superius continetur, et totiens quotiens fecerint vel venerint ipsi vel aliquis predictorum ratis manentibus omnibus et singulis supradictis. Cuius pene medietas sit communis et hominum Villenove, et alia medietas partis observantis. Et sic eam sibi adinvicem si contrafecerint et michi notario nomine predicti communis Villenove solvere promiserunt, Et sub pena etiam damnorum expensarum et interesse pro inde factarum et habitorum quocumque modo, quas et que etiam sibi adinvicem solvere promiserunt si contra predicta vel aliquod predictorum facerent vel venirent. Et insuper supradicti eorum nominibus quibus supra Renunciaverunt sibi adinvicem in omnibus et singulis supradictis doli et in factum exceptioni condictioni sine causa et ex iniusta causa fori privilegio omnisque iuris canonici et civilis et cuiuscumque privilegij generalis et specialis beneficio, et omni alij exceptioni et iuri. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis prout superius continetur supradicta omnia bona ipsorum et dicte ecclesie Curtisvetule sibi adinvicem pignori obligaverunt. Et insuper predicti domini prepositus et canonici superius nominati eorum nomine et nomine predicte ecclesie et capituli Curtisvetule et predicti domini Arnaldus, Guilelmus, Philippus, Johannes et Henricus tactis scripturis sibi adinvicem ad sancta dei evangelia corporaliter iuraverunt attendere et observare et attendi et observarj facere eorum posse bona fide et nullo tempore contrafacere vel venire, omnia et singula suprascripta prout superius continetur. Et inde preceperunt dicte partes michi notario infrascripto unum

et plura instrumeuta unius tenoris facere, quorum istud est communis Astensis quod michi notario infrascripto dominus Rogerius de Curte potestas Astensis precepit fieri ad opus et utilitatem dicti communis Astensis. Ast in ecclesia sancti Systi testes interfuerunt vocati dominus Guilelmus Gardinus Judex, dominus Albertus Abbas de valle Umbrosa frater Guilelmus Canonicus et dominus Jacobus prior sancti Marchi et Gauterius de Solario.

Et ego Guilelmus Alverinus notarius sacri pallatij interfui et scripsi.

CLVII. De Valfenaria.

Hic depingatur Valfenaria.

839. *De datione communi ast facta per ubertum Brizo de omnibus que habebat in Ferreris, duxino et Valfenaria et in eorum finibus, et de donatione de hjs omnibus eidem facta in feudum per dictum commune, Et de fidelitate quam ex inde fecit dicto communi.* 1135. 17 Junij.

Anno ab incarnatione domini nostri Millesimocentesimotrigesimoquinto, quinto kalendas Julij Indictione, dedit Ubertus Brizo consulibus astensibus et populo, consenciente et volente coniuge quantum habet in Ferrere et in duxino et Walfenaria et in eorum finiitis (finibus). Et postea consules quorum hec sunt nomina Wala de platea, Petrus Calcaneus, pipinus, Josep iudex volente populo donavimus ei hec omnia in feudum, Et iuravit populo fidelitatem et stallum, Testes henricus Berrardus, Eustachius Bomperus, Petrus Trosellus. Et Josep interfuit et scripsit.

840. *De requisitione parte communis ast facta, Manfredo de Fererijs et Jacobo eius nepoti ut fidelitatem faciant dicto communi, de eo quod ab ipso communi tenet in feudum in Fererijs et posse.* 1198. 7 Marcij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo Indictione prima die sabati septimo intrante Marcio, presentia infrascriptorum testium dominus Girardus de ardicone Judex domini Alberti de fontanna potestatis astensis a parte et nomine communis astensis citavit et monuit Mainfredum de Fererijs et Jacobum nepotem eius et ab eis postulavit quatenus facerent fidelitatem communi Astensi de eo quod tenent in feudum pro communi astensi in Ferarijs et eius posse. Actum aste in domo communis, Interfuerunt testes Ubertus de platea, Mainfredus Cavazonus, Otto Monachus, Otto Capa et Rodulfus de Castronovo.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui et iussu predicti Girardi iudicis sic scripsi.

841. *De precepto facto dicto Jacobo de fererijs pro se et consortibus suis per dictum commune Ast, ne vendant nec alienationem faciant de eo quod a dicto communi tenent in feudum sub pena Marcharum CC argenti.* 1242. 23 Julij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quadragesimo secundo indictione quintadecima die mercurij decimo kalendas augusti dominus Guido Marracius de sancto nazario Astensis potestas nomine et vice communis astensis precepit domino Jacobo de Fererijs pro se et suis consortibus sub pena ducentarum marcharum argenti ne ipse venditionem, donationem allienationem vel contractum aliquem vel aliquam faciat de

eo quod habent et tenent in Fererijs a communi astensi et quod est de feudo communis astensis. Actum aste in domo damianorum interfuerunt testes Baiamondus Gardinus, Bartolomeus pulsavinus et Ardicio Gardinus.

Ego Boninfans de Valfenaria notarius pallatinus interfui et iussu dicti potestatis sic scripsi.

CLVIII. De Prehalormo.

Hic depingatur prehalormum.

842. *De quibusdam nobilibus de Gorzanno dominis Valfenarie et prehalormi per commune ast restitutis in eorum antiquo citaynatico sub multis conventionibus.* 1276. 21 Januarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo sexto indictione quarta die martis vigesimo primo mensis Januarij presentia testium infrascriptorum. Cum domini de Gorzanno per sese et eorum descendentes essent cives astenses et certas condictiones facere tenerentur communi astensi ut patet per instrumentum factum a Philippo durco notario in anno domini MCCXXXIII Indictione undecima die dominico tercio intrantis decembris et per alia instrumenta, Et dissensio sive guerra orta esset inter supradictum commune ex una parte et dominos de Gorzanno ex altera, Et dominus Guillelmus de Gualfenaria qui dicitur Erro filius domini Maynfredi Quatule de Gorzano quondam et Ubertus de Gualfenaria et Quatula de prelormo filij quondam Bonefacij de Gorzano filij supradicti domini Maynfredi Quatule vellent reformari per sese et eorum descendentes sive successores et restitui in pristinum citaynaticum et venire ad concordiam et pacem cum dicto communi pro sese et eorum hominibus et eorum terra scilicet de Gualfenaria et prelormo nomine communis astensis cum domino Johanne de pataldis iudice et vicario domini Manuelis de Nigro potestatis Astensis et cum domino Nicholao de Carfallis iudice et vicario domini Oberti Spinole capitanei populi astensis et cum domino Johanne de Ripa Rectore militum societatis Astensis taliter convenerunt videlicet quod citaynaticum ipsius Guilelmi Uberti et Quatule de Gualfenaria et prelormo eis restituatur et reformetur et recuncilietur et in pristinum statum restituatur, Et quod ipsi absolvantur ab omnibus bannis penis fodris, dacitis scufijs militijs et omnibus alijs in quibus incurrissent versus commune astense quacumque occasione usque in presentem diem, Eo salvo et addito quod ipsi debeant solvere fodra, presta, dacita, scuffia et ceteras condictiones et exactiones facere et subire, et militias tenere de Gualfenaria et Prelormo et eorum posse et de omni eo quod habent vel habebunt ipsi vel eorum heredes in ast et posse, et de omni alio eorum valente secundum quod faciunt alij cives habitantes in civitate Astensi, qui non sunt cives de quantitate. Item quod teneantur facere pacem et guerram secundum formam instrumenti eorum citaynatici eo tamen salvo quod non teneantur facere guerram ipsi nec eorum homines dominis de Gorzano nec eorum hominibus sive eorum terre quantum ad presentem guerram attinet. Teneantur tamen dictis dominis de Gorzano non dare auxilium consilium vel favorem nec hominibus eorundem nec ire vel redire in terram ipsorum vel ipsos recipere in eorum terram ipsis existentibus in contumacia cum communi astensi, Et quod teneantur ipsi cum eorum familijs stare continue et habitare in civitate Astensi sicut alij cives civitatis astensis habitantes in civitate astensi

faciunt. Hoc acto inter ipsas partes specialiter et expressim, quod Castrum Gualfenarie per commune astense muniatur et ponatur ibi unus castellanus ydoneus pro utraque parte et custodes quatuor vel minus si placuerit communi Astensi qui stent super turrim dicti castri tempore guerre presentis, expensis dominorum predictorum, si vero videretur communi astensi quod plures necessarij essent ad custodiam dicti castri ponantur ibi ad expensas communis astensis. Idem observetur de castro prelormi et turri, Et dicta munitio fiat tempore guerre presentis, tempore autem pacis vel treugue vel guerre recreute teneant predicti domini dicta castra sine munitione predicta, et dicti castellani teneantur eis restituere dicta castra, faciendo tamen ipsi domini de ipsis castris pro communi astensi sicut alij cives civitatis astensis facerent de suis castris hominibus et locis. Eapropter supradicti domini Johannes de pataldis Judex et Vicarius domini Manuelis de Nigro potestatis Astensis et dominus Nicholaus de Carfalis iudex et Vicarius domini Uberti Spinole capitanei populi astensis et dominus Johannes de Ripa Rector baronie militum civitatis astensis voluntate credendariorum consilij generalis civitatis astensis et ipsi credendarij et consilium venientes ad concordiam cum supradictis dominis de Gualfenaria et prealormo, supradictum dominum Guilelmum Ubertum et Quatulam reformaverunt recunciliaverunt et restituerunt in eorum citaynaticum et in pristinum statum ut sint cives perpetuo per sese et suos successores secundum quod continetur in instrumento eorum citaynatici superius nominato, cum pactis et conventionibus superius memoratis, Facientes eisdem dominis Guilelmo, Uberto et Quatule nomine dicti communis voluntate dictorum credendariorum pacem finem remissionem et omnimodam absolutionem et pactum de non petendo de omnibus bannis penis fodris dacitis milicijs et omnibus alijs in quibus incurrissent quacumque occasione usque in presentem diem, et de omni malefacto et Iniuria quam ipsi intulissent per sese et eorum homines vel per quoscumque alios, communi Astensi vel eorum hominibus sive terre et omnibus de parte sua usque ad hodiernum diem. Versa vice supradicti domini per sese et eorum successores et homines fecerunt pacem finem refutationem, remissionem et omnimodam absolutionem et pactum de non petendo nec amplius molestando de omni iniuria damno et maleficio suprascripto domino Johanni de pataldis Judici et Vicario dicti domini potestatis et domino Nicholao de Carfallis Judici et Vicario Capitanei predicti et dicto domino Johanni de Ripa Rectori baronie militum civitatis astensis, et michi Thome Bellono notario infrascripto nomine dicti communis, que eis facta esset per supradictum commune et eorum homines et de eorum parte. Predicta nanque omnia et singula supradictus dominus Johannes de pataldis iudex et vicarius domini potestatis Astensis et dominus Nicholaus iudex et Vicarius domini Capitanei populi Astensis et dictus Rector militum Astensium nomine et vice communis astensis consensu et voluntate credendariorum communis astensis, et pro ipso communi, Et supradictus dominus Guilelmus qui dicitur Erro et Ubertus et Quatula ad sancta dei evangelia ad invicem attendere et observare pro sese et eorum successoribus promiserunt et iuraverunt et sub pena librarum quinqueginta astensium, Que pena totiens committatur, quotiens fuerit contrafactum in omnibus et singulis capitulis supradictis. Et pro hjs omnibus et singulis attendendis et observandis una pars alteri omnia eorum bona ad invicem pignori obligaverunt, Et promiserunt dicti Judices et Vicarij potestatis et Capitanei

et Rector militum et consilium facere fieri capitulum speciale quod predicta omnia et singula attendantur prout superius continetur super quo dictus potestas et alij rectores per tempora existentes in regimine civitatis astensis teneantur iurare, quod capitulum de libro capitulorum removeri non possit vel etiam canzellari, Et si aliquo casu canzellatum vel remotum vel alio modo abolitum esset, pro non canzellato remoto vel abolito habeatur, sed semper omnia et singula predicta in sua remaneant firmitate, et presens instrumentum, tanquam speciale capitulum attendere teneantur, Et inde dicte partes unum et plura eiusdem tenoris preceperunt fieri instrumenta. Actum Ast super voltas de dom ubi cellebrantur consilia, testes Guilelmus de Gilio, Obertinus de Solario, Obertinus Brunus, Fallavellus de Novis et obertus de Garabello nuncius.

Et ego Thomas Bellonus notarius pallatinus interfui et rogatus sic scripsi.

CLIX. De Cellarengo.

843. *De citaynatico communis et hominum Cellarenghi effectorum civium Ast debendo dare fodrum et facere exercitus et cavalcatas et alia comunis Ast onera supportare, Salvo iure Abbatisse Monasterij sancti Anastasij civitatis Ast.* 1241. 11 Decembris.

Anno domini Millesimoducentesimoquadragesimoprimo Indictione quartadecima die mercurj undecimo intrantis decembris. In nomine domini nostri yhesu Christi amen, ad eius honorem et beate Marie semper virginis et beati Secundi et Anastasij Martyrum et omnium sanctorum et sanctarum dei et communis Astensis, Merlus peretus sindicus communis et hominum Cellarengi constitutus ad faciendum et constituendum commune et homines Cellarengi Astenses cives sicut apparet per instrumentum factum ab Albrico de Cumignano notario, eodem anno et indictione die veneris sexto Decembris in presentia domine Alexandrie Abbatisse sancti Anastasij et in presentia conventus et Monacarum ipsius Monasterij quarum nomina sunt hec, domina Symona priora, domina Sybilia, domina leticia, domina Johanna, domina Elena Mazocha, domina damisella Ginionia, domina Rufina de Cortandono, domina Rufina Soldanna, domina Beatrix, domina Beldi, et ipsa Abbatissa cum predictis monacabus consentientibus et volentibus, statuit et fecit se ipsum et commune et homines Cellarengi cives Astenses per sese et eorum successores sive descendentes, qui nunc sunt sive habitant in dicto loco sive decetero venerint ad habitandum tali forma quod ipsi et eorum successores sive descendentes qui nunc habitant seu decetero habitabunt in dicto loco faciant pro communi Astensi pacem guerram exercitum et cavalcatas succursus et itinera cum omnibus personis et contra omnes personas ad voluntatem communis Astensis de loco Cellarengi et de eorum personis secundum eorum posse, Et quod non vetabunt communi et hominibus de Aste, quin de dicto loco et de eorum personis faciant pacem et guerram, exercitus et cavalcatas succursus et itinera ad suam voluntatem contra omnes personas, et munitiones peditum facere in dicto loco et clientum ad voluntatem communis Astensis, Munitiones vero militum et clientum de caballo non possint cogi facere nisi ad rationem librarum trecentarum sine voluntate Abbatisse vel hominum Cellarengi. Item promisit dictus Merlus sindicus Abbatissa per se et homines dicti loci dare fodrum de libris

Trecentis Astensibus quotiescumque civitas communis Astensis ad fodrum communiter pervenerit et non de pluri occasione alicuius collecte specialis seu presti vel militie vel guardiarum vel occasione alicuius alterius Scufij, non possit cogi dare nisi ad rationem de libris Trecentis. Item promisit dicta Abbatissa dicto modo et eadem forma assignare dare et concedere locum congruentem ipsi communi de Aste ad faciendum fortiam stallum turrim et dominionum secundum quod communi Astensi videbitur in loco seu pertinentijs et districtu loci Cellarengi ad expensas communis Astensis et hoc pro communione et defensione dicti loci et iurium monasterij sancti Anastasij facienda et conservanda pro se et hominibus Cellarengi. Item promisit eodem modo et forma dare reductum communi Astensi et diviso in loco Cellarengi et pro qualibet persona speciali de Aste et de virtute Astensi et non vetare locum guarnitum vel scaritum vel alicui pro communi quin predicta faciat ad suam voluntatem. Item promisit pro se et hominibus Cellarengi quod ipsi non recipient alium in habitatorem et pro habitatore dicti loci, qui predicta omnia non promittat et non iuret attendere et observare per se et per suos descendentes, et nullo tempore contravenire, et quin in dicto loco non veniat ad habitandum. Item quod dictum citaynaticum ipsi vel eorum descendentes non renunciabunt aliqua occasione et non dimittent, quin predicta omnia attendant et observent communi Astensi aliqua occasione vel precepto sub aliquo ingenio pro quibus obligavit pignori communi Astensi omnia bona sua et hominum Cellarengi. Eapropter et pro predictis, dominus Melius Soricus de Cremona iudex et vicarius domini henrici Granoni potestatis Astensis vice et nomine communis Astensis voluntate et consensu utriusque credentie per campanam et nuncios congregate et scripte et ipsi credendarij receperunt dictum Merlum sindicum pro se et hominibus et communi Cellarengi in cives Astenses, promittentes vice et nomine communis Astensis commune et homines Cellarengi, qui nunc sunt vel decetero fuerint seu habitaverint in dicto loco secundum formam superius scriptam tenere pro civibus et ipsos defendere et adiuvare in avere personis et rebus contra omnes homines sicut alios cives Astenses habitantes in civitate Astensi. Item promisit dictus dominus Melius nomine communis Astensis voluntate credendariorum predictorum quod commune Astense nullam aliam exactionem faciet a communi et hominibus Cellarengi nisi ea que superius concessa sunt et nominata contra voluntatem domine Abbatisse vel ipsorum hominum. Et hec omnia facta sunt et concessa a communi et hominibus Cellarengi dicto domino Melio recipienti nomine communis Astensis salvo dicte domine Abbatisse et Monasterio sancti Anastasij omni alio suo iure et ratione contili honore et districtu et iurisdictione quod et quam dicta Abbatissa sive Monasterium habet vel habere videtur in loco Cellarengi et posse et hominibus ipsius loci in terris cultis et incultis in fictis et drictis, in decimis et fodris bannis, rosis et caregijs, placitis tenendis tam civilibus quam criminalibus et in omnibus alijs que ad dominium pertinent seu pertinere videntur, retinendo etiam in se dicta Abbatissa jus ponendi in dicto loco potestatem vel consules, dummodo ipse potestas sit civis Astensis habitans in civitate Astensi cum familia sua, qui iuret pro communi et hominibus Cellarengi attendere et observare et facere ea que communi Astensi concessa sunt pro communi et hominibus Cellarengi et manutenere et defendere iura et rationes dicte Abbatisse et Monasterij et dare forciam et virtutem quod

dicta Abbatissa et Monasterium sua iura habeant. Et si consules fuerint qui sint de dicto loco iurent similiter facere et attendere sicut potestas debet facere omnia predicta. Et si contingeret quod occasione dicte concessionis ipsa domina Abbatissa vel Monasterium appellarentur vel molestarentur ab aliqua persona speciali vel universitate ecclesiastica vel seculari promisit nomine communis Astensis dare iudices et defensores ad expensas communis Astensis in Aste et extra et dare fortiam et virtutem bona fide pro posse quod dicta domina Abbatissa remaneat et stet eo statu et honore in quo modo est, Et si contingeret quod pro predicta concessione damnum inferreretur ipsi Monasterio vel rebus ipsius promisit facere vindictam sicut faceret pro quolibet cive Astensi commorante cum familia sua in civitate Astensi. Et pro inde omnia bona communis dicte Abbatisse nomine dicti Monasterj pignori obligavit, que salvo suo sacramento possunt obligari. Item promisit dictus iudex voluntate predictorum quod faciet apponi speciale capitulum in brevi in quo potestas futurus debeat iurare quod ipse et potestates et consules post se intrantes teneantur attendere et observare omnia predicta et non contravenire ullo tempore et sic de anno in annum et quod non patientur poni aliquod capitulum quod contra pacta et conventa superius nominata veniat et si forte poneretur pro casso et inutili habeatur et nullius valoris. Actum Aste in pleno consilio in domo communis interfuerunt testes dominus Thomas de Becharijs, dominus Jacobus Brutea, Otto Advocatus, Sylvaticus Bovinus, Berrardus notarius et Bonus iohannes Robertus. Item die veneris terciodecimo kallendas Januarij, dominus Melius Judex predictus a consilio utriusque credentie et rectorum societatum habita licentia et parabola promittendi domine Abbatisse sancti Anastasij pro communi de Aste et recipiendi promissionem ab eadem Abbatissa pro pace et guerra et in omnibus alijs sicuti lecta fuerunt in consilio de castro et villa et hominibus Cellarengi quod est scriptum in cartulario communis consiliorum. Item in kallendis Februarij sequentis anni die sabbati indictione quintadecima domina Alexandra Abbatissa predicta nomine dicti Monasterij consensu et voluntate domine Johanne Barachine, domine Sybilie de Monteferrato, domine Rufine de Curia pro sese et nomine tocius conventus et Monasterij promisit domino Melio Judici communis Astensis recipienti nomine dicti communis attendere et observare omnia ea que superius scripta sunt in omnibus et per omnia. Et dictus Judex versa vice nomine communis Astensis ex parabola et baylia sibi data a credentia Astensi ut supra promisit attendere observare et complere in omnibus et per omnia ipsi Abbatisse nomine Monasterij sicut superius continetur, Actum hoc Aste sub planchile monasterij predicti interfuerunt testes, dominus Petrus durnasius iudex, dominus Thomas Arancaboschus, Opizo de sancto iohanne Clavarius communis, Jacobus de beccaria, landulfus Alamannus, Obertus Marro de Cellarengo.

Ego Rufinus Aranchaboschus notarius pallatinus his omnibus interfui et iussu predicti Judicis et Abbatisse presentem cartam, que specialiter facta fuit pro communi de Aste sic scripsi.

844. *De quodam autentico cuiusdam scripture mencionem facientis de promissione facta per dictam dominam Abbatissam nomine dicti Monasterij et per Judicem et vicarium domini potestatis Ast nomine communis dicte civitatis de pace et guerra simul facienda etc.* 1241. 20 Decembris.

Anno domini Millesimoducentesimoseptuagesimo Indictione terciadecima die iovis vigesimo mensis novembris presentia testium infrascriptorum, dominus Nicolaus de Carfallis Judex et vicarius domini Guilelmi porchi potestatis Astensis ad postulationem petrinj Gareti procuratoris henrici Gareti ad omnia ipsius negocia facienda prout continetur in instrumento procurationis inde facto ma(nu) Alexandri de Burgo notarij anno domini eodem et eadem indicione die iovis sextodecimo mensis octubris nomine ipsius henrici precepit michi Bartholomeo Arancaboscho notario infrascripto quatenus infrascriptam scripturam scriptam per Rufinum Aranchaboschum quondam notarium autenticarem et in formam publicam redigerem, ut vim et efficaciam publici obtineat instrumenti, cuius tenor talis est. Millesimo ducentesimo quadragesimo primo Indictione quartadecima die veneris Terciodecimo kallendas Januarij, dominus Melius Suricus Judex a consilio utriusque credentie et rectorum societatum habuit parabolam et licentiam promittendi domine Abbatisse sancti Anastasij pro communi de Ast, et recipiendi promissiones a predicta Abbatissa pro pace et guerra et omnibus alijs sicut lecta fuerunt de castro villa et hominibus Cellarenghi et sicut scriptum est in cartulario consiliariorum communis, sequentis anni Indictione xv die Sabbati tercio kallendas Februarij domina Anestasia Abbatissa Monasterij santi Anastasij nomine ipsius Monasterij consensu et voluntate domine Iohanne Barachine, domine Sybilie de Monteferrato, domine Rofine de Curia sese nomine totius conventus et Monasterij promisit domino Melio Judici communis Astensis recipienti nomine communis attendere et observare omnia ea que in isto scripto continentur in omnibus et per omnia, Et dictus Judex versa vice nomine communis ex baylia et parabola sibi data a credentia ut supra promisit attendere et observare et complere in omnibus et per omnia ipsi Abbatisse nomine Monasterij sicut in isto scripto continetur etc. Testes dominus Petrus durnasus Judex, Opizo de sancto iohanne clavarius, Jacobus de Becharia, Thomas Arancaboschus, landulfus Alamanus et obertus Marro de Cellarengo sub Planchille Monasterij predicti. Actum Ast. Hoc preceptum michi notario infrascripto a dicto Judice factum in domo Vegletorum seu illorum de platea in qua moratur dictus dominus Guilelmus porcus potestas Astensis, interfuerunt testes, dominus henricus pecia, dominus Gandulfus de Ralvengo, dominus Philippus Scarampus Judices, Thomas sucius, de Sancto julliano et Ubertus Garretus filius domini petri. Et ego Bartholomeus Aranchaboschus notarius pallatinus de prescripta scriptura composui instrumentum ad postulationem dicti petrini Garreti, me sciente nichil addens vel minuens quod sensum mutet, et sic secutus formam precepti michi facti a dicto Judice scripsi Anno domini MCCLXXI. Indictione quartadecima. Ego Bartholomeus Aranchaboschus predicta duo instrumenta sicut superius scripta sunt per me in presenti libro precepto domini Bonagracie Judicis domini Galeoti de lambertinis potestatis astensis autenticavi, Et hoc preceptum fecit michi idem dominus Bonagracia in Canonica causarum ubi

redditur ius presentibus infrascriptis testibus scilicet domino Rabaudo vacha, Conrado Cacayrano et Bonefacio de Becharijs, cui dicitur fichetus, die sabbati septimo mensis Novembris.

In Valle Burburis.

CLX. De Sanctodamiano.

845. *De donatione facta communi Ast per quosdam de Garetis de hominibus quos habebant in lovazolis serra et Alcello pro faciendo villam Sanctidamiani.* 1275. 26 Augusti.

Anno domini Millesimoducentesimo septuagesimoquinto Indictione tercia dielune vigesimosexto mensis Augusti dominus Manuel Garetus, Rufinus et Ubertetus Gareti, Rufinus Garetus, Perotus Garetus, Thomaynus Garetus et Rodulfus Garetus procurator Francisci patris sui ut dicit, proprio motu et spontanea voluntate dederunt et puram et meram donationem fecerunt domino Oberto Spinole Capitaneo Astensis populi et communis recipienti nomine et vice comunis Aste et hominum civitatis Astensis atque societatum populi Astensis de universis et singulis hominibus quos habent et habere soliti sunt in lavezolis, Serra et Azello, faciendo villam sanctorum Cosme et damiani, in qua ipsi homines universi intrabunt morabuntur et habitabunt. Concedentes dicto domino Oberto Spinole recipienti predicto nomine ut in ipsos homines et quemlibet ipsorum habeat comune Astense omnem iurisdictionem et merum imperium, ut ipsi habebant seu habere videbantur. Promittentes quod hanc donationem perpetuo firmam et ratam habebunt et nullo tempore contravenient per se vel suos heredes, Et constituerunt predictum dominum Capitaneum predicto nomine dictorum hominum possessorem et in suo loco posuerunt. Et inde hanc cartam fieri preceperunt et plures alias. Actum Ast in domo prevengorum hospitio dicti domini Capitanei, presentibus testibus domino Nicholao de Carfalis Judice et Rodulfo de Sanctoiulliano.

Ego Faravellus de Novis notarius precepto predictorum sic scripsi. Hoc est factum pro comuni.

846. *De alia simili donatione facta dicto communi per quosdam alios de Garetis de hominibus quos habebant in predictis locis dicta occasione.* 1275. 26 Augusti.

Anno domini Millesimoducentesimoseptuagesimoquinto Indictione Tercia die lune Vigesimo sexto Augusti Maynfredus Garetus et Raymondinus Garetus proprio motu et spontanea voluntate dederunt et puram et meram donationem fecerunt domino Oberto spinole Capitaneo Astensis populi et communis recipienti nomine et vice communis Astensis et hominum civitatis astensis atque societatum populi Astensis de universis et singulis hominibus quos habent et habere soliti sunt in lavezolis Serra et in Azello faciendo villam sanctorum Cosme et damiani in qua ipsi homines universi intrabunt morabuntur et habitabunt, Concedentes dicto domino Oberto Spinole recipienti predicto nomine ut in ipsos homines et quemlibet ipsorum habeat commune Ast omnem iurisdictionem et merum imperium, ut ipsi habebant seu habere videbantur,

promittentes quod hanc donationem perpetuo firmam et ratam habebunt et nullo tempore contravenient per se vel suos heredes Et constituerunt ipsum dominum Capitaneum predicto nomine dictorum hominum possessorem et in suo loco posuerunt. Et inde hanc cartam fieri preceperunt et plures alias. Actum Ast in domo prevengorum hospitio dicti domini Capitanei presentibus testibus domino Nicholao de Carfallis Judice et Jacobo Musa.

Ego Faravellus de Novis notarius precepto predictorum sic scripsi. Hoc factum est pro communi.

847. *De alia donatione dicto communi Ast facta per quosdam de Barachis de hominibus quos habebant in castronovo de Gorzano pro faciendo dictam villam Sancti damiani.* 1275. 26 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto indictione tercia die lune Vigesimo sexto Augusti Rodulfus Barachus et Andreas Barachus proprio motu et spontanea voluntate dederunt et puram et meram donationem fecerunt domino Oberto Spinole Capitaneo Astensis populi et communis recipienti nomine et vice communis Astensis et hominum civitatis Astensis atque societatum populi Astensis de universis et singulis hominibus quos habent et habere soliti sunt in castronovo de Gorzano et eius posse faciendo villam sanctorum Cosme et damiani In qua ipsi homines universi intrabunt morabuntur et habitabunt, Concedentes dicto domino Oberto Spinole recipienti predicto nomine, ut in ipsos homines et quemlibet ipsorum habeat commune Astense omnem iurisdictionem et merum imperium, ut ipsi habebant seu habere videbantur. Promittentes quod hanc donationem perpetuo firmam et ratam habebunt et nullo tempore contravenient per se vel suos heredes, Et constituerunt ipsum dominum Capitaneum predicto nomine dictorum hominum possessorem et in suo loco posuerunt. Acto et dicto quod ipsi volunt quod eis observetur quoddam instrumentum..... quod habent, Et inde hanc cartam fieri preceperunt et plures alias, testes, dominus Nicholaus de Carfallis Judex et Rodulfus Garetus. Actum Ast in domo prevengorum hospitio dicti domini Capitanei.

Ego Faravellus de Nonis notarius precepto predictorum sic scripsi. Hoc factum est pro communj.

848. *De quadam denunciatione facta pro parte communis Astensis canonicis et capitulo ecclesie Astensis, quod nichil emant in terris et posse Sancti damiani et Canalium, nec alibi ubi dictum commune habet ius.* 1277. 14 Octobris.

Anno domini Millesimoducentesimoseptuagesimoseptimo indictione quinta die iovis quartodecimo mensis Octubris in presentia testium infrascriptorum, Obertus de Solario sindicus communis Astensis nomine et vice ipsius communis et pro ipso communi dixit et denunciavit dominis Rufino Archipresbitero ecclesie maioris sancte Marie de dom, domino Jacobo de Montemangno, domino Ascherio, domino Gandulfo, domino Conradino, domino Obertino, domino magistro henrico, domino magistro Rollandino canonicis ipsius ecclesie eorum nominibus et nomine ipsius ecclesie et capituli ipsius cuilibet per se et insolidum et capitulo eiusdem congregato, quod ipsi

Archipresbiter et canonici nec ipsum capitulum non debeant aliquid emere nec acquirere in terris et possessionibus et ceteris alijs quibuscumque rebus in posse Sancti Damiani et Canalium nec alicubi ubi commune Astense habeat aliquod ius aliqua occasione, Faciens ipsis notum quod si aliquid eis accideret inde contrarij vel mali aliquo tempore commune Astense non responderet eisdem in favorem ipsorum sed illud reputarent sibi ipsis. Actum Aste in claustro maioris ecclesie sancte Marie de dom testes interfuerunt Maynfredus de Ceva, sive de Alba, Rollandus Sardus de Malamorte et Astesanus Curletus de Malamorte, Et inde precepit dictus sindicus michi Francischo Cacayrano notario fieri instrumentum.

Et ego Franciscus Cacayranus notarius pallatinus interfui et scripsi,

849. *De sententia lata in favorem communis Ast contra dominum Robertum de Gorzano continente quod homines quondam dicti domini Roberti de terris Canalium etc. ut infra sint homines comunis Astensis.* 1280. 28 Februarij.

Anno domini Millesimoducentesimooctuagesimo Indictione octava die iovis ultimo mensis Februarij, Super questione que vertitur inter commune Astense ex una parte et dominum Robertum de Gorzano ex alia dominus Ansaldus Çeba potestas Astensis cum consilio dominorum Tholomei Asinarij et Andree Garreti, Raymundi Cacayrani et Manuelis pellete sindicorum et advocatorum communis Astensis et ipsi sindici et advocati una cum ipso domino potestate dicunt et amicabiliter componendo pronunciant, Visis et examinatis diligenter petitionibus et iuribus utriusque partis, quod omnes et singuli homines de Canalibus Caraglaneis et Bruna et Tuerdo, qui aliquo tempore fuerunt homines vel vasalli ipsius dominj Roberti sint et remaneant liberi communis Astensis ita quod ipsi vel aliquis ipsorum decetero per ipsum dominum Robertum vel heredes suos vel habentes seu habituros causam ab eo non possint appellari vel conveniri de aliquibus fictis drictis, decimis, fodris, bannis et successionibus et quibuscumque alijs prestationibus debitis et quibuscumque alijs exactionibus et scufijs vel obligationibus, Et quod predicti omnes homines et singuli ab omnibus predictis et singulis ipsi et eorum descendentes heredes et successores et res et bona ipsorum sint liberi et immunes et penitus et omnimode absoluti. Item quod infrascripti homines, qui inventi sunt esse de plebatu lavezolarum veniant et venire debeant per totum mensem Madij proximum venturum ad voluntatem communis Astensis ad standum et habitandum in villa sancti damiani ita quod ipsi omnes et singuli ex nunc sint et esse intelligantur pleno iure communis Astensis, et ipsi omnes et singuli et eorum descendentes et successores sint liberi et immunes et penitus absoluti ab omnibus fictis drictis, decimis quartis et quintis et omnibus alijs prestationibus fodris bannis et exactionibus et successionibus, et generaliter quibuscumque alijs scufijs debitis et obligationibus, Et quod ipse dominus Robertus post predictum terminum non possit nec debeat ipsos vel aliquem eorum in terra vel posse suo tenere, sed ipsos et quemlibet eorum post predictum terminum teneatur et debeat expellere ad voluntatem communis Astensis quantum ad habitationem, nomina quorum sunt hec Jacobus Morinus, homodeus de Gandulfo et Rodulfus Bayetus, et Oddo Boxa, Jacobus Sorellus, lacinalia, Jacobus Valletus, Mathelda Sorella, et heredes homodei primi, Guiglotus Gratinus et henricus de Venolis et heredes Petri dolzani, Gandulfus

Malerba et frater Guilelmus de Baldeserio et Mathelda Callegaria, Oddo Bayetus et frater Filius Robaldi de Vicia, Filius Robaldi Valerij et heredes Vivianj Burdinj et heredes Macharij Ferrarij, henricus Remuscius, Obertus Julianus, Jacobus Gualla et Filia Tralle, Gandulfus Boxa, Guilelmus Iulianus et Xandronus de ogereto, Iacobus Morrus. Item quod ipse dominus Robertus nichil habeat vel habere possit a communi vel ab alio pro communi occasione hominum predictorum de Canalibus, Caraglaneis et Bruna et Tuerdo et illis qui venerunt vel venient et qui venire debent ad standum et habitandum in villa sancti damiani. Item quod omnia donnea que ipse dominus Robertus habebat tempore guerre in Canalibus Caraglaneis et Bruna et que detinentur pro communi Astensi vel alium pro communi, vel que ipse nunc habet in locis predictis remaneant et remanere debeant ipsi domino Roberto pacifice et quiete et sine molestatione et impedimento communis Astensis vel alterius pro communi. Eo salvo quod si aliqui homines undecumque sint aliquid de predictis donneis occupaverint quod ius eidem domino Roberto contra ipsos possessores sit salvum. Item quod ipse dominus Robertus infra predictum terminum alienet et alienare debeat omnia donnea que habet in finibus ville sancti damiani in aliquem civem Astensem qui solvat fodrum communi Astensi de omni eo quod habet. Item quod castrum Cisterne cum hominibus dicti domini Roberti et donea que ibi habet, remaneant ipsi domino Roberto pacifice et quiete sine molestatione turbatione et inquietatione communis Astensis et cuiuslibet alterius, pro communi. Item Thomas Alferius et Georgius pelleta eidem domino Roberto provideant in donneis suis, que habebat in Tuerdo secundum formam sentencie arbitralis late per dominum Obertum Spinolam olim capitaneum populi Astensis. Item quod fructus qui exiverunt de terris dicti domini Roberti et qui modo estant in Canalibus, eidem domino Roberto restituantur. Et inde dicti potestas sindici et advocati unum et plura eiusdem tenoris michi notario instrumenta fieri preceperunt, quorum istud est communis Astensis. Lata Ast in pleno consilio generali civitatis Astensis super voltis de dom ubi celebrantur consilia presentibus testibus Ardizono de Archu, Franzono pallido, Jacobo Ragio, Xandrino Malbecho et Petro Claverio notario.

Et ego Thomas Bellonus notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

CLXI. De Castronovo de Gorzano.

850. *De datione facta communi Ast per quosdam de Fererijs de eorum quarta parte quam habebant in Castronovo de Fererijs et de omnibus alijs que habebant tam in castris quam in villa.* 1142. 16 Novembris.

Anno ab incarnatione domini nostri yhesu christi Millesimo centesimoquadragesimosecundo, sextodecimo die mensis novembris Indictione quinta presentia bonorum hominum quorum nomine denotantur inferius dederunt et investituram fecerunt dodo de Ferarie una cum filio suo Oddone vobis consulibus Astensibus vice totius populi, quorum nomina sunt hec Henricus Pulmo, Amedeus Buccanigra, henricus iudex et Careoz nominative de eorum parte que est quarta pars in castronovo de Ferrarie et quatuor tabulas in veteri castro et quantum habent amplius tam in novo castro quam in veteri, pede turris excepto, et casam novam et quicquid pertinet suprascriptis castris. Et insuper quantum habent tam in castris quam in villa et in

eorum pertinentijs cum curte et cum omnibus ad eam curtem pertinentibus et cum omni honore quem habent videlicet cum capellis silvis pascuis ierbis ripis rupinis aquarum aqueductibus, molendinis piscationibus, venationibus et cum omnibus usibus quos habere visi sunt tam in castris et villa quam de fodris ad suprascriptam curtem pertinentibus in integrum, et faciat suprascriptus populus secundum pacti tenorem sicut inferius declarabitur quicquid voluerit sine omni nostra et heredum ac proheredum nostrorum contradictione ab omni homine defendere promiserunt, quod si defendere non potuerint, aut aliquid per quodvis ingenium subtrahere quesiverint, tunc componant res in duplum, sicut pro tempore fuerint meliorate aut valuerint sub extimatione in consimilibus locis, Et nec nobis liceat quod voluimus sed quod a nobis semel factum vel conscriptum est inviolabiliter conservare promittimus cum stipulatione subnixa. Actum in Aste civitate iuxta ecclesiam sancti Sylvestri feliciter Signum predicti dodonis et Ottonis qui hanc cartam donationis fieri rogaverunt ut supra. Signa testium Rustichellus de platea et Ubertus et Rollandus germani, Valfredus de Furno, Rodulfus Ferramenta, Cunibertus de Ferere, Ogenius Secusius. Eustachius notarius inde cartam scripsit. Tenor pacti talis est, quod consules qui modo sunt dederunt suprascriptam curtem, cum omni suo pertinente nomine feudi suprascripto dodoni et Ottoni patri et filio sicut ipsi tradiderant Astensi populo in proprietate. Et predictus dodo et Otto heredes ac proheredes eorum faciant ex inde iure feudi quicquid voluerint, ita tamen ut faciant ex inde fidelitatem et servicium Astensi populo, et debent emere casam in Aste et habitare et facere ea imprendia pro communi utilitate quam cives facient et cum dacitum apparuerit debent dare de suo sicut alius civis.

851. *De citaynatico quorumdam de perachis effectorum civium Astensium debendo facere pacem et guerram et dare fodrum pro communi Astensi, salvo Episcopo Astensi.* 1216. 22 Maij.

Anno domini Millesimoducentesimosextodecimo Indictione quarta die dominico undecimo kallendas Junij. Coram subscriptis testibus dominus Rufinus de Olevano potestas Astensis a parte communis Astensis fecit donum in manibus Aycardi parachi, Ardizonis parachi et Bergognoni fratris ipsius omnium de Castronovo ut ipsi decetero cum heredibus eorum et uxoribus et cum omnibus rebus eorum habitis et habendis sint cives et habitatores Urbis Astensis in perpetuum, dando fodrum in Aste seu collectam predictus Aycardus de extimatione librarum decem et dicti Ardicionus et Bergognonus librarum decem usque ad annos decem proximos et completos et faciendo ante terminum et post exercitus itinera custodias et cavalcatas, et alios mores ceterasque consuetudines civitatis sicut alij cives Astenses facient, et a termino decem annorum in antea dare fodrum seu collectam, quotiens Astensis civitas ad fodrum venerit seu collectam in Aste sicut alij cives Astenses de hjs que in Aste et in posse habebunt, Et facere pacem et guerram de Castronovo contra omnes homines et omnes terras, quibus commune Astense voluerit, salvo domino Astensi Episcopo. Et reddere et deliberare communi Astensi guarnito et scarito castrum novum quandocumque voluerit ad faciendum pacem et guerram quibus commune Astense voluerit facere, salvo domino Astensi Episcopo. Item debent emere in Aste domum, que constet eis libras viginti quinque vel plus per totum Augustum proximum, nisi

absolto potestatis remanserit. Salvo eo quod potestas non teneatur eis defendere pro communi terram quam dimiserunt in eo loco vel in illa terra de qua in Aste venerint ad habitandum. Et sicut supra legitur predicti Aycardus, Ardicio et Bergognonus per omnia iuraverunt supra dei evangelia attendere et observare, et statum et habitaculum in Aste facere cum uxore et familia tanquam alij cives a proximo festo sancte Marie de medio augusto in antea Et pro hjs attendendis et observandis omnia eorum bona habita et habenda dicto potestati nomine et vice communis pignori obligaverunt. Insuper dictus potestas pro communi Astensi promisit eis stipulantibus adiuvare eos defendere et manutenere si contingeret quod predicti Aycardus Ardizonus et Bergognonus alicui vel aliquibus de predicto castro facerent guerram precepto et voluntate potestatis Astensis vel consulum per tempora existentium et consilio credentie per campanam congregate totius vel maioris partis. Et confessus fuit dictus potestas se hoc fecisse cum consilio trium partium credentie et plus per campanam congregate et ore ad os interogate et scripte. Actum Aste sub planchile quondam Rognorum. Interfuerunt testes dominus Carlevarius Bischossa et plaperius de Turricella milites potestatis, Rollandus Cacharanus, Guilelmus eius filius, duniotus de Becharijs, Jacobus Boviculus, Rufinus Arancaboschus, Bonusioannes Bolletus, Rolandus dux et Grassus Zavaterius.

Et Mussus Roviculus inde cartam fecit.

852. *De sententia lata inter commune Ast ex una parte et actorem filiorum quondam domini Manuelis de Gorzano super quibusdam ipsorum hominibus ductis ad habitandum in villa sancti damiani et alijs.* 1280. 28 Februarij.

Anno domini Millesimoducentesimooctuagesimo Indictione octava die iovis ultimo februarij, Questio vertebatur coram dominis Tholomeo Asinario et Andrea Gareto sindicis communis Astensis inter infrascriptas partes in hunc modum, coram vobis domino Pagano de lucino potestate Astensi et coram vobis dominis Manuele pelleta et Raymondo Cacayranno sindicis communis Astensis dicit et proponit Jacobus de Castronovo actor domine sylvatice tutricis filiorum suorum et domini Manuelis de Gorzano quondam mariti sui, scilicet Albertinj, henrici, Maynfredi et Bertholine et dictorum minorum, nomine ipsorum, quod dominus Manuel pater dictorum minorum habebat medietatem Castrinovi et ville cum omni contili iurisdictione mero et mixto imperio et in labetis et doneorum omnium et omnium hominum eiusdem castri et ville, et ville labetis cum fictis, drictis, decimis et successionibus tanquam dominus eiusdem castri et ville prope supradictam. Quod castrum cum villa, et villam labetis, commune Astense diruit et destruxit seu dirui et destrui fecit et homines in villa sancti damiani posuit seu poni fecit. Ex qua dirutione et ex eo quod homines fuerunt positi in dicta villa sancti damiani dicti filij damnificati sunt in libris Mille quingintis Astensibus salvo pluri unde petit et requirit, a vobis domino potestate et dominis sindicis nomine communis Astensis quatenus dictum damnum eidem actori nomine dicte tutricis et dictorum minorum reddi et restitui faciatis. Item petit et requirit a vobis nominibus predictis quatenus omnia donnea predictorum minorum que detinentur per commune Astense vel per aliquos pro ipso communi sive per homines sancti damiani in posse castrinovi et labetis, eidem restitui et reddi faciatis,

Et predicta omnia et singula petit sibi fieri nomine predicto omni iure et modo quo melius possit salvo iure addendi diminuendi, mutandi corrigendi particularis et alterius petitionis unde dominus Ansaldus Ceba potestas Astensis consilio dominorum Tholomei Asinarij et Andree Gareti sindicorum communis Astensis et ipsi sindici una cum dicto potestate dicunt et sentenciando pronunciant super eo quod petit dictus Jacobus predicto nomine sibi dari et restitui donnea que detinentur per commune Astense vel alium pro communi, quod dictum commune dicta donnea eisdem minoribus dimittere debeat pacifice et quiete, super eo vero quod petijt sibi dimitti et restitui donnea que detinentur per homines sancti damiani dicunt et sentenciando pronunciant ipsam questionem ad ipsos non pertinere reservato dictis minoribus eorum iure contra possessores, super eo autem quod petijt libras Mille quingintas Astenses pro damno dictis minoribus dato ex destructione et dirutione castri et ville castri novi et ville labetis, et ex ductione hominum dictorum minorum facta in villa sancti damiani dicunt et arbitrando pronunciant pro bono pacis et concordie, et amicabiliter componendo quod pro emendatione dicti damni commune Astense, det et dare debeat dictis minoribus libras sexcentas Astenses. Lata Ast in pleno consilio generali civitatis Astensis super voltis de dom ubi celebrantur consilia presentibus testibus Ardizone de Arcu, Franzono pallido, Jacobo Ragio et Andriyno Malbecho et Petrino Ziverio omnibus notarijs.

Et inde unum et plura eiusdem tenoris instrumenta fieri preceperunt, quorum istud est communis Astensis.

Et ego Thomas Bellonus notarius pallatinus predictis interfui et sic scripsi.

853. *De alia simili sentencia lata inter dictum commune Ast ex una parte et quosdam de Solario simili occasione.* 1280. 28 Februarij.

Anno domini Millesimoducentesimooctuagesimo Indictione octava die iovis ultimo mensis Februarij. Questio vertebatur coram dominis Tholomeo de Asinarijs et Andrea Gareto sindicis communis Astensis inter infrascriptas partes in hunc modum, Coram vobis domino pagano de lucino potestate astensi et coram vobis dominis Manuele Pelleta et Raymondo Cacayrano sindicis communis Astensis dicunt et proponunt domini Maynfredus de Solario, Obertinus de Solario et Jacobus de Solario eorum nomine et nomine domini Andree de Solario eorum consanguineo quod dominus Rodulfus de Gorzano quondam habebat medietatem castri novi et pertinentiarum omnium dicti castri atque domorum omnium dicti castri et ville, et medietatem etiam ville et hominum et domorum de labetis et pertinentiarum eiusdem ville et de fictis drictis decimis et successionibus ipsorum locorum tanquam dominus predictorum castri et villarum pro predicta parte. Quam quidem medietatem predictorum omnium et omnium aliorum que dictus Rodulfus habebat in locis predictis ipse dominus Rodulfus vendidit et ex causa venditionis tradidit supradictis de Solario prout in instrumento ipsius venditionis plenius continetur coram vobis producto et ostenso ab emptoribus supradictis, quod quidem castrum cum villa, et villam etiam de labetis commune Astense diruit et destruxit seu dirui fecit, et homines dictarum villarum in villa sancti damiani posuit seu poni fecit, Ex quibus dicti emptores damnificati sunt et damnum sustinuerunt usque in libris duobus millibus Astensibus salvo pluri. Unde petunt et requirunt dicti emptores eorum

nomine et predicto a vobis predictis domino potestate et sindicis nomine et vice communis Astensis, quatenus eisdem eorum nomine et predicto restituatis et restitui faciatis atque restitui debere pronuncietis damnum predictum usque in quantitate predicta. Item petunt et requirunt a vobis supradictis dominis potestate et sindicis eorum nomine et predicto, quatenus omnes terras et possessiones et decimas ipsorum emptorum que fuerunt predicti domini Rodulfi quondam occupata vel detenta per commune Astense vel per alium seu alios pro ipso communi, et per commune vel per aliqnos homines sancti damiani in posse predictorum locorum castrinovi et de lebetis eisdem eorum nomine et predicto restitui et expediri atque dimitti faciatis. Et predicta omnia et singula predicto modo petunt dicti emptores eorum nomine et predicto omni iure et modo quo melius possunt salvo et reservato eis iure addendi muniendi mutandi corrigendi et emendandi in alijs et contra alios et alterius petitionis. Unde dominus Ansaldus Ceba potestas Astensis cum consilio dominorum Tholomei Asinarij et Andree Gareti sindicorum communis Astensis et ipsi sindici una cum dicto potestate dicunt et sentenciando pronunciant super eo quod petunt predicti domini Maynfredus de Solario, Obertinus de Solario et Jacobus de Solario eorum nominibus et nomine domini Andree de solario eorum consanguinei sibi dari et restitui donnea que erant domini Rodulfi de Gorzano quondam ante guerram, que detinentur per commune Astense vel alium pro communi quod dictum commune dicta donnea eisdem petitoribus dimittere debeat pacifice et quiete, super eo vero quod petierunt sibi dimitti et restitui donnea que detinentur per homines sancti damiani dicunt et sentenciando pronunciant ipsam questionem ad ipsos non pertinere, Reservato dictis emptoribus eorum iure contra possessores. Super eo autem quod petierunt libras duo millia, pro damno dato dictis emptoribus ex destructione et dirutione castri et ville castrinovi et ville lebetis et ex positione hominum facta dictis petitoribus in villa sancti damiani dicunt et arbitrando pronunciant pro bono pacis et concordie et amicabiliter componendo quod pro emendatione dicti damni commune Astense det et dare debeat dictis petitoribus libras sexcentas Astenses computatis in ipsis libris VI.C illis centenis solidorum, quos commune Astense debebat dare dicto domino Rodulfo, pro singulis fochis predictarum villarum secundum formam sentencie arbitralis late per dominum Obertum Spinolam olim Capitaneum populi Astensis. Super alia vero petitione predictorum de Solaris qua petierunt sese reponi et restitui in possessione dicti castri et ville et pertinentiarum in qua erant ante quam dictum castrum esset dirutum dicunt et sentenciando pronunciant dictum commune Astense ab ipsa petitione absolvendum esse et ipsum commune absolvunt, Et inde unum et plura eiusdem tenoris instrumenta fieri preceperunt, Quorum istud est dicti communis Astensis. Lata est in pleno consilio generali civitatis Astensis super voltis de dom, Ubi celebrantur consilia presentibus testibus Ardizono de Archu, Franzono pallido, Jacobo Ragio, Sandrino Malbecho et Petrino zaverio omnibus notarijs.

Et ego Thomas Bellonus notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

CLXII. De Marcellengo.

854. *De citaynatico communis et hominum de Marcellengo effectorum civium Astensium (debendo) dare fodrum et facere pacem et guerram exercitum et cavalcatas pro dicto communi Astensi*, 1198. 14 Julij.

Anno domini Millesimocentesimononagesimooctavo Indictione prima die martis quartodecimo intrante Julio presentia subscriptorum testium, dominus Albertus de Fontanna potestas Astensis consilio credentie ipsius per campanam congregate ut confessus fuit fecit cartam donationis in manibus Ottonis Roberti, petri de Monteves, Tebaldi de Incomezano, Jacobi Cape, Anselmi Rubei de Marcellengo nomine suo et nomine omnium hominum de Marcellengo nominative ut ipsi et homines omnes de Marcellengo decetero in omni tempore sint cives Astenses faciendo exercitus expeditiones cavalcatas fossata et ceteras consuetudines Urbis Astensis, et dando fodrum quandocumque civitas Astensis ad fodrum devenerit secundum quod extimati fuerint ab extimatoribus communis sicut ceteri cives Astenses, Quapropter predicti homines de Marzallengo nomine suo et nomine omnium hominum de Marcellengo iuraverunt supra dei evangelia et promiserunt predicto potestati nomine communis Astensis stipulanti quod ipsi decetero omni tempore permanebunt cives Astenses et facient exercitus expeditiones cavalcatas fossata et ceteras consuetudines civitatis et dabunt fodrum quandocumque Astensis civitas ad fodrum devenerit secundum quod extimati fuerint ab extimatoribus communis, sicut ceteri cives Astenses, Et quod deinceps in omni tempore salvabunt, custodient adiuvabunt et defensabunt omnes homines de Aste et de virtute Astensi in rebus et in personis bona fide et sine fraude, et quod observabunt et attendent bona fide et sine fraude omnia precepta que eis faciet potestas Astensis qui nunc est et potestas et consules per tempora existentes pro communi eis facient tanquam alijs cives Astenses. Salvis rationibus et iusticijs domini sui si deus illos adiuvet et illa sancta dei evangelia. Et quod bona fide et sine fraude inducent omnes alios de Marcellengo ad idem sacramentum faciendum. Ad invicem vero iandictus Albertus de Fontana potestas Astensis nomine communis Astensis promisit predictis de Marcellengo nomine suo et nomine et vice omnium hominum de Marcellengo stipulantibus universos homines de Marcellengo salvare custodire adiuvare et defensare tanquam cives Astenses. Et insuper confessus fuit se recepisse nomine communis a predictis de Marcellengo nomine suo et nomine omnium hominum eiusdem loci pro apparamento Astensium libras quindecim. Actum Ast in pallatio Surleonis de Janua feliciter. Interfuerunt testes dominus Girardus Judex domini Alberti de Fontana potestatis Astensis, Otto Monacus, Maynfredus Cavazonus, Uliverius pulsavinus, Rolandus Cazo, et Otto Niger.

Et ego Thomas notarius pallatinus rogatus interfui et ex precepto predicti potestatis sic scripsi.

855. *De quadam conventione facta inter Abbatem Monasterj apostolorum et commune Ast occasione hominum Marcellengi et aliorum spectantium ad dictum Monasterium salva persona Episcopi Astensis et eius Albergarijs, Et de iuramento facto per homines dicti loci de faciendo pacem et guerram pro comuni Astensi.* 1223. 22 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo tercio Indictione undecima die veneris undecimo kalendas Januarij. In nomine domini hec est forma conventionis facte et tractate inter dominum Guidonem Abbatem ecclesie apostolorum et capitulum eiusdem ecclesie nomine et vice illius ecclesie ex una parte et dominum Girardum Manariam potestatem Astensem nomine communis Astensis ex altera, Concedit enim dictus Abbas et capitulum predictum dicto domino Girardo recipienti nomine communis Astensis facere pacem et guerram ex castro et villa Marcellengi et exercitus et cavalcatas per homines nunc habitantes in Marcellengo et qui per tempora statum ibi habebunt et habitabunt cuicunque et quandocunque commune Astense voluerit salva persona Astensis Episcopi et Albergaria, quam dictus Episcopus consuevit habere in dicto loco. Item concedit dictus Abbas et capitulum dicto communi Astensi facere turrim et palatium vel domeglonum ad expensas dicti communis in castro Marcellengi ibi ubi melius visum fuerit communi Astensi ad utilitatem et pro utilitate predictorum Abbatis capituli et ecclesie apostolorum et communis Astensis et ad custodiendum castrum et villam predictum et posse et homines habitantes in illo castro et villa et posse cum rebus suis. Custodia vero dicte turris et pallatij vel domegloni semper cum illos ibi posuerit salvare et custodire in here et persona Abbatem apostolorum et monacos et res et possessiones ipsius Monasterij et homines habitantes in eo loco et res eorum teneantur, Et si contingeret quod commune Astense dirueret domum, quam habet ecclesia apostolorum in castro Marcellengi propter conpositionem et constructionem turris et palatij sive domegloni teneatur dictum commune facere aliam domum ipsi Abbati eque bonam iuxta ecclesiam bona fide et sine fraude vel alibi ad voluntatem Abbatis eo anno, qno commune predictum diruet domum illam ipsi Abbati. Item teneatur commune Astense facere vel fieri facere dictam turrim et pallatium sive domeglonum a festo pasce proxime venientis usque ad tres annos vel ante si ipsi communi placuerit, et possit dictum commune castrum illud totum claudere muro quandocumque sibi placuerit expensis communis Ast. Item concedit Abbas et dictum capitulum dicto communi capere consilio Abbatis pro custodia turris pallatij vel domegloni anuatim in hominibus habitantibus in Marcellengo ad presens et in alijs qui ibi venient ad habitandum libras viginti Astenses et non plus pro custodia. Item actum est inter ecclesiam apostolorum et commune Astense quod si aliquo tempore mercatum fieret in Marcellengo medietas pedagij, curaye, bancatici et omnium aliorum godimentorum dicti mercati sit dicte ecclesie et altera communis Astensis, Et commune Astense teneatur ibi facere fieri mercatum bona fide usque ad annos duos, quod mercatum et homines ibi venientes teneantur invicem manutenere et defendere bona fide. Item actum est inter dictam ecclesiam et commune Astense quod si homines qui non sint homines dicte

ecclesie venerint ad habitandum in loco predicto medietas illorum hominum sit dicte ecclesie et altera communis Astensis in bannis placitis successionibus fidelitatibus et fodris et in omnibus alijs que pertinent ad contile et iurisdictionem, qui homines habeant sedimina ibi ad rationem solidorum sex pro stario pro fictu, quod competat solomodo Monasterio, excepto quod Monasterio non succedant in possessionibus que nunc sunt Abbatis illud idem concessit dictus Abbas et dictum capitulum communi Astensi in Maciglanis et Tavinali et hominibus illorum locorum in omnibus et per omnia ut supra continetur de castro et villa Marcellengi et hominibus in costruendo edificio et forcia et in omnibus alijs expensis tamen communis Astensis, ita quod nil expendat abbas vel monasterium vel homines Abbatis pro custodia vel alio modo. Item si contingeret quod Abbas vel capitulum apostolorum appellaretur vel conveniretur ab Astensi Episcopo vel ab aliqua alia persona occasione supradictorum dictum commune teneatur dare consilium et auxilium Abbati et capitulo et specialiter de duobus sapientibus scilicet iudicibus ad expensas communis tribuendis dicto Abbati et capitulo quotiens eos Abbas postulaverit exigente necessitate pro predictis. Dictam autem concessionem fecerunt predicti Abbas et capitulum pro defensione tuitione, utilitate et proficuo dicte ecclesie et locorum predictorum et iurium que dicta ecclesia habet in dictis locis, Et pro solvendis debitis usurarijs imminentibus dicte ecclesie. Item teneatur potestas vel consules in Aste per tempora existentes quod non accipient nec tenebunt homines de Marcellego nec de Marciglanis nec de Tannali pro civibus, nec venerint cum mobili ad habitandum in civitate, possessionibus remanentibus dicte ecclesie apostolorum. Item dictus dominus Guido Abbas consensu sui prioris presente eo omnia supradicta dedit et concessit dicto domino Girardo potestati Astensi recipienti nomine communis Astensis. Et predictam concessionem et donationem perpetuo habere firmam promisit nomine dicti Monasterij et omnia predicta in omnibus et per omnia attendere et observare et nullo tempore contravenire per se nec per suppositam personam promisit. Predicta vero concedit dictus Abbas et dictum capitulum dictorum locorum dicto communi salvo omni contili et jurisdictione ipsius ecclesie in hominibus nunc habitantibus in Marcellengo in castro et villa vel qui decetero habitaverint et qui tantum olim tenerentur de fidelitate dicte ecclesie et qui ibi consueverint habitare, In bannis placitis, successionibus, fidelitatibus, redditibus et condictionibus fictis et Albergarijs fodris et collectis habendis, Et in omnibus alijs que dicta ecclesia habet et visa est habere in dicto castro et villa et posse et hominibus, ita quod omnia supra dicta jura ipsi ecclesie debeant reservari illesa, salvis omnibus supradictis capitulis condictionibus et pactis concessis communi astensi ab Abbate et capitulo. Insuper dictus Abbas nomine predicti Monasterij constituit se quasi possessorem istius concessionis nomine communis astensis, pro quibus omnibus supradictis prefatus Abbas et capitulum habuit et recepit a dicto domino Girardo potestate nomine communis astensis libras ducentas Astenses et speltam Caprarolij que est modiorum viginti quatuor per annum et plus si plus est, finito termino illorum emptorum qui dictam speltam emerunt a communi astensi. Quam speltam dictus dominus Girardus nomine communis astensis promisit ipsi Abbati nomine dicte ecclesie defendere cum ratione ab omni persona. Insuper dictus potestas nomine communis astensis omnia supradicta attendere

juravit in omnibus et per omnia et quod faciet jurare potestatem sequentem, et ponere in brevi seu statuto communis, quod potestas vel consules per tempora in aste existentes teneantur salvare et custodire res universas Abbatis tam in castris quam in villis et posse predictorum locorum, Et omnia supradicta attendere et observare et nullo tempore contravenire, ita quod aliquod capitulum fieri non possit nec debeat quod huic instrumento nocere possit nec debeat et si forsan fieret, cassum et inutile permaneat et nullius valoris, et presens instrumentum semper obtineat firmitatem non obstante aliquo capitulo. Astenses vero credendarij de campana per manum Bertholoti nuncij communis ad sancta dei evangelia juraverunt dare fortiam potestati vel consulibus in aste per tempora existentibus ut omnia supradicta attendant. Item quod homines de aste non ement nec accipient terras nec possessiones hominum Abbatis in Marcellengo, absque voluntate Abbatis et capituli per sese nec per suppositas personas et homines de Marcellengo et Marciglanis Ravinali jurent salvare custodire in avere et persona potestatem et homines de Aste, Et dare forciam Abbati ut omnia pacta supradicta communi attendantur. Actum in publico consilio in canonica communis, interfuerunt testes dominus Tebaldus judex communis, Marchisinus Trusius miles potestatis, Guilelmus Bertramus, Jacobus Giniorius, Bertolotus nuncius communis, Constantinus de Baresa. Item eodem anno Indictione et die in castro apostolorum, presentibus Maynfredo Bertramo, Zaboto et Rollando Amedoto, Caceta et Girardino testibus dominus Otto prior apostolorum, Guilelmus de Gorzano, Guilelmus de Monteleucio, Robaldus Sarachus, Johannes pulsavinus monaci eiusdem Monasterij precipiente eis et presente domino Guidone Abbate omnia supradicta in omnibus et per omnia firma habere promiserunt, Et nullo tempore per sese nec per suppositam personam contravenire. Item eodem et Indictione die sabbati decimo kallendas Januarj in castro Marcellengi presentibus testibus domino Tebaldo iudice, Ardiciono de Quarto, Maynfredo Bertramo, Uberto Arnaldo, Robaldo Cicia, Rolando Villano, Oppizone Gottarubea, dominus Guido Abbas supradicti Monasterij vice et nomine illius Monasterij per vexillum communis astensis investivit et in possessionem posuit dominum Girardum Manariam potestatem Astensem nomine communis Astensis illius juris concessionis supradicte quod concesserant in Marcellengo et Marciglanis et Ravinali pro custodia illorum locorum. Item eodem die loco et testibus, dominus Rolandus Monacus apostolorum presente et precipiente domino Guidone Abbate omnia supradicta in omnibus et per omnia firma habere promisit, et nullo tempore per se nec per suppositam personam contravenire. Item eodem anno et indictione die dominico nono kallendas Januarij in Castro Marcellengi supra solarium in presentia domini Guidonis apostolorum Abbatis et domini Girardi Manarie Astensis potestatis et Rolandi Monaci et domini Tebaldi Judicis Uberti Aynaldi omnes infrascripti de Marcellengo ad sancta dei evangelia iuraverunt facere exercitus Itinera cavalcatas pro communi Astensi et attendere et observare omnia supradicta in omnibus et per omnia bona fide et omni fraude remota et salvare et custodire in habere et persona potestatem vel consules in aste per tempora existentes et homines de aste, Nomina hominum sunt hec Jacobus de Castello, Guilelmus Schina, Jacobus Binellus, Albertus Robertus, Guisulfus de Serra, Albertus Robertus, Tebaldus Robertus, Guido de Bucavallis, Anselmus Januensis, Guilelmus de ponte, Maynfredus Rubeus, Almundus

de ponte, Anricus de Monteves, Obertus Bibi, Aribertus Januensis, Tebaldinus Rubeus, Gossus Gastaldus, Tebaldus paxutus, Guillelmus Rubeus, Jacobus Robertus, Jabus Coppa, Almundus de Maza, Stephanus Robertus, Anselmus Rubeus, Tebaldus Bonus, Obertus Anfuxius, Otto Rubeus, Guilelmus Rubeus, Anselmus pipinus, Petrus Niger, Guilelmus de Teglolis, Otto Beccus, Otto Vetula, Anselmus de Musancia, Grasverdus, Nicholaus Schina, Anricus de Maza, Ottollinus Januensis, Et inde duo instrumenta uno tenore fieri preceperunt.

Et ego philippus imperialis notarius hjs omnibus interfui et sic rogatu et precepto supradictorum Abbatis apostolorum et domini Girardi Manarie Astensis potestatis scripsi.

CLXIII. De Canalibus.

856. *De donatione communi Ast facta per dominum henricum filium quondam Marchionis Ardizonis de omnibus bonis et juribus suis et dicti quondam sui patris.* 1197. 1 Februarij.

In nomine domini Anno eius Millesimocentesimononagesimoseptimo, Indictione quintadecima die sabbati in kallendis februarij datum et donationem inter vivos fecit dominus henricus filius quondam domini Marchionis Ardizonis Raymondo layolio et Guilelmo Rationi astensibus consulibus de Communi nomine et vice communis astensis de omnibus terris et possessionibus que fuerunt Marchionis Ardizonis quondam patris sui, quas ipse henricus tenet et possidet per se vel per alium et quas Marchio Ardicio olim pater eius per se vel per alium olim tenuit et possedit in castris et in villis et in alijs locis scilicet in ecclesijs et in capellis in terris cultis et incultis in vineis in pratis et in nemoribus in ripis et in ruynis in Rivis et in silvis in fluminibus in piscationibus et venationibus in militibus et ceteris hominibus feudatis et infeudatis et in omnibus alijs rebus ubicumque sint. Item dedit cessit atque mandavit eisdem Raymundo et Guilelmo Astensibus consulibus vice et nomine communis de aste omnia iura omnes rationes et actiones reales et personales que et quas ipse henricus habet adversus Bonefacium Marchionem Montisferrati vel adversus aliam personam vel in aliquam rem vel in aliquas res que et quas Marchio Ardicio quondam pater eius olim habuit Eo modo ut predicti consules et successores eorum nomine communis astensis omnia predicta habeant a modo et teneant firmiterque possideant et faciant inde quicquid voluerint absque omni contradictione ipsius henrici et heredum eius, et ut ipsi consules et successores eorum pro communi nomine communis astensis ita possint omnia predicta iura et rationes et actiones reales et personales movere intentare, agere et experiri et excipere et se defendere adversus dictum Bonefacium Marchionem Montisferrati et adversus heredes eius et adversus omnem aliam personam sicut ipse henricus facere poterat, et sicut Marchio Ardicio quondam pater eius olim facere poterat vel potuit. Et confessus fuit predictus henricus quod posuerat predictos consules nomine communis de aste in possessione omnium supradictorum, Et confessus fuit idem henricus et predicti consules quod hoc datum et hec donatio facta est in scriptis et in actis cellebrata. Preterea predictus henricus juravit supra dei evangelia hoc datum et hanc donationem ut supra legitur firmum et firmam tenere nec per

se nec per aliam personam in aliquo tempore removere et quod idem de toto nec de parte non fecerat donationem nec alienationem aliquam per se nec per alium alicui persone, Excepto iure quod Raynerius advocatus habet in poenito, nec faciet de cetero per se nec per aliam personam sub aliquo ingenio. Actum Urbe Aste in domo communis, interfuerunt testes, Ubertus de plathea, magister Petrus Beccarius, Saracenus de platea et Raynerius Mucalupus.

Et Jacobus Boviculus notarius hanc cartam scripsit iussu predicti henrici et predictorum consulum.

Iste contractus intitulatus est sub suprascripta Rubrica de Canalibus non quia ipse contractus de Canalibus expressam faciat mencionem, sed quia in libro de Malabayla originalj in margine huius contractus, scripta est de nigro tantum, suprascripta Rubrica, scilicet, de Canalibus ymmo iste contractus est etiam scriptus inferius, sub tractatu de extraordinarijs capitulo XVIIII°.

CLXIV. De Stella.

Hic depingatur locus Stelle.

857. *De promissione facta pro parte hominum de Stella de solutione per eos facienda domino Episcopo Astensi pro fodro, banno et placitis, Et de fidelitate per ipsos salvis sacramento et pactione Astensium dicto domino Episcopo facienda.* 1201. 28 Septembris.

Anno domini Millesimoducentesimoprimo Indictione quarta die veneris quarto kallendas octubris In presentia infrascriptorum Jacobus danius, Obertus Navonus, Sysmondus de Boscho, Gotofredus de Confurcijs, Passutus, Alricus de Cravianno et Guilelmus Furetus omnes de loco Stelle eorum nomine et nomine aliorum hominum qui habitant et qui habitabunt in loco stelle promiserunt Jacobo de Vivario, Guillelmo Rationi, Ardizoni Bertramo, Rolando Cazo et Jacobo de Stoherda Astensibus consulibus de Communi stipulanti, quod quandocumque dominus Astensis Episcopus erit cum eis in concordia cum consilio potestatis vel consulum Astensium de eorum factis quod homines in Monte et in loco Stelle babitantes communiter dabunt ipsi Episcopo pro fodro et banno et placitis quod et que capiebat et habebat in hominibus quos habebat in Govono ante quam in Monte vel loco Stelle ascenderent, hoc de quo ipse Episcopus cum potestate vel cum consulibus Astensibus in Aste existentibus cum consilio credentie per campanam congregate et cum ipsis hominibus fuerit in concordia, Et quod omnes homines in loco de Stella habitantes facient ei fidelitatem, Salvo sacramento pactionis et conventionis Astensium. Actum in urbe Aste in eclesia sancti Martini, Testes dominus henricus de Montebersario, Tebaldus duminus, Philipponus notarius, henricus Tignosus et Garolia.

Et Jacobus Boviculus notarius hanc cartam scripsit.

858. *De dono facto per commune Ast hominibus de loco Stelle ut perpetuo sint cives Astenses dando fodrum et ut alij cives reliqua faciendo.* 1201. 28 Septembris.

Anno domini Millesimoducentesimoprimo Indictione quarta die veneris quarto kallendas Octubris Astenses Consules de Communi quorum nomina sunt Jacobus de Vivario, Guilelmus Ratio, Ardicio Bertramus, Jacobus de Stoherda et Rolandus Cazo et consules de iusticia quorum nomina sunt Rufinus de Ripa, homodeus Trossellus et henricus Aytropus nomine et vice communis Astensis cum consilio credentie per campanam congregate fecerunt donum a parte communis de Aste in manibus Jacobi danij, Oberti Navoni, Sysmondi de Boscho de preocha, Gonfredi de Confurcijs, paxuti Alucij de Canriano de Govono et Guilelmi Fureti de Caliano eorum nomine et nomine omnium hominum qui habitant et qui habitabunt in loco et in monte de Stella quatinus ipsi omnes eorumque heredes cum omnibus rebus habitis et habendis decetero stantes in loco et Monte de Stella sint cives et habitantes Urbis Astensis in perpetuum solvendo fodrum faciendo exercitus et cavalcatas et omnes mores et consuetudines civitatis Astensis sicut alij cives facient in perpetuum et observando pacta et conventa eorum et Astensium sicut in carta inde facta inferius continetur. Et insuper omnes pretitulati consules communis et iusticie nomine communis Astensis promiserunt predictis Jacobo danio, Oberto Navono, Sysmondo de Boscho alijsque socijs eorum supra nominatis eorum nomine et nomine aliorum qui habitant et qui habitabunt in predicto monte et loco de Stella stipulantibus et supra dei evangelia iuraverunt omnes illos qui habitant et qui habitabunt in loco et Monte de Stella et heredes eorum in personis et rebus eorum salvare et custodire et eos pro civibus tenere sicut illos de porta de Archu et de alijs portis de Aste in perpetuum, Et quod ipsi facient iurare potestatem prius post eos intrantem hoc idem attendere et observare eo modo ut sic semper de anno in annum imposterum consules vel potestates faciant iurare potestates vel consules post eos intrantes illud idem facere et observare, Eo modo ut semper sic de anno in annum in posterum consules vel potestates in Aste per tempora existentes hoc idem iurent attendere, et observare in perpetuum. Similiter credendarij qui ibi per campanam convenerant quorum nomina subter leguntur iuraverunt ad dei evangelia predictos Jacobum danium, Obertum Navonum, Sysmondum de Boscho et socios eorum supra nominatos et omnes alios qui habitant et qui habitabunt in monte et loco de Stella et eorum heredes pro civibus tenere et eos salvare et custodire omni tempore sicut illos de porta arcus et alios cives Astenses et dare forciam et virtutem et consilium et auxilium ut potestas qui intrare debet iuret omnia predicta attendere facere et complere bona fide. Nomina credendariorum et aliorum qui iuraverunt sut hec, Jacobus, Guilelmus de Cathena, Rufinus Bayverius, Crescencius poysia, Raymondus layolius, Robaldus Marucus, doniotus de Beccarijs, Robaldus Nasellus, Ubertus Palius, Otto Monachus, Jacobus Curialis, Obertus Oculus bovinus, Maynfredus Marronus, Jacobus piperata, Jacobus Ypolitus, Gualla Bucanigra, Jacobus de donnasibona, Guilelmus Sylvaticus, Ubertus de Cario, Grafagnus Ottinus, Jacobus Vola, Berrardus Arnulfus, Guilelmus laurencius, Obertus de Aste, Rolandus Culorius et Marchisius Cavicula. Actum Urbe Aste in ecclesia sancti Martini, testes dominus henricus de Montebersario, Philipponus notarius, Tebaldus

duminus, henricus Tignosus et Garolia. Eodem die in Claustro sancti Martini Nicholaus Gardinus et Jacobus Rohat, Salva fidelitate Episcopi iuraverunt idem, testes dominus henricus de Montebersario, Grossolanus de Castagnolis, Jacobus Vetulus et Garolia.

Et Jacobus Boviculus notarius hanc cartam scripsit.

859. *De forma fidelitatis ac pactionis facte per homines de Stella communi et cum communi Astensi.* 1201. 28 Septembris.

Anno domini Millesimoducentesimoprimo Indictione quarta die veneris quarto kallendas Octubris, Hec est forma pactionis et concordie et vicinitatis Astensium et omnium hominum habitantium in Monte et in loco de Stella quam omnes infrascripti iuraverunt sicut inferius continetur attendere et observare in perpetuum, Juro ego supra dei evangelia quod a modo ero civis Astensis, et quod decetero faciam omnia ea que alij cives Astenses facient secundum quod ordinatum fuerit pro communi a potestate vel a consulibus astensibus per tempora existentibus vel ab eorum missis utpote de fodro solummodo de banno et pena commissa, tribuenda, de exercitu, Itinere et succursu pro communi faciendo de iusticia et ratione et pace et guerra pro communi facienda et de guardijs et consuetudinibus faciendis et scufiijs civitatis Astensis et omnibus alijs pro communi quas alij cives astenses fecerint pro communi. Item iuro salvare et custodire adiuvare ac manutenere et defendere homines de aste, et de posse astensi pro communi et pro diviso in rebus et in personis ubique contra omnes homines omni tempore. Item iuro salvare et custodire locum de Stella ad honorem et commodum utilitatem et proprium communis astensis contra omnes homines, Et facere cum ipsis Astensibus et sine eis pacem et guerram de loco Stelle cuicumque homines de aste voluerint, Nec vetabo ipsis Astensibus guarnitis nec scaritis locum de Stella quin faciant inde guerram et pacem cuicumque voluerint, Et si contingeret quod comune de aste in aliquo tempore locum de Stella perderet, quod Deus nolit Juro adiuvare eos bona fide ad illum recuperandum et recuperatum adiuvare eos illum predicto modo tenere contra omnes homines. Item si potestas vel consules de aste per tempora existentes pro communi a me consilium petierint Juro illud eis dare bona fide et sine fraude et credentiam quam michi dixerint privatam tenere nec manifestare donec palam fuerit nisi absolto potestatis vel consulum remanserit. Item iuro bona fide et sine fraude salvare et custodire omnes res et rationes quas commune de aste habet vel habuerit in loco Stelle et intra posse in aliquo tempore, et eas quas potestas vel consules de aste per se vel suum missum ibi pro aliquo facto alicui saxierint ad utilitatem et commodum communis astensis, et ex eis furtum non faciam nec facienti consenciam, Et si sciero qui faciat potestati vel consulibus de aste quam citius potero manifestabo. Et iuro quod in loco de Stella furtum non faciam nec facienti consenciam in aliquo tempore, Et si sciero qui faciat potestati vel consulibus de aste quam citius potero manifestabo. Item iuro quod in aliquo tempore non babebo consules vel potestatem nisi illum potestatem vel consules, quem vel quos potestas vel consules de Aste pro communi mihi dederint, Et illum potestatem vel consules quem vel quos michi dederint pro potestate et pro consulibus tenebo et eius precepta observabo, Et si a potestate vel a

consulibus Astensibus, michi requisitum fuerit ut faciam sacramentum quod alij cives facient pro communi, illud faciam observabo et attendam. Item iuro salvare et custodire ad proprium communis astensis furnos et molendinos et pedagia et mercatum et sextarios et mensuras et curadias et placita de loco Stelle omni tempore salva ratione eorum qui ibi habent molendinos, si quam modo rationem in eis habent. Item iuro quod in aliquo tempore non accipiam pro habitatore nec pro vicino aliquem hominem nec aliquos homines, quem vel quos potestas vel consules in Aste per tempora existentes per se vel suum missum certum vel per eorum literas michi prohibeant, Et ibi aliquem vel aliquos, quem vel quos per se vel per eorum missum vel per eorum literas michi prohibeant non permittam stare nec ullo modo in monte vel loco stelle habitare, Et mensuram panis et vini et pensos et monetam Astensem in illo loco ulterius tenebo secundum quod in Aste tenetur et tenebitur. Item iuro quod in aliquo tempore non vendam nec dabo nec permutabo nec obligabo nec infeudabo nec legabo sedimen quod habeo in Monte seu in loco de stella alicui Marchioni vel Comiti, nec alicui persone sub aliquo ingenio, qui Marchio vel Comes vel que persona sit contrarius vel contraria communi de Aste, nisi cum consilio potestatis vel consulum Astensium et eorum credentie per campanam congregate, totius vel maioris partis, Et sedimen communis Astensis quod habet in loco stelle bona fide salvabo et custodiam et me sciente illud non minuam nec ullo modo minui faciam nec consenciam, Et hoc totum quod supra legitur iuro attendere et observare bona fide et sine fraude omni tempore, Salvis omnibus rationibus dominorum meorum, idest salvis fictis et redditibus terrarum, Et si in aliquo tempore a potestate vel a consulibus in Aste per tempora existentibus pro communi de Aste michi requisitum fuerit ut hoc sacramentum reficiam, Illud faciam, attendam et observabo bona fide. Nomina eorum de loco stelle qui iuraverunt omnia supradicta attendere et observare sicut supra continetur sunt hec Jacobus danius, Obertus Navonus, Sysmondus de Boscho, Gonfredus da Confurcijs, Passatus Alucus de Conriano, Guilelmus Furetus, Albericus, de donna saya, Bartholomeus de Culmulo, Petrus Bonus, Guilelmus de Viannis, Otto Vagina, Jacobus surdus, Obertus de Carbonaria, Jacobus de paucapalea, Obertus Brunus, henricus Capellus, Otto Mirabilia, Rodulfus de Belloto, Anselmus Brunus, Anselmus de planecijs, Rodulfus de Villa veteri, Otto Busonus, Tebaldus de Monte, henricus de Monte, Obertus penacius, Gandulfus Timonus, Otto de Villa veteri, Otto Gervalius, Otto de labompera, Otto de Serrameacia, Guilelmus de Baffa, Aycardus de Monte, Anselmus Lamellus, Octo Goglonus, Petrus Cuparius, Ansaldus Opertus, Andrea de passatore, Jordanus de Mayrano, Rufinus Aprilis, Petrus Aycardus, Anselmus Gastaldus, laurencius Tavannus, henricus Cavalerius, Otto de Carbonaria, Gandulfus Galterius, Albertus Bortellus, Guilelmus de Nivilijs, Anselmus de Monte maynardo et Tebaldus folia. Actum in Urbe Aste in ecclesia sancti Martini. Interfuerunt testes dominus Montis bersarij, Tebaldus duminus et henricus Tignosus.

Item in eodem loco et presentia eorumdem testium Maynfredus de la fontana iuravit idem. Et Jacobus Boviculus hanc cartam scripsit.

860. *De pacto et concordia factis inter Bonefacium de Magliano cum communibus civitatis Ast et loci de Stella, debendo facere pacem et guerram exercitus et cavalcatas et reliqua sicut civis Astensis et perpetuo cum suis filijs esse cives astenses.*

(Omisimus quia iam est ad Num. 571).

CLXV. De Preocha.

(Hic picta est arx. Vid. Tab. IX, n. 44).

861. *De possessione data comuni Astensi per dominos Anselmum de ecclesia, Manfredum mataracium et Bartolomeum eius nepotem de eorum parte preoche.* 1221. 14 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo primo Indictione nona, Die dominico XIIII° die Novembris. In presentia testium, dominus Anselmus de preocha de ecclesia et dominus Manfredus matarocius, et eius nepos Bartolomeus mataracius, posuerunt in possessionem dominum Guielmum laiolium, et dominum Ubertum durnasum Ambaxiatores communis astensis, vice et nomine tocius comunis astensis, de universa eorum parte quam ipsi habent In Castro preoche In vila et contili et posse et jurisdicione districtus. Actum In Castro Preoche. Testes Johanes de Alba, Oliverius bignonus, Raynerius navonus et plures alij.

Et ego Anselmus de porta palatinus notarius Interfui et sic scripsi.

862. *De donatione facta comuni Astensi, per dominas Anexiam et Mateldam sorores de preocha, de XII^a parte Castri et ville preoche.* 1221. 9 Septembris.

Anno domini, Millesimo ducentesimo vigesimo primo Indictione nona, Die iovis nono Intrante septembri, presentia Infrascriptorum testium, domina Agnexia, et domina Matelda eius soror filie condam Ansaldi de preocha, uxores Rollandi de lavezollis, et Nicolay eius fratris precepto et voluntate ipsorum Rollandi et Nicolai, fecerunt donationem puram et Inrevocabilem Inter vivos, domino Guidoni de landriano potestati astensi nomine et vice comunis Astensis, Nominative de tota duodecima parte Castri et ville preoche, hominum, acquaticus, pasquaticus hominum scilicet istorum Ruinarum Rupium atque venationum, et tocius honoris Contilis et Jurisdicionis et de pluri si plus habent ibi quam partem, et plus si plus habent ibi, cum omnibus predictis habebant et possidebant, vel habere et possidere et tenere videbantur, nichil In se retinendo et precipue de uno sedimine quod habent vel habere videntur et possidere in castello preoche ubi dicitur..... coherent ei discalcij, et sedimen Manfredi, Matta, Et Insuper prefati Nicolaus et Rollandus, fecerunt donationem puram et Inrevocabilem Inter vivos, dicto potestati nomine et vice comunis astensis, Nominative de omni Jure ratione et actione, dominio contili et districtu, et omni alio Jure quod habent vel habere videntur In dicta duodecima parte jure dationis dotis, vel alio quoque jure, Eo modo, quod dictum comune a modo faciat de predictis omnibus quicquid facere voluerit, et predicta omnia teneat et possideat cum omnibus predictis et jure alodij, sine omni contradictione predictarum et predictorum et cuiuslibet alterius persone pro eis, vel sine eis et eorum heredum. Insuper constituerunt sese possessores

nomine dicti comunis et pro dicto comuni. Insuper promiserunt eidem potestati nomine predicti comunis, quod si ex hinc aliquid In dicto Castro et villa acquirere poterint, quod dabunt comuni astensi ex donatione, Ita quod comune debeat illud eis reddere in feudum. Actum Aste in domo comunis, Testes Interfuerunt, Manzanus tabernarius, et Jacobus eius filius, et dominus Ardicio scarampus et dominus Guielmus martilia miles potestatis.

Ego Guielmus trosellus notarius palatinus Interfui et sic scripsi.

863. *De vendicione facta comuni Astensi per Guidonem Zocham de preocha de XII^a parte Castri et ville preoche.* 1222. 19 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo secundo Indictione decima, Die martis terciodecimo kalendas Madij, presentia testium Infrascriptorum, Cartam vendicionis et vendicionem facit Guido Zocha de preocha In manibus domini Guidonis de landriano potestatis astensis, nomine et vice comunis astensis recipienti, Nominative de duodecima parte Castri et ville preoche, et de sediminibus decem que sunt In villa preoche, et de toto eo quod ipse Guido vel alius pro eo hactenus visus est juste vel iniuste aliquo modo habere tenere vel possidere in castro et villa preoche et In toto pertinenti videlicet in Militibus et in ceteris militibus et hominibus feudatis et Infeudatis, In terris cultis et Incultis In zerbis pratis In rupibus et ruinis In drictis et fictis, In molendinis, In aquaticis et pascuaticis, In venatione et piscatione, et alijs rebus omnibus et Jurisdictionibus, sibi et predicte vendicioni pertinentibus nichil in se retinens, Tali modo, quod ipse dominus Guido et eius successores in regimine civitatis astensis per tempora existentes, nomine et vice comunis Astensis omnia predicta jure proprietario in alodium habeant firmiterque possideant, et de predictis pacem et guerram et quicquid voluerint faciant absque comuni contradictione predicti Guidonis zoche et heredum eius et omnium aliarum personarum pro eo. Et insuper predictus Guido zocha, per se et per suos heredes, proinde predicto domino Guidoni nomine et vice comunis astensis suis que In regimine civitatis astensis successoribus nomine et vice tocius comunis astensis, predictam vendicionem qualiter supra legitur insolidum sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione precij in consimili loco ab omni homine defendere promisit sub dupli pena. Preterea predictus venditor renunciando exceptioni, non numerate pecunie et eo Juri quod non est deceptus ultra dimidiam justi precij, fuit confessus se recepisse a comuni astensi pro precio vendicionis predicte libras quadraginta astensis monete, de quibus se tenuit tacitum et quietum, et constituit se possessorem nomine comunis astensis, quousque potestati vel eius certo Misso traderet corporalem possessionem, et hanc vendicionem, et omnia predicta sua manu propria juravit ad sancta dei evangelia, tenere firmam imperpetuum et non removere, et facere jurare uxorem suam tenere firmam predictam vendicionem, et pro omnibus predictis omnes res suas predicto domino Guidoni potestati nomine comunis astensis, pignori obligavit. Actum Ast sub porticu quondam Mineri calchanei. Testes Interfuerunt, henricus sinistrarius, Ottocius grasverdus, Jacobus rastellus, Guielmus de lavezolis.

Ego Guielmus tortonus notarius palatinus Interfui et precepto dicti potestatis sic scripsi.

864. *De possessione data comuni Astensi per Guidonem zocham de preocha, de XII^a parte Castri et Contilis Preoche.* 1222. 10 Julij.

Anno domini, Millesimo ducentesimo vigesimo secundo Indictione decima, die dominico, decimo die Jullij, presentia testium Infrascriptorum, Guido zocha de preocha, tradidit, possessionem corporalem, Garolie nuncio comunis recipienti pro comuni, nomine et vice comunis astensis, et ipsum corporaliter posuit in possessionem nomine dicti comunis, de toto eo, de quo ipse Guido, vendicionem fecerat de duodecima parte Castri et contilis preoche et de sediminibus decem, que sunt in Villa preoche, domino Guidoni de landriano potestati astensi, nomine comunis astensis sicut In carta Inde per Guielmum tortonum notarium facta, In anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo secundo, Indictione decima, die martis tercio decimo kalendas Martij continebatur. Actum in Castro preoche, Juxta domum ubaldi. Testes interfuerunt, Johanes de Carbonerijs, Jacobus balcharia, Obertus de lequeo et Jacobus discalcius.

Ego Guielmus turtonus notarius palatinus, hijs omnibus Interfui et scripsi.

865. *De vendicione facta comuni Astensi per Manfredum mataracium et Bartolameum eius* (nepotem) *de sextadecima parte Preoche.* 1221. 30 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo primo Indictione nona, die sabati tercio kalendas Novembris, presentia Infrascriptorum testium, Manfredus mataracius, et Bertolomeus eius nepos pro sextadecima parte, et Balchera filius anselmi de ecclesia, nomine et vice ipsius Anselmi, pro altera parte sextadecima, vendiderunt et tradiderunt domino Guidoni de landriano potestati astensi, nomine et vice comunis astensis totam octavam partem Castri et Ville et hominum preoche, et plus si plus ibi habent, juste vel iniuste vel habere videbantur, et precipue sedimen unum quod est in Castro Preoche, Cui coherent Astensis episcopus et discalcij, et filie quondam Ansaldi de preocha, cum omnibus accessionibus Ingressionibus, rationibus et actionibus, fodris et bannis, districtu et Jurisdicione aquatibus et pasquatibus, Ruinis et rupibus, venationibus et piscationibus, Contili et dominio, et omnibus alijs juribus et rationibus, cum quibus omnibus habebant vel tenebant, seu habere vel tenere videbantur predictam octavam partem, et plus si plus ibi habent, pro precio librarum Centum astensium, quos confessi fuerunt ab eo recepisse, Renunciando exceptioni non numerate pecunie, Eo modo quod dictus potestas astensis nomine dicti comunis astensis seu ipsum comune a modo totam octavam predictam partem, Castri et Ville et hominum preoche, et plus si plus ibi habent, cum omnibus predictis, teneant et possideant libere et quiete Jure proprietario et quolibet alio Jure Et de ea quicquid voluerit faciat, sine omni contradictione dictorum venditorum suorumque heredum. Quam autem vendicionem promiserunt dicti venditores et Balchera nomine et vice patris, dicto potestati nomine dicti comunis, ab omni persona deffendere quod si deffendere nequiverint vel noluerint aut per quodvis Ingenium subtrahere quesierint eam ei, tunc eam in duplum eidem nomine dicti comunis restituere promiserunt sicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit sub extimatione precij In consimili loco, et Insuper omne damnum omnesque expensas, quod et quas dictum comune fecerit et Incurerit eo quod dicta vendicio fuerit molestata vel evicta dicto comuni, Et

confessi fuerunt sese nomine dicti comunis predictam vendicionem possidere, Constituendo ipsum comune astense suum certum nuncium et procuratorem In rem suam ad Intrandum possessionem.

Actum aste In domo consilij, testes Interfuerunt Gandulfus de porta et Jacobus roba clavarij comunis, et dominus Guielmus de payrana miles dicti potestatis.

Et Ego Guielmus trossellus notarius palatinus Interfui et sic scripsi.

866. *De Renunciatione facta versus comune ast per dominam Anexiam uxorem Manfredi Mataracij, et dominam Alaxiam uxorem Bertolamei mataracij In jure preoche.* 1221. 20 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo primo Indictione nona, Die lune vigesimo intrantis decembris, In Castro preoche, presentibus Jacobo de preocha, et Obaldo de preoca, et Bergogno de Castronovo, domina Agnex uxor Manfredi mataracij de preocha, et domina Alaxia uxor Bartolamei mataracij nepotis dicti Manfredi eorum sponte et non coacte ut confesse fuerunt, Neque verberate Renunciaverunt omni Juri quod haberent vel habere viderentur vel eis competerent In vendicione illa sexte decime partis, Castri et Ville et hominum preoche, quam dicti Manfredus et Bartolomeus eorum Mariti, fecerunt comuni astensi jure sue dotis vel alio quoquo Jure, et Juraverunt supra sancta dei evangelia dictam vendicionem inperpetuum ratam et firmam tenere nec per se nec per aliam sibi submixam personam Ullo tempore removere.

Et ego Guilelmus trossellus notarius palatinus Interfui et scripsi.

867. *De quadam Inquisitione declaratione et discernicione factis nomine comunis Astensis prout Inferius continetur.* 1287. 15 Septembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo septimo Indictione quintadecima, die lune xv° Mensis septembris, presentia testium Infrascriptorum, dominus Ogerius alferius, Cui cum illo socio sive sapiente quem ad hoc elligere voluerit et secum habere, et ipsi socio quem elligerit ad illud una cum ipso domino Ogerio concessum est plenum arbitrium et generalis baylia auctoritas potestas et facultas, tantam videlicet quantam habet vel haberet generale consilium civitatis astensis discernendi et determinandi et declarandi ac In scriptis ponendi et reducendi ab una parte pro se et seorsum a juribus aliorum consorcium, omnia Jura rationes dominium et segnoritum, tam in hominibus quam In omnibus alijs comuni astensi pertinentibus in villa preoche, et que et quas habet comune astense in predicta villa quocumque modo vel titulo, et quacumque ratione vel causa, Ita quod liquide pateant homines et omnia alia jura sint manifesta omnibus, quos et que comune astense habet in dicta villa preoche, Tali modo quod quicquid fecerint predictus dominus Ogerius et alius quem secum habere et elligere voluerit, ad predicta In disernendo et declarando jura et homines comunis astensis, In dicta villa preoche a Juribus et hominibus ecclesie et aliorum Consortum valeant et teneant et firma sint et attendi et observari debeant Imperpetuum, quemadmodum factum esset per universum consilium civitatis astensis et etiam dicte baylie, Unde sive ex qua baylia est quedam reformacio consilij que facta fuit tempore domini Galterij de mangano olim potestatis astensis, In anno

domini Millesimo ducentesimo octuagesimo septimo Indictione quintadecima, Die iovis XXII°, mensis Madij, Et de qua reformatione consilij, factum est Instrumentum unum, per Guielmum de gregorio Notarium, ipso eodem Anno et Indictione, Die Martis, V° mensis Augusti, et Thomas de alfiano notarius quem ipse dominus Ogerius ellegit pro socio ad predicta, Auctoritate predicte baylie, et ex vigore ipsius, Eciam precepto domini Antonij de cerreta potestatis astensis, quod tenebatur vinculo sacramenti sic facere et curare Infra certum terminum, quod homines preoche, qui dicuntur homines ecclesie astensis, vel Thomaini rotarij disernantur et specificentur ab hominibus comunis Astensis, et quod eodem modo discernantur possessiones hominum dicte ecclesie a possessionibus aliorum hominum dicti loci et etiam dicti Capituli, volentes discernere, determinare declarare ac In scriptis ponere et reducere ab una parte pro se et seorsum ab alijs Juribus aliorum consortum, jura rationes, dominium et segnoritum tam in hominibus quod In omnibus alijs comuni astensi pertinentibus In predicta villa preoche Ita quod manifeste pateant Jura et homines comunis astensis ab hominibus et rationibus aliorum consortum, si quos homines alij consortes ibi habent, Et etiam volentes discernere et declarare possessiones hominum dicte ecclesie Si qui sunt homines, et si que sunt possessiones dicte ecclesie, A possessionibus hominum dicte ville qui sunt cives astenses secundum formam dicti capituli, Wolentes omnia predicta effectui mancipare ac tradere, omni modo et omni diligentia, quo et qua melius potuerunt et sciverunt, fecerunt Inquisitionem de predictis et supra predictis Inquirendo Jura comunis tam per testes quos ad hoc utiliores et fidedigniores cognoverunt quam per Instrumenta et alias probationes, et omni alio modo quibus melius predicta Inquirere potuerunt, Et Inprimis facta diligenter inquisitione predicta tam per testes quos super predictis plurimos produxerunt quam per Instrumenta et alio modo prout In dicta Inquisitione continetur, Invenerunt quod homines Infrascripti sunt cives astenses et quod ad comune astense pertinent, Et quod id quod habent tenent sub dominio et jurisdicione comunis astensis, Et similiter Invenerunt, quod aliqui homines de preocha, qui Inferius denotabuntur aliquid tenent ab ecclesia astensi, Tamen totum aliud et omnia alia que habent, tenent a comuni prout Inferius continebitur, Et ad hoc ut melius et clarius Invenirent Jura comunis astensis, tam In hominibus quam in alijs rebus scire voluerunt pro eorum Inquisitione predicta, qui erant et quot erant domini preoche, et qui habebant partem in preocha, et quomodo processerunt, et inerunt illi domini et partes eorum, quas habebant in preocha, et a quo vel quibus ipsi domini tenebant predictas partes quas habebant in preocha, ad hoc ut melius Invenirentur homines comunis astensis, Et ita perquirendo Invenerunt.

De domino Guilfredo de laureto.

Quod dominus Guilfredus de laureto quondam habebat partem in castro et villa et posse preoche, A quo domino Guilfredo descenderunt filij eius domini Guielmacius de laureto, Jacobus de laureto cui dicebatur Castellanus, et Ruffinus et boninus de laureto fratres, qui vendiderunt totam eorum partem Preoche comuni astensi, Unde est carta abreviata per Guielmum de bozolasco notarium anno domini, Millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, Indictione quintadecima, die mercuri tercio Intrante

septembri, et facta et scripta per Jacobum ragium notarium anno domini MCCLXI Indictione v^a die sabati secundo mensis Aprilis.

De domino Anselmo de ecclesia.

Item Invenerunt, predicti dominus Ogerius et Thomas per Inquisitionem predictam, quod dominus Anselmus de ecclesia quondam habebat partem In Castro et villa et posse preoche Scilicet sextamdecimam partem, quam tenebat a comuni astensi unde est carta facta per Guielmum trossellum notarium MCCXXI, die sabati tercio kal. Novembris, et est comunis dicta carta cum Manfredo mataracio et Bertolameo eius nepote, Et Invenerunt predicti Officiales quod a dicto Anselmo de ecclesia descenderunt filij eius Jacobus de ecclesia qui dicitur balchera, et Rufinus de ecclesia, et a dicto Jacobo filio dicti Anselmi descendit filius eius Jacobinus, qui modo vivit, Item a dicto Ruffino filio ipsius Anselmi, descendit Rollandus de ecclesia eius filius, Et a dicto Rollando descendit Ruffinus de ecclesia qui modo vivit.

De domino Manfredo Mataracio.

Item Invenerunt predicti Officialles, per Inquisitionem predictam, Quod dominus Manfredus mataracius quondam habebat partem In Castro et Villa et posse preoche, scilicet sextam decimam partem, quam ipse tenebat a comuni astensi, unde est carta facta, per Guielmum trosellum notarium, MCCXXI. Die sabati tercio kal. Novembris, superius iam notata est comunis ipsa carta, cum domino Anselmo de ecclesia, ut superius dictum est, Et a predicto Manfredo descenderunt, Obertus mataracius, et Guielmus mataracius fratres, Et a dicto Guielmo mataracio filio ipsius Manfredi remanserunt due filie que non habebant partem in preocha, Sed remansit pars ipsius Guielmi, Oberto mataracio fratri suo, A quo Oberto mataracio filio ipsius Manfredi, descenderunt tres filij, scilicet Amedeus, Manfredus, et Franciscus fratres de quibus tribus fratribus, vivebant tempore guerre quo preocha guereabat cum comuni Astensi, Amedeus et Franciscus predicti, predictus vero Manfredus tempore ipsius Guerre jam decesserat, tamen de ipso remansit Antonius mataracius eius filius Qui Amedeus et Franciscus mataracij fratres, et dictus Antonius eorum nepos erant vasalli et cives Astenses, Et stando cives astenses, dederunt sese et sua in manibus Nunciorum domini karuli regis Scicilie tempore guerre et guareabant comuni astensi, Et accidit quod quando comune astense recuperavit preocham, et capta Preocha comune astense vendidit Thome rotario omnia bona dictorum Mataraciorum, Salvis exceptis hominibus ipsorum Mataraciorum, Et Contitu et segnorito et Jurisdicione ipsorum Unde est carta facta per Jacobum malbecum notarium, Anno domini MCCLXXVII, indictione quinta, Die Martis sexto decimo mensis Marcij, Qui homines contitus segnoritus et Jurisdicio ipsorum, quos habebant in Preocha ipsi Mataracij remanserunt comuni Astensi prout Invenerunt predicti Officiales, Qui Mataracij, et predicti de ecclesia habebant homines In preocha, prout Inferius continebitur.

De Guidone Zocha.

Item Invenerunt predicti Officiales per Inquisitionem predictam, Quod Guido Zocha quondam habebat partem In castro et villa et posse preoche, Scilicet duodecimam

partem quam tenebat a comuni astensi, unde est carta facta per Guielmum trossellum notarium MCCXXII° Die martis XIII. kal. Madij, Et a predicto Guidone, descendit Obertus Zocha quondam, Et Invenerunt quod predicti zoche erant cives astenses pro eorum parte et oddonis de preocha, unde est carta facta per Ottonem notarium, MCCVII, die Iovis tercio mensis septembris.

De duabus Agnete et Matelda sororibus de Preocha.

Item Invenerunt predicti Officiales, per Inquisitionem predictam, quod domina Agnex, et domina Matelda eius soror filie quondam domini Ansaldi de preocha, et uxores Rollandi de lavezolis, et Nicolay eius fratris, habebant partem In Castro et villa et posse Preoche, sed quam partem haberent ibi non bene Invenerunt, Tamen illam partem quam ibi habebant tenebant a comuni Astensi, Unde est carta facta per Guielmum trossellum notarium, MCCXXI die iovis nono septembris, Qui Rollandus de lavezolis vendidit totum illud quod habebat in preocha Guidoni de lavezolis nepoti suo pro tercia parte, et Oberto mataracio et fratri suo Guielmo mataracio pro alia tercia parte et Jacobo de ecclesia, et Rollando de ecclesia pro alia tercia parte a quo Nicolao descendit Guido de lavezolis filius suus. Item Invenerunt, quod predictus Guido emit a dicto Rollando de lavezolis terciam partem de toto eo quod habebat in Preocha. Item Invenerunt predicti Officiales, quod predicti de lavezolis sunt cives astenses unde est Instrumentum factum per Ottonem notarium MCCVII die Iovis III kal. septembris.

De domino Oddone de Bergagna.

Item Invenerunt predicti officiales per Inquisitionem predictam, quod dominus Oddo de bergagna, quondam habebat partem in Castro et Villa et posse Preoche, sed quantam partem ibi haberet non Invenerunt. Tamen invenerunt quod pro ipsa parte ipse erat civis astensis, unde est carta facta per Ottonem notarium, MCCVII. Die Iovis tercio kal. septembris, A quo Oddone descendit Obertus de bergagna filius eius, Et ab isto Oberto descenderunt Manfredus de bergagna, Jacobus, Paganus, et henricus filius ipsius Oberti, Et Invenerunt predicti Officiales, quod dominus Jacobus de bergagna predictus filius dicti Oberti, vendidit totam partem suam quam habebat in Preocha Iohanino filio quondam odonis de lavezolis. Item Invenerunt, quod predictus Paganus, filius ipsius Oberti de bergagna vendidit totam partem quam habebat in Preocha Jacobo rizio. Item Invenerunt, quod predictus henricus filius ipsius oberti de bergagna vendidit totam partem quam habebat in Preocha Ruffino de ecclesia, Nicole de maglano, Thomaino rotario et Iohanino filio domini Guidonis de lavezolis. Item predicti Officiales, non Invenerunt, quod dictus Oddo haberet aliquam partem In hominibus preoche.

De domino Bergogno de covazolio.

Item Invenerunt predicti officiales, per Inquisitionem predictam, Quod dominus Bergognus de covazolio habebat partem In castro et villa et posse Preoche, sed quam partem haberet non Invenerunt. Tamen Invenerunt quod pro ipsa parte erat civis astensis, unde est carta facta per Ottonem notarium MCCVII, Die iovis tercio kal.

septembris, A quo domino Bergogno descendit Anselmus de covazolio eius filius, Et a dicto Anselmo descenderunt duo filij, Scilicet Ogerius et Bonefacius, Qui Ogerius, Bonefacius vendiderunt totum illud quod habebant in Preocha, dominis Jacobo discalzo, Nicolao discalcio, et Iohani discalcio prout Invenerunt Officiales predicti.

De domino Oberto fauzone.

Item Invenerunt Officiales predicti, Quod dominus Obertus fauzonus, quondam erat civis astensis stando in Ast habebat partem In Castro et villa et posse Preoche sed quam partem non Invenerunt, Salvo eo quod non habebant aliquam partem in hominibus preoche quid poterant Invenire predicti Officiales, A quo Oberto descendit Jacobus falzonus eius filius, Qui Jacobus falzonus vendidit id quod habebat in Preoca dominis Ruffino rotario, et Bertolameo rotario civibus astensibus.

De dominis Mil de desaya et Ruffino eius fratre.

Item Invenerunt Officiales predicti per Inquisitionem predictam, quod dominus Mil de desaya et dominus Ruffinus eius frater, quondam habebant partem In castro et villa et posse preoche, sed quam partem ibi habebant non Invenerunt, Qui dominus Mil et dominus Ruffinus vendiderunt totum illud quod ibi habebant Rollando de ecclesia.

De dominis Rodulfo et Ardicione de govono fratribus.

Item Invenerunt Officiales predicti per Inquisitionem predictam, Quod dominus Rodulfus, et dominus Ardicio de govono fratres habebant partem In castro et villa et posse preoche, sed quam partem ibi haberent non Invenerunt, tamen Invenerunt quod pro ea parte quam ibi habebant erant Cives astenses unde est carta facta per Ottonem notarium MCCVII die iovis tercio kal. septembris, qui dominus Rodulfus et dominus Ardicio dederunt in dote et pro dote totum illud quod habebant in Preocha filiabus suis, domine Sibilie uxori domini Nicolay discalcij et filie ipsius domini Ardicionis et Alaxie uxori domini Iohanis discalcij, cui dicebatur de alba, et filie predicti domini Rodulfi.

De domino Anselmo de govono.

Item Invenerunt Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, quod dominus Anselmus de govono habebat partem In Castro et villa et posse Preoche sed quam partem habebat non Invenerunt, tamen invenerunt quod pro ipsa parte erat civis astensis, unde est carta facta per Ottonem notarium MCCVII, die iovis tercio kal. novembris, Quam quidem partem illi de solario habuerunt partim, et discalci comuniter habuerunt partim, sed quam partem habuerunt aliqui ipsorum non Invenerunt.

De Bonefacio de govono.

Item Invenerunt Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, quod Bonefacius de govono habebat partem In castro et villa et posse Preoche prout dicitur, sed quam partem non Invenerunt, Qui Bonefacius obligavit discalcijs comuniter totum illud quod habebat in Preoca.

De domino Guielmo de barre.

Item Invenerunt officiales predicti per Inquisitionem predictam, Quod dominus Guielmus de barre de preocha quondam habebat partem In castro et villa et posse Preoche sed quam partem ibi haberet non Invenerunt, Et Invenerunt, quod dictus dominus Guielmus dedit in solutum illis de solario Iura que habebat in preocha. Item Invenerunt, post hec, quod illi de solario dederunt in permutatione sive cambio discalcijs totum illud quod habebant in Preocha pro eo quod habebant discalci in govono. Et Invenerunt quod dictus dominus Guielmus de barre erat vasallus comunis astensis, pro emptione laureti, de hoc quod tenebat in Preoca a dominis de laureto, ut patet per cartam abreviatam, per Guielmum de bozolasco notarium, MCCXLII Indictione quintadecima Die mercuri tercio Intrante septembri et scriptam per Jacobum ragium notarium MCCLXI Indictione V^a^ Die sabati secundo mensis Aprilis.

De domino Obaudo de preocha.

Item Invenerunt Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, Quod dominus Obaudus de preocha quondam habebat partem in Castro et villa et posse Preoche, sed quantam partem haberet, non liquide invenerunt, Tamen pro illa parte quam habebat ibi erat civis astensis, una cum Rodulfo discalcio fratre suo qui erant comunes, unde est carta facta per dictum Ottonem notarium MCCVII Die iovis tercio kal. septembris, A quo Obaudo descendit Jacobus Obaudus filius suus, Et a dicto Jacobo descenderunt Jacobus et Rodulfus, et Obaudus filij sui qui vivebant tempore guerre domini karuli regis Scicilie, Et a dicto Rodulfo discalcio, non remanserunt heredes sed frater eius Obaudus successit ei in omnibus suis bonis. Et Invenerunt, quod dicti Jacobus Obaudus, et Rodulfus qui erant Çives astenses, dederunt sese et sua In manibus Nunciorum domini Regis karuli tempore domini Guielmi de sicherijs potestatis astensis, In anno domini MCCLXXIII. Et quod ipsi guareabant comuni astensi et guareaverunt per duos Annos et plus de Castro preoche. Postmodum vero quando comune astense recuperavit Preocham ipsum comune vendidit omnia bona ipsorum, que habebant in Preocha Thomayno rotario, Salvo et exceptis hominibus contitu et signorito et Iurisdicione, Et Invenerunt quod omnia ea que fuerunt vendita ipsi Thomayno rotario de bonis predictorum, scripta sunt in quodam cartulario sive libro Inquisitionis quam fecerunt pro comuni astensi, Ogerius alferius predictus, Fredericus ricius, et Petrus tomas, per manum Pelegrini braydini notarij Anno domini MCCLXXVII Indictione quarta die sabati XXVI, mensis Septembris et de venditione ipsarum rerum sicut vendita fuerunt ipsi Thomayno rotario factum fuit unum instrumentum per Jacobum malbechum notarium anno domini MCCLXXVII Indictione V^a^ Die martis VII° mensis Marcij Quod predicti vero Obaudij erant vasalli comunis astensis pro emptione laureti, de hoc quod tenebant in Preocha a dominis de laureto, ut patet per cartam unam abreviatam per Guielmum de bozolasco notarium MCCXLII Indictione XV^a^ die mercuri tercio Intrante septembri, et scriptam per Jacobum ragium notarium MCCLXI Indictione quinta, Die sabati secundo mensis Aprilis.

De dominis Jacobo discalcio, Nicola, Johanne de discalcijs.

Item Invenerunt predicti officiales, per Inquisitionem predictam quod dominus Jacobus discalcius, dominus Nicola, et dominus Johanes qui dicebatur de alba discalcij de preocha quondam habebant partem in Castro villa et posse Preoche, sed quantam partem haberent ibi non bene Invenerunt, verumtamen Invenerunt, quod pro ipsa parte quam ibi habebant erant Cives astenses, et quod habebant domum In Ast, et ab ipso Jacobo descendit Ruffinus discalcius qui vivebat tempore guerre, Et a dicto Nicolao descenderunt, Rodulfus et Petrus discalcij, qui vivebant tempore guerre, Et a dicto Johane descenderunt Nicoletus et Matheus discalcij, qui vivebant tempore ipsius guerre domini karuli regis Scicilie. Et Invenerunt quod predicti discalcij emerunt ab Ogerio et Bonefacio de covazolio totum illud quod habebant In preocha, sed quantam partem haberent ipsi Ogerius et Bonefacius non Invenerunt. Et similiter Invenerunt, quod Nicolaus discalcius, et Johannes discalcius habuerunt pro dotibus uxorum suarum totum illud, quod dominus Rodulfus et Ardicio de govono habebant in Preocha, sed quantam partem habebant ibi non Invenerunt. Invenerunt etiam quod predicti discalcij emerunt a domino Anselmo de govono quandam partem quam ipse habebat In Castro et villa et posse Preoche. Item Invenerunt, quod predicti discalcij, dederunt illis de solario certam partem de eo quod habebant in Govono in cambio, pro eo quod ipsi de solario habebant in Preocha, et specialiter illam partem quam habuerunt a domino Anselmo de Govono, Invenerunt siquidem, quod predicti discalcij habuerunt jure pignoris sive obligationis a domino Bonefacio de govono totum illud quod dictus Bonefacius habebat In Preocha, sed quantam partem ibi haberet ipse dominus Bonefacius non Invenerunt. Item Invenerunt quod predicti discalcij fecerunt cambium cum illis de solario, In quo cambio predicti discalcij dederunt illis de solario id quod habebant In Govono, Et illi de solario dederunt eis id quod habebant In Preocha, maxime illam partem quam habebant a domino Guilelmo de Barre. Item Invenerunt predicti officiales per Inquisitionem predictam, quod illud quod tenebant et habebant discalci in preocha erat medietas et plus Castri et ville et posse Preoche, predicti vero discalci erant vassalli comunis astensis pro emptione Laureti, de hoc quod tenebant In preocha a dominis de laureto, Et sicut erant Vasalli comunis astensis patet per predictam cartam abreviatam per Guielmum de bozolasco notarium MCCXLII. Indictione quinta decima, Die mercuri tercio Intrante septembri, et scriptam per Jacobum ragium notarium MCCLXI. Indictione quinta, Die sabati, secundo mensis Aprilis. Item Invenerunt predicti Officiales per Inquisitionem predictam, Quod Ruffinus discalcius et Rodulfus discalcius, Petrus discalcius, et Matheus discalcius, qui vivebant tempore guerre domini karuli regis Scicilie, qui omnes erant cives astenses, dederunt se se et sua, et Castrum Preoche et villam et posse In manibus Nunciorum domini Regis karuli Et quod turrim comunis astensis quam habebat in preocha dirui fecerunt, quam turrim illi de ecclesia tenebant a comuni astensi, Et quod ipsi guerram fecerunt comuni astensi de Castro et villa et hominibus preoche per annos duos et plus, Postmodum vero quando comune astense recuperavit Preocham, vendidit omnia que habebant discalcij in preocha et posse Thomayno Rotario, exceptis hominibus contitu et segnorito et Jurisdicione, Et ea que vendita fuerunt ipsi Thomayno

rotario scripta sunt In quodam cartulario cuiusdam Inquisitionis quam fecerunt dominus Ogerius Alferius, Fredericus ricius, et Petrus Thomas, unde est Instrumentum vendicionis factum per Jacobum malbechum notarium MCCLXXVII. Indictione quinta, die martis, XVI.° mensis Marcij. Item audiverunt dici ipsi dominus Ogerius Alferius et Thomas de Alfiano, quod Ecclesia astensis habet partem in preocha.

Isti sunt homines Preoche qui erant homines feudales supradictorum dominorum, Et qui tenebant ab eis et de quolibet domino pro se, Et nomina ipsorum hominum et descendentium ab eis prout inferius continetur, Et sunt homines Comunis Astensis, sive Cives civitatis Astensis.

Item Invenerunt predicti dominus Ogerius alferius, et Thomas de alfiano, quod Infrascripti homines de preocha sunt homines comunis astensis, sive cives civitatis astensis, et quod ad comune astense pertinent, eo quod erant homines dominorum de preocha. Quorum dominorum jura ipsorum hominum et tocius domini et segnoritus et Iurisdicionis preoche pervenerunt ad comune astense et ad ipsum comune pertinent.

De domino Guilfredo de Laureto.

In primis Invenerunt, quod dominus Guilfredus de laureto quondam habebat in preocha homines Infrascriptos quos Guilelmus de laureto et frater vendiderunt comuni astensi ut patet per Instrumentum abreviatum per Guilelmum de bozolasco notarium MCCXLII Indictione quintadecima, Die mercuri tercio Intrante septembri. Nomina quorum hominum ipsius domini Guilfredi, et descendencium ipsorum hominum sunt hec, Inprimis Guielmus chinus de culmur, et quia non habuit filios successerunt ei Petrus chinus nepos suus pro medietate, et Oddo de culmur et Guielmus de culmur nepotes ipsius Guielmi pro alia medietate. Item Guilelmus de culmur et Oddo de culmur fratres erant homines et tenebant a dicto Guilfredo et specialiter pro successione Guielmi chini, pro medietate ut supra, A quo Guielmo de culmur descendit Johannes filius suus, qui modo vivit. Et a dicto Oddone de culmur descenderunt Oddinus et frater qui modo vivunt. Item Petrus chinus erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, et maxime pro successione Guielmi chini eius avunchuli cui successit pro medietate, qui Petrus chinus modo vivit. Item Anselmus tirellus quondam erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, A quo anselmo descenderunt, Sismondus et Jacobus turelli filij sui quondam, Et ab ipso Sismondo descendit Johanes eius filius qui modo vivit, Et a dicto Jacobo descenderunt, Antonius et leonus filij sui qui modo vivunt. Item Rodulfus de sancto quondam erat homo et tenebat, A quo Rodulfo descenderunt, Obertus de sancto, qui modo vivit, et henricus de sancto quondam, et a dicto henrico descendit Johanna filia sua. Item Ruffinus de monte quondam tenebat a dicto Guilfredo, A quo Ruffino descenderunt Petrus et Mussus filij sui quondam et a dicto Petro descenderunt Ruffinus, Obertus et Jacobus filij sui qui modo vivunt, Et a dicto Musso descendit Guielmus filius suus qui modo vivit. Item Raynerius navonus quondam erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, a quo Raynerio descenderunt Anselmus et Jacobus, qui modo vivunt, et Robaudus Navonus quondam, Et a dicto robaudo descenderunt Obertonus et fratres filij eius qui modo vivunt. Item Ubertus Navonus quondam erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, Et

a dicto uberto quondam descendit Ubertus navonus quondam, Et a dicto Uberto descendit matelda navona que modo vivit. Item Guielmus navonus quondam qui stabat In Alba, tenebat a dicto domino Guilfredo, A quo Guielmo descendit, Guilelmus filius eius quondam, et a dicto Guielmo descendit ubertus filius eius qui modo vivit. Item Jacobus navonus quondam erat homo, et tenebat a dicto Guilfredo, a quo Jacobo descenderunt Obertus et homodeus quondam, et a dicto Uberto descenderunt Guilelmus et Johannes filij sui, qui modo vivunt, Et a dicto homodeo descenderunt Thebaldus et Guielmus filij sui, qui modo vivunt. Item Anselmus quondam erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, A quo Anselmo descenderunt Sibilia et hellena que modo vivunt. Item Petrus navonus quondam erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, Et a dicto Petro descendit Obertus eius filius, qui modo vivit. Item Brunus navonus quondam erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, A quo Bruno descendit eius filius Guielmus qui modo vivit. Item henricus navonus quondam erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, a quo henrico descenderunt Guilelmus et Jacobus eius filij, qui modo vivunt. Item Navonus quondam erat homo, et tenebat a dicto Guilfredo, A quo Navono descendit Albertus navonus eius filius qui modo vivit. Item Jacobus navonus, qui modo vivit et stat apud Castagnolas erat homo et tenebat a dicto Guilfredo. Item Germanus navonus cui dicebatur beccarius quondam erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, a quo Germano descenderunt Obertus et Jacobus eius filij qui modo vivunt. Item Oddo Simoninus erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, A quo descenderunt Paganus qui modo vivit, et Berta filia quondam ipsius Oddonis, Et dicta Berta cepit in maritum Albertum timonum qui dicitur Morandus, qui accepit aliam uxorem, de qua descenderunt Obertus morandus et fratres qui modo vivunt et qui tenent partem quam habebat dicta Berta. Item Ubertus de rupe qui dicitur mantellus, erat homo et tenebat a dicto Guilfredo, A quo Uberto descendit Ubertus de rupe, qui modo vivit. Item henricus becha tenebat pro feudo laureti, pro terris uxoris sue Isabelle filie Simonini de fronte, qui henricus vendidit omnia que habebat In preocha Jacobo navono, et Jacobus navonus vendidit Jacobo ricio. Omnes vero homines suprascripti, qui fuerunt de feudo laureti ut supra, effecti fuerunt cives Astenses de quantitate tempore dominij Galvagni de campexio olim potestatis astensis, Et debent dare fodrum de libris CC astensibus, quociens Civitas ad fodrum pervenerit, ut patet per Instrumentum unum factum per Meylanum grillium notarium, Anno domini MCCLXVIIII, Indictione duodecima, Die dominico, XVII, mensis Novembris.

De domino Anselmo de ecclesia.

Item Invenerunt officiales predicti, per Inquisitionem predictam, Quod dominus Anselmus de ecclesia habebat homines Infrascriptos In Preocha, Et quod homines Infrascripti tenebant ab eo. Nomina quorum hominum, qui tenebant ab illis de ecclesia et descendentium ab eis, et qui modo sunt cives astenses sunt hec. In primis Oddo de serra quondam erat homo et tenebat a domino Anselmo de ecclesia et a dicto oddone descenderunt Garinus et soror eius, qui Garinus, et soror eius decesserunt sine filijs et successerunt eis domini sui, Scilicet Jacobus et Rollandus de ecclesia. Item Guielmus barellus quondam pro medietate, tenebat a dicto anselmo, A quo Guielmo descenderunt Oddo barellus, et Petrus barellus eius filij, Et a dicto Petro descendit

Ruffinus barellus eius filius, Qui Ruffinus legavit omnia bona sua Francisco de fronte, Et a dicto Oddone descendit Guielmus barellus filius suus, qui modo vivit. Qui Guielmus omnia bona sua vendidit Jacobo de ecclesia. Item Oddo de baorge quondam erat homo et tenebat a dicto Anselmo, A quo Oddone descendit Jacobus de baroge, Et a dicto Jacobo descenderunt Antonius et Obertus de baroge filij sui, qui Antonius non vivit. A dicto vero Uberto descenderunt Matelda et Johanina que modo vivunt. Item Johanes de carbonera erat homo et tenebat a dicto Anselmo, A quo Anselmo descendit Jacobus de carbonera, Et a dicto Jacobo descenderunt Sismondus de carbonera et Oddonus de carbonera qui modo vivunt, qui homines preoche vincerunt per sententiam latam per dominum Raymondum cacayranum Judicem, quod debent solvere fodrum comuniter cum alijs hominibus Preoche comuni astensi, unde est carta facta, per Jachinum gislanerium notarium, Anno domini MCCLXXVI Indictione quartadecima die..... mensis septembris. Item Anselmus barellus quondam qui Invenitur in Instrumento Citaniatici comunis Astensis, Et qui Anselmus erat frater Guilelmi barelli, prout Intelexerunt predicti Officiales, Qui Anselmus decessit sine heredibus, et dictus Guielmus ei successit ut Intelexerunt. Item Petrus cavalerius quondam, a quo descendit Petrinus cavalerius eius filius qui modo vivit. Item Oddo binellus quondam qui se recatavit de eo quod tenebat a domino Jacobo de ecclesia, a quo Oddone descenderunt, Ruffinus et Rodulfus filij sui qui modo vivunt. Item Rodulfus de tuvo, et Nicola eius frater quondam, qui se recataverunt a domino Rollando de ecclesia, de eo quod tenebant ab eo, A quo rodulfo descenderunt Alaxia et hellena filie sue, que modo vivunt, que Alaxia predicta accepit in maritum Collinum picardum de ultramontibus qui modo vivit, Et a dicto Nicolao fratre ipsius Rodulfi de tuvo, descenderunt Jacobus de tuvo qui dicitur Jugularis, et Guilelmus et Ruffinus et Petrus, et Obertus fratres, qui modo vivunt. Item Albertus de laveis sive de pasquario qui se recatavit a domino Rollando de ecclesia de eo quod tenebat ab eo, A quo Alberto descendit Ubertus filius eius qui modo vivit, Qui ubertus vendidit ea que habebat In preocha Ruffino de ecclesia, Et Ivit ad standum In Albam. Predictos omnes homines qui fuerunt homines, et qui tenebant ab illis de ecclesia Invenerunt predicti Officiales esse cives Astenses, seu ad comune astense pertinere.

De domino Manfredo mataracio.

Item Invenerunt Officiales predicti per Inquisitionem predictam, quod dominus Manfredus mataracius, habebat homines Infrascriptos In preocha, et qui homines Infrascripti tenebant ab eo, Nomina quorum hominum, qui tenebant a Mataracijs et descendentium ab eis, et qui modo sunt Cives astenses, et ad comune pertinent sunt hec videlicet. In primis Raymondus argentus quondam erat homo, et tenebat ab ipso Manfredo, A quo Raymondo descendit Richa filia eius, que Richa accepit in maritum Johanem presbiterum, de quadam serra de lavezolis qui dicitur Azel, A qua Richa descenderunt, Obertus et Petrus filij sui, qui modo vivunt. Item Guielmus niger qui dicitur de carbonereis quondam, A quo descendit Thomas de carbonereis filius eius, Et a dicto Thoma descenderunt Alaxia et Flos, que modo vivunt, que Alaxia accepit in maritum Rodulfum ambroxium de otaviano, et Flos accepit In maritum Gandulfum argentum de craviano, qui modo vivit. Item Johanes de areis quondam, A quo

descenderunt Guilelmus de areis, qui modo vivit, et Oddo de areis frater eius quondam, Et a predicto Oddone descenderunt Petrus de areis, et Astexanus de areis Et Ubertus de areis, qui modo vivunt, et Jacobus de areis frater ipsorum quondam, a quo Jacobo descenderunt Guilelmonus et hieronus qui modo vivunt. Item Jacobus bezius quondam, a quo descendit Rodulfus bezius qui modo vivit, et stat apud maglanum, et habuerunt res suas Jacobus tirellus, Guilelmus gastaldus, Johanes de lavezolis, Guielmus de teralbe, et Obertus grassus, pro quibusdam debitis. Item Obertus catanius quondam A quo descendit Guielmus Catanius quondam, Et a dicto Guielmo descenderunt Obertonius catanius et fratres qui modo vivunt. Item Pētrus barellus quondam, a quo descendit Ruffinus barellus quondam, qui Ruffinus legavit sua in parte Francisco de fronte, et In parte Francisco mataracio. Item Jacobus de vivario cui dicebatur Marchisius quondam, A quo descenderunt Agnes et Matelda filie sue, que modo vivunt, que Matelda accepit In maritum Manuelem timonum, qui modo vivit, Agnes vero accepit in maritum Guielmum textorem de culmur quondam, qui decessit et remansit vidua et modo vivit. Quos quidem homines qui tenebant A Mataracijs Invenerunt predicti Officiales esse Cives Astenses, seu ad comune astense pertinere.

De Guidone Zocha.

Item Invenerunt Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, quod Guido Zocha habebat homines Infrascriptos In Preocha, Et quod ipsi homines Infrascripti tenebant ab eo. Nomina quorum hominum, qui tenedant a Zochis, et descendentium ab eis, sunt hec. In primis Germanus gualla quondam erat homo et tenebat ab ipso Guidone, A quo descendit Petrus gualla qui modo vivit. Item Obertus bechina quondam a quo descendit Auria filia sua, que modo vivit, et que accepit in maritum Guielmum tamagnum, qui modo vivit, qui homines preoche vincerunt per sententiam latam per dominum Raymondum cacayranum Judicem quod debebat solvere fodrum comuniter quod debebat solvere cum alijs hominibus Preoche comuni astensi, Et de qua sententia est Instrumentum factum per Jachinum ghislamerium notarium Anno domini MCCLXXXVI, die ..... mensis septembris. Item Robaldus de fronte quondam a quo descendit Franciscus de fronte qui modo vivit. Quos quidem homines ipsius Guidonis Zoche Invenerunt ipsi Officiales ad comune, pertinere.

De domino Nicolao de lavezolis.

Item Invenerunt Officiales predicti per Inquisitionem predictam, Quod dominus Nicolaus de lavezolis habebat homines infrascriptos in Preocha, et quod ipsi homines Infrascripti tenebant ab eo. Nomina quorum hominum qui tenebant ab ipsis de lavezolis sunt hec. In primis Francischus de fronte, pro modietate qui modo vivit. Item Obertus bezius quondam pro medietate, A quo descendit Jacobus bezius quondam, Et a dicto Jacobo descendit Rodulfus bezius, qui modo vivit, Et qui vendidit ea que habebat ut supradictum est. Item predicti Officiales inquirentes non Invenerunt quod dominus Oddo bergana qui habebat partem in Preocha, nec dominus Jacobus fauzonus haberent aliquos homines In preocha, nec dominus Jacobus fauzonus haberent aliquos homines In preocha.

De domino bergogno de covazolio.

Item Invenerunt Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, quod dominus Bergognus de covazolio habebat homines Infrascriptos In preocha, et quod tenebant ab eo et quod ipsi homines sunt comunis astensis. In primis Bagnascus quondam, A quo descendit Johanes bagnascus quondam, Et a dicto Johane descenderunt, Jacobus et Nicola bagnaschi qui modo vivunt. Item Rollandus stanterius quondam, Et a dicto Rollandino descenderunt Thebaldus et Jordanus stanterij, qui modo vivunt, Et Anselmus stanterius quondam, Et ab ipso Anselmo descenderunt Jacobus et Ruffinus stanterij, qui modo vivunt. Item Anselmus tergardus quondam a quo descendit Johanna filia sua, que modo vivit, et accepit in maritum Jacobum de tuvo qui dicitur Iugularis, qui modo vivit. Item Ubertus de rupe qui dicitur mantellus quondam a quo descendit Obertus de rupe qui modo vivit.

De domino Mil de desaya et Ruffino de desaya.

Item Invenerunt Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, quod dominus Mil, et Ruffinus de desaya habebant Infrascriptos homines in preocha, et quod tenebant ab eis, et quod ipsi homines modo sunt comunis astensis. In primis Ubertus de pasquario sive de laneis, qui positus est in ratione hominum Illorum de ecclesia, Item Rodulfus et Nicola de tuvo fratres qui positi sunt In ratione predictorum de ecclesia.

De dominis Rodulfo et Ardizone de govono.

Item Invenerunt predicti Officiales per Inquisitionem predictam, Quod domini Rodulfus et Ardicio de govono habebant homines Infrascriptos, et quod ab eis tenebant, In primis Ubertus de teralbe et Scotus et Bonefacius de teralbe fratres, A quo Uberto descenderunt, Guielmus, Opizo et Fazonus de teralbe qui modo vivunt, Et a dicto Scoto de teralbe descendit Alaxia eius filia, que modo vivit. Et a dicto Bonefacio descendit Jacobus, qui dicitur maniapanis qui modo vivit. Item Jacobus gillinus quondam a quo descendit Matelda eius filia, que modo vivit, et que accepit In maritum Albertum de rupe qui dicitur Mantellus, qui modo vivit. Item Micael Servedeus quondam, a quo descendit Albertus de nicola quondam, Et a dicto Oberto descendit Jacobus eius filius qui modo vivit, et qui alienavit de bonis suis Thomayno rotario, Guielmo gastaldo, et Ruffineto de ecclesia. Et Invenerunt predicti Officiales, Quod homines predictorum Rodulfi et Ardicionis sunt homines comunis astensis et Cives.

De Domino Anselmo de govono.

Item Invenerunt predicti Officiales per Inquisitionem predictam, Quod dominus Anselmus de govono habebat in Preocha, homines Infrascriptos, Et quod ab ipso tenebant Et quod ipsi homines sunt homines sive cives comunis astensis. In primis, Obertus de paucapalea a quo descenderunt Anselmus et Jacobus eius frater qui dicitur Maruchus filij sui, et a dicto Anselmo descendit Anselmotus eius filius, qui modo vivit, et dictus Jacobus modo vivit.

De domino Bonefacio de govono.

Item Invenerunt predicti Officiales per Inquisitionem predictam, Quod dominus Bonefacius de govono habebat in preocha, homines Infrascriptos, qui tenebant ab eo, et qui sunt homines comunis astensis. In primis Micael servedeus quondam sicut scriptum est in scripto domini Rodulfi et Ardicionis de govono.

De domino Guielmo de barre.

Item Invenerunt Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, Quod dominus Guielmus de barre habebat homines Infrascriptos in Preocha, et qui tenebant ab eo, qui modo sunt cives astenses. In primis Guiglelmonus, et Petrus binelli, A quo Guielmono descendit Jordanus binellus, qui modo vivit, Et a dicto Petro binello descendit Peronus binellus qui modo vivit. Item Jordanus de doglo, et Anselmus de doglo eius frater quondam, A quo Jordano descendit Albertus qui dicitur Rubeus, qui modo vivit, Et ab Anselmo descendit Jacobus eius filius, qui modo vivit. Item Jacobus roderius quondam, a quo descenderunt, Guielmus, et Johanes, qui modo vivunt. Item Guiglonus boverius quondam a quo descendit Johanna eius filia, que modo vivit. Item invenerunt, Officiales predicti, Quod Petrus binellus pater odonis binelli et frater erant homines domini Guielmi de barijs, sed quantam partem in eis haberent, non Invenerunt, Et Invenerunt, quod predicti binelli pervenerunt a dicto Guielmo de barrijs, ad illos de solario Qui de solario emerunt jura a creditoribus ipsius vel eius filij Jacobi de barrijs, qui modo vivit, et qui sunt apud podium guarinum, Et Invenerunt quod ab eis de solario pervenerunt discalcijs de preocha, Et in fine pervenerunt Ruffino discalcio In eorum divisionibus, ratione quorum discalciorum ipsi Binelli sunt homines comunis Astensis.

De Obaldijs.

Item Invenerunt predicti Officiales, per Inquisitionem predictam, Quod Obaldi habebant homines Infrascriptos in Preocha, qui tenebant ab eis, qui, et eorum descendentes modo sunt Cives astenses, seu quod ad comune astense pertinent, quorum nomina sunt hec. In primis Petrus marchisius quondam a quo descendit luca eius filia que modo vivit, et que luca accepit in maritum Obertum ferrarium qui dicitur pelizonus qui modo vivit. Item Petrus timonus quondam, a quo descenderunt Bertolelus et Jacomellus eius frater qui modo vivunt. Item Rubeus timonus qui modo vivit. Item Anselmus tegardus quondam a quo descendit Johana filia sua que modo vivit, et que accepit In maritum Jacobum de tuvo qui dicitur Jugularis. Item Obertus brunus qui modo vivit, et Jacobus eius frater, qui similiter vivit. Item henricus de villa veteri qui dicitur taglafer qui modo vivit. Item Johanes timonus quondam qui decessit sine heredibus, et habuerunt sua Bertolameus grassus, et Obertus grassus. Item Jacobus de vivario qui dicitur marchisius quondam a quo descendit Agnex filia sua que modo vivit. Item Manuel timonus qui modo vivit.

De dominis Jacobo, Nicolao et Johane de discalcijs.

Item Invenerunt officiales predicti, per Inquisitionem predictam, quod dominus Jacobus et Nicolaus et Johanes discalcij habebant homines Infrascriptos in preocha Et quod ipsi homines tenebant ab eis discalcijs. Nomina quorum qui tenebant ab eis et descendentium ab eis, et qui modo sunt cives astenses sunt hec. In primis Obertus grassus quondam a quo descendit Bartolomeus grassus qui modo vivit. Item Andreas grassus quondam, a quo descenderunt Obertus grassus et fratres qui modo vivunt. Item henricus timonus quondam, A quo descendit Gandulfus timonus et fratres eius Et a dicto Gandulfo descendit Antonius timonus eius filius qui modo vivit, Et a Thebaldo timono descendit henricus timonus qui modo vivit. Item lafranchus timonus, qui modo vivit. Item Albertus timonus quondam a quo descendit Bertollelus timonus Manuel timonus eius filius qui modo vivit. Item Petrus timonus quondam a quo descendit Bertollelus timonus, qui modo vivit. Item Rubeus timonus, qui modo vivit. Item Germanus timonus quondam, A quo descendit Jacobus eius filius, qui modo vivit. Item Guilelmus et Johanes martini fratres qui modo vivunt. Item Obertinus de rupe, qui modo vivit. Item Guilelmus ferrarius, qui modo vivit. Item henricus bruxatus qui modo vivit. Item Obertus brunus, Jacobus brunus et fratres, qui modo vivunt. Item Obertus Martinus quondam, a quo descendit Anselmus Martinus Qui Anselmus vendidit illud quod habebat in Preocha Jacobo tirello. Item Obertus barberius quondam a quo descenderunt Jacobus de planecio et Nicola eius frater qui modo vivunt. Item Morandus timonus quondam a quo descenderunt Obertus timonus et fratres qui modo vivunt. Item Obertus de Caaglano quondam, A quo descenderunt Guilelmus de caaglano et Johanes frater eius, qui modo vivunt. Item Guielmus bottarellus, et eius frater bottarellus, qui modo vivunt. Item Petrus Chinus qui modo vivit. Item uberzonus de michaelle quondam, a quo descendit Andrea eius filia, que modo vivit, Et Johana filia dicti Uberzoni quondam uxor Guale navoni. Et Invenerunt predicti Officiales, quod Oddo binellus se recatavit a domino Jacobo de ecclesia, qui dominus Jacobus erat vasallus comunis Astensis, et tunc quando se recatavit non habebat dominum aliquem in preocha, Et postea ipse Oddo effectus fuit homo illorum de solario per cartam. Et Invenerunt, quod quando illi de solario alienaverunt id quod habebant in preocha In permutatione quam fecerunt cum discalcijs, quod predicti de solario, dederant predictis discalcijs in predicta permutatione inter alios homines Odonem binellum quondam, pro eo quod habebant In govono predicti discalcij, Et a predicto Oddone descenderunt Ruffinus binellus, et Rodulfus eius frater qui modo vivunt.

De hominibus aliquibus Preoche qui non habebant aliquem dominum in Preocha antiquo tempore.

Item Invenerunt, Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, Quod Infrascripti homines non habebant In Antiquo tempore aliquem dominum In preocha, Quorum nomina sunt hec. In primis Anselmus gastaldus, a quo descendit Guilelmus gastaldus qui modo vivit. Item Ruffinus de ecclesia filius Ruffini de ecclesia cui

dicebatur bâlchera quondam. Item Nicola, et Jacobus de planecio fratres filij Oberti barberij de planetio. Item Nicola de lamora, qui homines non habebant aliquem dominum In Preocha.

Homines ecclesie Astensis, et qui tenebant ab ea sicut dicitur et nomina aliorum hominum descendentium ab eis.

Item predicti Officiales perquirentes de hominibus ecclesie si quos homines ecclesia Astensis habet, vel In quantum habuit In preocha, Invenerunt etiam de hominibus quos aliqui voluerunt dicere, quod fuerunt ab antiquo tempore homines ecclesie astensis ut Infra. Inprimis Invenerunt, quod quidam dicunt quod Anselmus bruyda quondam, a quo descendit Anselmus bruyda eius filius, qui modo vivit, fuit homo ecclesie astensis, Tamen non Invenerunt quam partem ecclesia haberet in ea. Sed Invenerunt per Inquisitionem predictam, quod dictus Anselmus solvit comuni astensi partem suam de illis libris DCCCC astensibus, quas dederunt homines preoche comuni astensi, et quod effectus est civis astensis, ut continetur In carta facta per Jacobum malbechum notarium MCCLXXVII, Die Jovis, XXV. mensis marcij, Et quod stetit In preocha tempore guerre. Item Invenerunt, quod quidam dicunt, quod ecclesia astensis, habet partem in Germano Gualla, et quod in eo petebat partem, sed quantam partem in eo petteret ecclesia non Invenerunt, sed tamen Invenerunt, quod ipse Germanus fuit de illis hominibus, qui remanserunt In preocha tempore guerre, et quod solvit partem suam, de illis libris DCCCC. Astensibus, quos homines Preoche dederunt comuni astensi, Et Invenerunt, quod ipse Germanus pro eo factus est civis astensis sicut In carta citaniatici facta per Jacobum malbecum notarium, MCCLXXVII, superius denotata continetur. Et insuper Invenerunt, quod predictus Germanus tenebat ab Uberto Zocha, sed quam partem non Invenerunt. Item Invenerunt quod Jacobus de monte et henricus beza eius frater quondam de quibus non remanserunt heredes qui maneant In preocha prout dicunt aliqui, et prout dicitur tenebant ab ecclesia astensi sed quantam partem non Intelexerunt. Et similiter Invenerunt quod tenebant a comuni astensi pro feudo laureti, Cuius Jacobi res Rotarij tenent in totum et res ipsius henrici beze tenent in parte. Item Invenerunt, quod dicitur, quod Aycardus de malo pertuxo, quondam tenebat ab episcopo astensi, a quo Aycardo descendit hellena de malo pertuxo filia sua que modo vivit, et que accepit in maritum Franciscum de fronte qui modo vivit, Et qui quidem Franciscus est homo comunis astensis ex parte Oberti zoche, et ipsum Franciscum comune et homines Preoche vincerunt per sententiam latam per dominum Raymondum cacayranum Iudicem, unde est carta facta per Jachinum ghislanerium notarium MCCLXXXVI, Indictione. XIIII.ª die ..... mensis Septembris, quod ipse debeat solvere fodrum comuniter comuni astensi cum alijs hominibus de preocha. Item Invenerunt, quod Guielmus barexanus quondam tenebat ab ecclesia astensi, sed pro qua parte non Invenerunt a quo descenderunt Anna, et helena filie eius, que helena accepit In maritum Ruffinum de monte qui modo vivit, Et invenerunt quod dictus Ruffinus erat civis astensis, pro feudo laureti, Et qui Ruffinus remansit in preocha tempore guerre Cuius occasione comune astense vendidit totum illud quod ipse habebat in Preocha Tomayno rotario, unde est carta facta per Jacobum malbechum notarium MCCLXXVII. Indictione quinta, die martis, XVI. Marcij

Cuius Ruffini, terre et possessiones scripte sunt in libro Inquisitionis, que aliax dominus Ogerius alferius, et Fredericus rizius et socij, fecerunt de possessionibus hominum Preoche, Et qui Ruffinus occaxione predicta remansit civis astensis. Et predicta Anria filia dicti Guilelmi barexani accepit in maritum, Obertum navonum de preocha, qui Obertus erat civis astensis pro feudo laureti, et qui Obertus decessit ante guerram, et dicta Anria decessit in Preoca tempore guerre, De quibus uberto et Anria, remansit filia una nomine Matelda que modo vivit, que Matelda accepit In maritum Obertum gubellum qui dicitur begla, qui Obertus est civis astensis, pro feudo laureti ex parte uxoris sue. Item Intelexerunt et audiverunt quod Petrus chinus, qui modo vivit, tenebat ab ecclesia astensi, et a comuni Astensi, pro feudo laureti, et a discalcijs scilicet Petro et Ruffino, sed pro qua parte non Invenerunt, qui Petrus Chinus, remansit In preocha tempore guerre, Cuius occasione comune astense vendidit totum illud quod habebat in Preocha Thomayno rotario, unde est carta facta per Jacobum malbecum notarium MCCLXXVII. Indictione quinta die Martis, XVI. mensis marcij, Que terre et possessiones ipsius Petri scripte sunt In predicto cartulario Inquisitionis hominum de preocha ut supra. Et qui Petrus chinus ipsa occassione remansit civis astensis. Item prout audiverunt dici predicti Officiales et prout dicitur, quod Obertus de sancto, qui modo vivit, et henricus de sancto quondam tenebant ab ecclesia Astensi, et etiam a comune astensi pro feudo laureti, sed quantam partem non Invenerunt, a quo henrico descenderunt, Rodulfus de sancto et Johana eius soror. Qui Obertus Rodulfus et Johana remanserunt In preocha tempore guerre, cuius occaxione et pro qua offensione comune astense vendidit totum illud quod habebat In preocha Thomayno rotario unde est carta facta per Jacobum malbecum notarium MCCLXXVII. Indictione quinta, die martis XVI. mensis Marcij, et quorum terre et possessiones scripte sunt In dicto cartulario Inquisitionis predicte, In quo scripte sunt alie possessiones que vendite fuerunt ipsi Thomajno rotario. Item prout intelexerunt predicti officiales prout dicitur quod Oddo et Guilelmus de Culmur fratres quondam tenebant ab ecclesia, et etiam a comuni astensi pro feudo laureti, Sed pro quanta parte non Invenerunt, Qui Guielmus vivebat tempore guerre, Et a dicto Oddone descenderunt Guielmus textor et predicti Guielmus de culmur et Guielmus textor eius nepos exiverunt de preocha tempore guerre, et venerunt habitare In ast et juraverunt citaniaticum In manibus domini Oberti spinole capitanei astensis. Item intelexerunt, quod dicitur quod Johana bixa quondam tenebat ab ecclesia astensi, que Johana decessit sine heredibus, et quod Rotarij habuerunt totam eius possessionem. Item dicitur et audiverunt dici predicti officiales, quod Musa de lodola tenebat ab ecclesia astensi, et ab ea descenderunt Bonefacius et Guilelmus filij sui qui modo vivunt, Et qui vendiderunt totum Illud quod habebant in preocha Thomayno rotario. Item dicitur et audiverunt dici predicti Officiales, quod Jacobus cagnonus quondam tenebat ab ecclesia astensi a quo Jacobo cagnono descendit Oddinus eius filius, qui Odonus decessit sine heredibus, tamen Invenerunt, quod ipse Oddo legavit eidem sorori sue ex parte matris sue, nomine Ruffine filie oddonis gullini de canalibus, Et Invenerunt quod Rotarij, ceperunt terras et possessiones predicti Oddonis, Et quod predicta soror ipsius Oddonis nichil habuit de ipsis terris. Item dicitur et audiverunt dici, predicti Officiales, quod Petrus celloyra quondam tenebat, ab ecclesia astensi, Qui Petrus decessit sine heredibus, Et Invenerunt quod Rotarij habuerunt terras et

possessiones ipsius. Item dicitur et audiverunt dici predicti officiales, quod Anselmus gallesius quondam tenebat ab ecclesia astensi, a quo descendit filius eius diesmartis et cuius dieimartis terras et possessiones Rotarij tenent et possident, Et similiter predicti Rotarij habent domum unam supra sediminem predicti diemartis, ubi dicitur ad frontem sive In serra mediana. Item dicitur et audiverunt dici predicti Officiales, quod Oddacius de fonte et eius frater Rodulfus quondam tenebant in Preocha, a dominis Jacobo vicedomino, et provinciali et sclavario fratribus eius, Qui Odacius et Ghisulfus se racataverunt pro parte provincialis et sclavarij supradictorum, et sunt circha anni triginta quod hoc fuit, Et dicitur quod post hoc predicti Oddacius, et Ghisulfus facti sunt homines et comandi Episcopi sive ecclesie astensis, a quo odacio descenderunt Jacobinus et Sismonda filius et filia ipsius Odacij, qui modo vivit, Qui Jacobus et Sismonda filius et filia ipsius Odacij qui modo vivit, Qui jacobus et Sismonda venerunt et reduxerunt sese In Ast tempore guerre preoche, Et Invenerunt predicti officialles quod frater Jacobus de preocha, de ordine humiliatorum domus dei presentavit dictum Jacobinum coram domino obertacio spinola capitaneo civitatis astensis, sed non Invenerunt si ipse Jacoinus Juravit citaniaticum vel non, quia parvulus erat. Post hec vero predictus Jacobinus, se dedicavit In dicto ordine de domo dei, Sismonda vero predicta accepit in Maritum Bartolomeum filium Petri pauperis qui stat in Ast, Et a predicto Ghisulfo descendit Johanes de fonte eius filius, qui Johanes stetit in preocha tempore guerre, et fecit guerram comuni astensi, et postea quando Preocha pervenit ad manus comunis astensis, Ipse Johanes fuit de illis hominibus preoche qui dederunt comuni astensi libras DCCCC, astenses, et tunc effectus fuit civis astensis, ut in carta citaniatici quam fecit Jacobus malbecus continetur, Et de bonis et rebus ipsius Johanis, Thomaynus rotarius habuit in partem, et quidam alius nomine Collinus picardus, qui accepit In uxorem hellenam filiam Rodulfi de tuno habuit In partem. Item predicti Odacius et Ghisulfus effecti sunt cives astenses pro parte Jacobi vicedomini, que pars est tercia pars ratione predicta eo quod guereaverunt comuni astensi. Item dicitur et audiverunt dici predicti Officiales, quod Guielmus de fonte quondam tenebat a domino Frederico vicedomino, Et quod dictus Guielmus se recatavit a dicto Frederico domino suo, de hoc quod habebat In Preocha et sunt anni XXX, vel circha quod hoc fuit, Et audiverunt dici predicti Officiales, quod predictus Guilelmus effectus fuit homo vel comandus episcopi, sive ecclesie astensis, A quo Guilelmo descendit Obertus de fonte quondam, qui Obertus tempore guerre stetit In preocha faciens guerram comuni astensi et decessit tempore guerre, Et ab ipso Oberto descenderunt Guilelmus et Georgius filij sui. Et quando Preocha pervenit ad manu comunis astensis, predicti Guielmus et Georgius fuerunt de illis hominibus de preocha, qui dederunt, comuni astensi libras DCCCC. astenses et qui tunc facti fuerunt cives astenses ut In carta citaniatici facta per predictum Jacobum malbecum notarium continetur. Item dicitur et audiverunt dici, predicti Officiales, quod Johannes de fonte quondam tenebat a domino Frederico vicedomino, et quod dictus Johanes se recatavit a dicto Frederico domino suo, de hoc quod tenebat in Preocha, et sunt anni triginta quod hoc fuit, et dicitur quod dictus Johanes effectus est homo vel comandus episcopi sive ecclesie Astensis, Qui Johanes stetit tempore guerre In preocha, et fecit guerram comuni astensi, et decessit in carceribus apud Canales, a quo descendit

hellena filia sua quam pater eius Johanes maritavit Guielmo de vicia qui non erat de Preocha, Et predicti helena et Guielmus steterunt in Preocha tempore guerre, et fecerunt guerram comuni astensi. Et Invenerunt predicti Officiales, quod quando Preocha pervenit ad manus comunis Astensis, quod predicti hellena et Guielmus, fuerunt de illis hominibus de preocha, qui dederunt comuni Astensi libras DCCCC. Astenses et facta est dicta helena civis astensis, ut continetur in carta Citaniatici facta per ipsum Jacobum malbecum notarium, tamen intelexerunt predicti Officiales, quod postquam terre et possessiones ipsius Helene date fuerunt pro parte ipsius Helene de predictis libris DCCCC. astensibus, que date fuerunt comuni astensi, quod Thomas rotarius voluit dimitere illis quibus dicta pars data fuerat nec voluit pati quod dicta helena solvat aliquid de predictis libris DCCCC astensibus. Item dicitur et audiverunt predicti Officiales, quod Petrus cavalerius quondam tenebat ab ecclesia astensi, pro quadam parte, scilicet pro parte cuiusdam hominis qui dicitur lupus, Et similiter dictus Petrus cavalerius tenebat a domino Jacobo de ecclesia, Qui Petrus stetit in Preocha tempore guerre, et fecit guerram comuni astensi, qui Petrus decessit apud preocham, a quo Petro descendit Petrinus cavalerius et Heleneta filij sui, Et quando Preocha pervenit, ad manus comunis astensis, predicti Petrus et Heleneta fuerunt de illis hominibus, qui dederunt comuni astensi libras DCCCC. astenses, et ipsa occasione facti sunt cives astenses, ut continetur in carta citaniatici facta, per ipsum Jacobum malbechum notarium, Et que heleneta accepit In maritum, Petrum de conforcijs de govono. Qui predicti homines prout dicitur antiquo tempore aliquid tenuerunt ab ecclesia astensi, pervenerunt ad comune astense, et sunt cives astenses et ad comune pertinent rationibus contentis superius.

De hominibus qui erant Cives Astenses et qui vivebant tempore guerre.

Item Invenerunt Officiales predicti, per Inquisitionem predictam, quod homines Infrascripti vivebant eo tempore guerre quo villa Preoche Incepit guerram pro domino karulo rege Scicilie cum comuni astensi, et comuniter comune astense Et inprimis Invenerunt, quod ex hominibus, qui erant cives astenses pro feudo laureti, vivebant infrascripti. Primo Petrus chinus. Guielmus de culmur. Sismondus turellus. Jacobus tirellus. Obertus de sancto. Mussus de monte. Petrus de monte. Anselmus navonus et fratres. Morandus timonus. henriotus navonus. homodeus navonus. Guielmus navonus. Obertus navonus. Albertus navonus. Item ex hominibus illorum de ecclesia, vivebant tempore guere Infrascripti. Primo Jacobus de carbonere. Petrus cavalerius. Obertus de baorge. Item ex hominibus Mataraciorum vivebant tempore guerre infrascripti. Primo Thomas de carbonere. Obertus catanius. Jacobus bezius. Guielmus de areis. Jacobus de areis et fratres. Item ex hominibus Oberti zoche vivebant tempore guere Infrascripti. Primo Germanus guala. laurentius bechina. Franciscus de fronte. Guielmus tamagnus. Item ex hominibus Obaldorum vivebant tempore guerre Infrascripti. Primo Petrus timonus. Albertus timonus. Otta marchisia. Obertus brunus. Item ex hominibus discalciorum vivebant tempore guere Infrascripti. Primo Obertus martinus. Sismondns martinus. Petrus chinus. Guielmus botarellus. Obertus de caglano. Morandus timonus. Paganus de monte. Andreas grassus. Jordanus dadoglo. Petrus binellus. Albertus de turre. Petrus timonus. Johanes timonus.

Gandulfus timonus. Thibaldus et Jacobus timonus eius frater. Guielmus timonus. Lafranchus timonus. Germanus martinus. Jacobus de tuvo qui dicitur Jugularis. Oddo binellus. Ubertus de rupe. Anselmus de paucapalea. Jacobus zoppus. Petrus ferrarius et frater. Rollandus stanterius. Bertolinus tavanus. Obertus brunus et frater. Petrus de rocha. Obertus catanius. Obertus de Villaveteri et frater. Scotus de teralbe. Guilelmus de teralbe et fratres. Jacobus de teralbe, qui dicitur menapanis. Guielmus biglonus. Jacobus Gilinus. Henricus de sagitis. Rubeus dadoglo. Petrus bruxatus. Henricus orengia. Henricus de ruffina. Jacobus manfredus. Johanes bagnascus. Michael Servedeus et frater. Jacobus govassus. Item ex hominibus qui dicebantur tenere ab ecclesia astensi, et qui post modum pervenerunt ad comune rationibus prealegatis, vivebant ipso tempore infrascripti. Primo Germanus gualla. Anselmus bruida. Obertus de fonte. Johanes de fonte, Johanotus de fonte, et eius consanguineus Jacobus. Anria uxor Oberti navoni quondam que postmodum maritavit se In henricum de brayda, cui dicitur begla. Roffinus de monte. Bartolomeus de Monte et fratres. Guilelmus de culmur. Obertus de sancto. Johana bixa. Ardicio de lodola.

De hominibus qui sunt cives Astenses, et qui vivunt ad presens et habent do mos in preocha.

Item Invenerunt officiales predicti, per Inquisitionem predictam, quod Infrascripti homines de preocha qui sunt Cives astenses, et qui habent domos In preocha, vivunt ad presens, In primis Johanes tirellus. Antonius tirellus et frater. Petrus chinus. Guielmus de areis. Oddo de culmur, et Agnes eius uxor. Guala navonus. Guielmus gastaldus. Obertus de sancto. Petrus de sancto dictus benvenutus de sancto. Jacobus filius matelde botarelle. Ruffinus de Monte et fratres. Anselmus navonus et fratres. Heredes Morandi timoni. Henricus begla. Guielmotus navonus filius bruni navoni quondam. Jacobus de palencio et frater. Guielmus botarellus. Guielmus navonus qui dicitur de caaglano. Obertus grassus et fratres. Heredes Jacobi grassi. Bertolomeus grassus. Lafranchus timonus. Petrus guala. Thebaldus stanterius. Manuellus timonus. Anselmotus timonus. Ruffinus raphaudus. Johanes martinus et frater. Jacobus martinus. Anselmus bruyda. Oddo de carbonere. Guielmus tamagnus. Jacobus de tuvo qui dicitur Jugularis. Roffinus binellus. Obertus de rupe. Anselmus de paucapalea. Guielmus ferrarius. Heredes Petri ferrarij. Franciscus de fronte. Guielmus de fonte, et frater. Anselmus gavazinus. Henricus de Villaveteri. Heredes guielmi catanei. Jacobus de tuvo, cui dicitur mastalonus de nanteis. Heredes Johanis navoni. Petrus cavalerius qui dicitur de conforcijs. Henricus bruxatus. Guielmus de teralbe et fratres. Obertus brunus. Jordanus stanterius. Ruffinus de ecclesia. Jacobus barberius qui dicitur bagnascus. Nicola de bagnasco. Anselmus biglonus, Obertus pelizonus sive ferrarius. Petrus de areis. Antonius baorge. Heredes Oberti beche. Heredes Jacobi de areis. Aycardus baschacius de cravayrolio. Collinus picardus. Omnes predicti modo vivunt in Preocha et habent ibi domos et sunt cives astenses. Infrascripti habent terras et possessiones in Preocha tamen non habent domos in Preocha, qui modo vivunt et sunt cives astenses, Nicola de mora. Rodulfus ambrosius. Gandulfus argenta. Ubertus de areis. Nicola calegarius. Matelda et Johana filie Oberti

baroge quondam. Heredes Anselmi stanterij. Isti sunt Masoarij qui stant in Preocha, et qui non habent ibi domos terras nec possessiones. Primo Jacobus de cellis. Rollandus bascacius. Roffinus de ansaldo. Obertus ambrosius. Guielmus gavacinus, Manfredus benvenutus et fratres.

Isti sunt homines qui dicunt se tenere ab ecclesia Astensi Infrascriptas terras et possessiones, Et eorum juramento se tenere.

Item predicti Officiales, volentes discernere ab una parte que ponere per se et seorsum ab alijs terris et possessionibus, que tenentur ab ecclesia astensi, et illos qui ipsas terras et possessiones tenent, Invenerunt per Inquisitionem predictam quod Infrascripti tenent res Infrascriptas ab ecclesia astensi, In primis Franciscus de fronte de preocha suo sacramento, dixit quod tenet ab ecclesia astensi, peciam unam terre prati et vinee, ubi dicitur ad paletam, cui coherent, Ubertus grassus, Obertinus rotarius et fratres, et laurencij de ast, pro terris que fuerunt domini Alerami de solario quondam et henricus bruxatus, et est circha modios tres. Item aliam peciam terre, ubi dicitur ad malum pertuxum, cui coherent Manuellus capra de sancto Julliano, et via a tribus partibus, et est circha modium I. Item aliam peciam vinee et sediminis de super gerbum de villanova, cui coeherent Guielmus de fonte, Guielmonus ferrarius, et via a duabus partibus, et est circha staria VI. Et dixit suo sacramento predictus Francischus, quod omnes alias res terras et possessiones quas tenet in terra Preoche tenet sub jurisdicione et dominio comunis astensis. Item Petrus chinus quod tenebat ab ecclesia astensi, et a discalcijs, Dixit suo sacramento, quod omnes terras et possessiones quas habet in Preocha, tam terras quas tenebat ab ecclesia, quam alias terras quas tenebat a discalcijs, quod comune astense vendidit eo quod fuit inculpatus se stetisse in Preocha tempore guerre. Item Obertus de sancto de preocha juravit quod quando comune astense recuperavit preocham, quod ipsum comune vendidit terras et possessiones, quas ipse habebat In preocha Thomayno rotario, tam terras et possessiones quas tenebat ab ecclesia astensi, quam illas quas tenebat a comuni astensi, eo quod inculpatus fuit se stetisse In preocha tempore guerre. Item Petrus gualla, qui juravit ostendere et dicere et consignare omnes terras et possessiones quas tenet ab ecclesia astensi dixit quod tenet ab ecclesia astensi infrascriptas Imprimis peciam unam sediminis et terre simul, ubi dicitur in serra meana, cui coherent Anselmus bruyda, Nicola de mora et via, et est circha staria III. Item aliam peciam terre ubi dicitur in costis dadoglo, Cui coherent, Obertinus rotarius a duabus partibus, et via desuper et est modium I. Et dixit quod omnes alias terras et possessiones, quas habet et tenet ultra predictas tenet sub Iurisdicione comunis astensis. Item Ruffinus de monte, qui juravit consignare omnes terras et possessiones, quas tenebat ab ecclesia astensi, vel a Rotarijs, dixit suo sacramento, quod comune astense vendidit omnes terras et possessiones ipsius Ruffini, a quocumque domino tenerentur Thomayno rotario, Eo quod inculpatus fuit se stetisse in Preocha tempore guerre. Item henricus de brayda qui dicitur begla, pro se et uxore sua Matelda filia Oberti navoni quondam qui juravit consignare omnes terras et possessiones, quas ipse vult dicere suo Nomine et dicte uxoris sue, se tenere, ab ecclesia astensi in posse Preoche, dixit suo sacramento, quod terras et possessiones infrascriptas tenet

ab ecclesia Astensi. In primis peciam unam terre ubi dicitur ad castaneam, cui coherent heredes petri navoni, et est circha staria VI. Item aliam peciam terre ubi dicitur in montatis, Cui coherent Obertinus rotarius a duabus partibus et via, et est circha staria III. Item aliam peciam terre In eadem hora, cui coherent Obertinus rotarius, et Jacobus ricius et Rivus et est circha starium unum. Item aliam peciam terre ubi dicitur in pometis, cui coherent Obertus carusia, Obertinus rotarius a duabus partibus et est circha staria II. Item aliam peciam terre in matalasco, cui coherent, Martellus garetus, et heredes bruni navoni, et ecclesia preoche, et est circha staria II. Item aliam peciam terre in eadem hora, Cui coherent ecclesia preoche a duabus partibus et Obertinus rotarius, et est circha starium I. Item aliam peciam terre ubi dicitur ad rocham coherent via et Rivus, et Martellus garetus, et est circha staria tres. Item aliam peciam terre in eadem hora, coherent Obertinus rotarius, et via, et heredes Oberti navoni quondam et via et est circha staria II. Item peciam unam prati ubi dicitur in lapra de preocha, coherent Ogerius alferius, Anselmus navonus, et Galvagninus rotarius, et est circha starium I. Item aliam peciam prati In eadem hora, coherent Ruffinus de troya, et illi de solario, et est circha strarium I. Et dixit ipse Henricus suo sacramento, quod omnes alias terras et possessiones quas habet et tenet ultra illas quas superius consignavit, tenet sub jurisdicione comunis astensis. Item Agnex uxor Guielmi de culmur quondam de preocha, que suo nomine et nomine filiorum suorum juravit consignare omnes terras et possessiones, quas ipsa vult dicere se tenere ab episcopo sive ecclesia astensi, Dixit suo sacramento quod nesciret dicere, nec discernere hec, quia predicte terre et possessiones sunt comunes et comuniter tenentur sub dominio ecclesie et sub dominio comunis astensis, sed nescit quas pro comuni astensi nec quas pro episcopo sive ecclesia astensi. Item predicti officiales volentes perquirere quo modo processit factum Preoche tempore guerre preterite, quam habuit cōmune astense cum domino karulo rege Sicilie, ad hoc ut magis liquide pateant jura et rationes comunis astensis. Et ita perquirentes, de facto predicto Preoche, Invenerunt per Inquisitionem predictam, quod comune astense perdidit Castrum et villam Preoche, in anno domini MCCLXXIIII.° tempore domini Guilelmi de siccherijs potestatis astensis, ultimo die mensis Aprilis, quod Castrum et villam et turrim et posse Preoche, Discalcij, Mataracij et Obaudij, posuerunt in manibus Nuncij domini Regis karuli. Et predicti Discalcij, Mataracij et Obaudij fecerunt fieri fidelitatem omnes homines preoche quos invenire potuerunt in preocha sibimetipsis nomine domini karuli regis Sicilie et suorum descendentium, Et de hoc est unum instrumentum, prout dicitur factum, per Guielmum de mercato de alba notarium, quod instrumentum debet habere Ruffinetus de ecclesia, vel Anselmus de ecclesia. Et dicti Discalcij, Mataracij, et Obaldi, erant cives astenses, et vasalli comunis astensis, et fecerunt guerram comuni astensi, de dicto Castro et hominibus qui secum remanserunt In Preocha, et Clientibus et baruarijs domini karuli predicti, per duos annos et plus, scilicet usque In anno domini MCCLXXVI. Die lune, XIIII° mensis septembris, Et tunc recuperavit comune astense Castrum et villam et posse Preoche in isto modo, Silicet quod est verum, quod comune Albe tenebat munitum Castrum et turrim Preoche, et ibi erat pro castellano, Mussus berrutus de alba pro comune albe unde comune astense dedit comuni Albe, castrum et

villam et posse Montrexini, quod ceperat et tenebat comune astense, pro predicta guerra. Et Insuper dederunt domino Sismondo rape qui tenebat dictum Castrum Preoche in pignore a comuni albe libras DCCC. astenses, de pecunia comunis astensis, et comune Albe reddidit comuni astensi, Castrum et villam et posse preoche pro dicto cambio. Item Invenerunt quod quando comune Astense Recuperavit Castrum et villam et posse Preoche, predicti discalcij, Mataracij et Obaldi, cum tota eorum familia, fugierunt de Preocha et fuerunt banniti Imperpetuum de maleficio. Et omnes terre et possessiones ipsorum fuerunt publicate comuni astensi, Et scripte in quodam cartulario per Officiales tunc ad hoc constitutos, scilicet per Frederichum Ricium, Petrum Thomam et Ogerium alferium Et sicut scripte sunt In dicto cartulario sicut vendite fuerunt Thomayno rotario, ut patet per Instrumentum unum factum per Jacobum Malbechum notarium MCCLXXVII. Indictione quinta die martis XVI.° mensis Marcij. Et sic invenerunt ipsis rationibus, quod preocha et eius jurisdicio pervenit ad comune astense. Et predictam Inquisitionem et declarationem, ac discernicionem et specificationem predictorum hominum comunis astensis, et quos comune astense habebat In preocha, et jurium omnium que ipsum comune habebat in Preocha, et terrarum que tenebantur ab ecclesia, si que teneri dicuntur, fecerunt predicti dominus Ogerius alferius et Thomas de alfiano auctoritate predicte baylie eis concesse, per dictam reformationem consilij factam tempore domini Galterij de mangano olim potestatis astensis, in Anno domini MCCLXXXVII. Die Jovis XXII.° mensis Madij, et per formam alterius capituli, ex forma cuius capituli potestas tenebatur facere et curare, quod possessiones hominum ecclesie discernantur et specificentur, ab alijs hominibus comunis astensis. Et omni modo et forma quibus melius potuerunt, Inquirendo omnia predicta tam per testes quam per Instrumenta, et cartas et alias probationes, quos et que ad predicta facienda cognoverunt utiliores et meliores, tam pro comuni astensi, quam pro aliquibus alijs personis et universitate, Dicentes et protestantes predicti dominus Ogerius et Thomas officiales predicti, In pleno consilio comunis astensis, et in presentia domini Antonei de cerreta potestatis astensis, quod predicta omnia jura comunis astensis, tam in hominibus quam in omnibus alijs prout superius scripta sunt et actata in presenti Instrumento, Et etiam prout scripta sunt et notata In quodam cartulario Inquisitionis predicte, ipsorum domini Ogerij et socij Invenerunt esse comunis astensis, Et ad comune pertinere, et quod ad opus et utilitatem comunis capi debeant, et capta teneri et uti in ipsis hominibus et alijs juribus tamquam re sua. Et sicut melius possunt, et omni modo et forma quo et qua melius possunt, Dicunt et sedendo pronunciant, omnes predictos homines esse homines comunis astensis, prout superius scriptum est, Et sicut invenerunt per Inquisitionem predictam, et omnia alia jura predicta esse comunis astensis et ad comune pertinere de jure, Et quod capi debeant et capta teneri ad opus et utilitatem comunis astensis. Et Inde predicti dominus Ogerius alferius et Thomas de alfiano officiales de supradictis omnibus et singulis michi Guielmo de passatore notario unum Instrumentum ad postulationem dicti domini Ogerij fieri preceperunt, Et similiter preceperunt predicti dominus Ogerius et Thomas de predictis omnibus et singulis fieri unum Instrumentum et plura, ad postulationem omnium et singulorum quorum Interest vel Intererit, et pro comuni astensi, per Thomam bellonum notarium, et

Manfredum de canonica notarium. Actum ast super voltis de sancto in pleno consilio ubi consilia celebrantur tempore domini Antonij de cereta potestatis astensis. Testes ibi fuerunt, dominus Guielmus brunus Judex, dominus Doniotus de solario, dominus Manfredinus de solario, Francischus pelleta, Galterius de salucijs notarius, et Bochonotus nuncius comunis astensis.

Et ego Guielmus de passatore notarius palatinus Interfui et precepto et voluntate ipsorum Thome belloni, et Manfredi de canonica notariorum, quibus preceptum fuit unum Instrumentum ad opus comunis astensis fieri ut in ipso Instrumento continetur, per supradictos officiales dominum Ogerium alferium et Thomam de alfiano, et Abreviatum per ipsum Thomam bellonum notarium et ad maiorem fidem et cautelam meum signum aposui et me subscripsi.

868. *De fidelitate facta comuni astensi per Infrascriptos homines de Preocha.* 1221. 14 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vicesimo primo Indictione Nona, Die dominico quarto decimo Novembris In presentia testium, Otto de serra et Raymondus de Argento et Guielmus barellus et Otto de baorgie, et Guilelmus niger, et Johannes de arcis, et Johanes de carbonerijs, et Anselmus barellus homines domini Anselmi de ecclesia de Preocha et domini Manfredi mataracij, et Bartolomeus eorum nepos fecerunt fidelitatem Guielmo laiolio et Uberto durnaxio ambaxiatoribus comunis astensis ut vassallus domino suo facit. Actum in Castro preoche, Testes Johanes de alba, Oliverius brignonus, Raynerius navonus, Anselmus de porta notarius, cartam scripsit.

CLXVI. De Castro Aynaldo.

869. *De fidelitate facta comuni Astensi, per dominos Castellanos Castri aynaldi Occasione dicti Castri aynaldi.* 1179. 14 Januarij.

Anno domini Millesimo centesimo septuagesimo nono Indictione duodecima, Die dominico XIIII° die Intrantis Januarij. In nomine domini, Ad honorem dei et gloriose virginis Marie, et sancti Secondi Martiris, Et ad honorem et servicium Imperatoris Frederici, et Regis Henrici filij eius et tocius comunis Astensis, domini Castellani Aynaldi, juraverunt adiuvare et salvare astenses homines In tota eorum jurisdicione et alibi ubi poterint, et deffendere et manutenere de tota terra de qua sunt saxiti et Investiti, aut de qua se saxirent ratione, et hoc facient de suis Castris et terris suis, et de personis suis, et virorum suorum, Et si Astenses guerram habuerint, per duos menses In anno duo ex eis Milites muniti in civitate astensi manebunt annuatim, dum guerra durabit suis expensis et missionibus, et hoc totum salvo Imperatore, et Episcopo astensi, sed similiter salvis sacramentis quod sic Inteligatur salvis sacramentis quod de ratione eorum tenentur eos juvare, et Nemo eorum aut virorum eorum capiet cambium nisi a principali debitore aut fideiussore, et hoc sacramentum juraverunt observare perpetuo per se et per eorum successores. Hoc jusiurandum fecerunt Guido de castello aynaldo, Guielmus de castelleto, Raymondus frater eius, Nicolaus montisfortini, Thebaldus barexanus, Jacobus frater eius, Enricus castelli aynaldi, Et si

aliquod melioramentum consensu utriusque partis facerent, utraque pars teneatur. Et hoc factum est in contione.

Ego Guido notarius Interfui et scripsij.

870. *De quodam precepto facto per Potestatem Astensem nomine comunis Astensis domino henrico de Castro Aynaldo et Jacobo barexano vasallo comunis predicti, occaxione eorum fidelitatis quam fecerunt comuni Astensi.* 1206. 10 Februarij.

Anno domini, Millesimo ducentesimo sexto Indictione nona, Die veneris decimo Intrantis februarij, dominus Lantelmus de landriano potestas astensis, precepit domino henrico de Castro aynaldo, et Jacobo barexano vasallis comunis sub fidelitate quam comuni astensi fecerunt, ut ipsi cum havere et cum personis, et cum terra, et cum omnibus eorum hominibus, et cum omnibus eorum forcijs adiuvent homines de aste et pro eis guerram faciant, ut eorum Castella et fortias ei nomine comunis de aste reddant et eum ibi ponant. Actum in ecclesia Apostolorum. Testes, dominus Sistus, et Boninus de sancto Sisto.

Ego Jacobus boviculus notarius palatinus, Interfui et scripsi.

871. *De fidelitate facta comuni Astensi, per Ubertum de Casteleto suo nomine et Nepotum suorum, occasione feudi quod tenent In Castro aynaldo a dicto comuni Astensi.* 1210. 9 Decembris.

Anno domini, Millesimo ducentesimo decimo Indictione quintadecima Die dominico nono Intrantis decembris, dominus Otto de careto potestas astensis nomine et vice comunis de aste Investivit Ubertum de casteleto suo nomine et nomine nepotum suorum filiorum quondam Petri Raymundi, et Ubertum de monte fortino, Bonefacium, Anselmum, Nicolaum et Guielmum fratres eius, In rectum et generale feudum, et nomine recti feudi, In filios et In filias, Nominatim de illa parte Castri et ville et posse de Castro aynaldo, quam ipsi vendiderant domino Ugoni potestati astensi, nomine et vice comunis de aste In alodium, qua Investitura facta fecerunt ei fidelitatem talem qualem vassallus facit domino suo. Actum Aste, In solario Jacobi curialis, Interfuerunt testes Jacobus vicedominus, Nicolaus gardinus, Albertus crivellus, Jacobus de sibona, Turturinus notarius, et alij plures.

Et Mussus boviculus notarius scripsit.

872. *De vendicione facta comuni Astensi, per Ubertum de Casteleto et Guielmum de montaldo nomine Nepotum ipsius Oberti de tercia parte Castri aynaldi.* 1212. 30 Novembris.

In nomine domini nostri Yhesu christi, Amen. Anno eius Millesimo ducentesimo duodecimo Indictione quintadecima, Die veneris pridie kalendas decembris, Cartam vendicionis jure alodij fecerunt Ubertus de Casteleto et Guielmus de monte alto nomine nepotum ipsius Uberti, quorum unus vocatur Bayamondus, et alter Jacobus, et quorum Guielmus se tutorem esse profitebatur, et Obertus de montefortino, Bonefacius et Anselmus eius fratres eorum nomine, et nomine Nicolay, et Guielmi fratrum suorum, In manibus domini Ugonis de careto potestatis astensis, vice et nomine comunis astensis recipientis, Nominatim de tercia parte tocius Castri et ville et posse

Castri aynaldi minus quarta illius tercie partis, In qua tercia parte minus quarta, predictus Ubertus dicit se habere terciam partem, Et dominus Guielmus de Montaldo, asserit predictos nepotes suos habere aliam terciam partem. Item de toto eo, quod ipsi vel alius vel alij pro eis habebant tenebant et possidebant juste vel iniuste In predicto loco, scilicet In castro et in villa et posse, Et de omni eo quod ibi acquirere poterint in aliquo tempore aliquo modo, cum omni honore comitatu et districtu quos habebant vel hactenus habere visi sunt in predicto loco et in pertinenti, videlicet in Militibus, et ceteris hominibus feudatis et Infeudatis, In ecclesijs et Capellis, In Vicis et vijs, In furnis et molendinis, In drictis et fictis, In terris cultis et Incultis, In zerbis, pratis et vineis et nemoribus, In rupibus et Ruynis, In aquatu et Ripatu et in pasquatu, In puteis in fontibus In venationibus et piscationibus, Et in omnibus alijs rebus, cum omni honore comitatu et districtu et posse, quos habent vel hactenus habere visi sunt ipsi vel alius vel alij pro eis, seu decetero sunt habituri aliquo modo in Castro et villa et posse Castri aynaldi, Nichil in sese retinentes, Eo modo ut prefatus dominus Ugo potestas astensis, et eius successores in regimine civitatis astensis existentes, Nomine et vice comunis astensis, omnia supradicta jure proprietario In alodium, habeant teneant firmiterque possideant, Et ex eis pacem et guerram et quicquid voluerint faciant absque omni contradictione predictorum omnium, et omnium aliarum pro eis personarum, Et Insuper predicti Ubertus et Guielmus de montaldo, nomine predictorum nepotum suorum, et Obertus de Montefortino, Bonefacius et Anselmus fratres eius eorum nomine et nomine fratrum suorum supradictorum, promiserunt prelibato domino Ugoni potestati astensi, nomine et vice comunis astensis stipulanti, Sibi suisque in regimine civitatis astensis successoribus, nomine et vice tocius comunis astensis predictam vendicionem qualiter supra legitur insolidum, vel sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione precij in consimili loco, ab omni homine deffendere sub pena dupli. Preterea sepedicti. Ubertus et Guielmus de montaldo nomine nepotum suorum predictorum, et Obertus de montefortino, et Bonefacius et Anselmus eorum nomine et nomine predictorum fratrum suorum exceptioni pecunie non numerate, et illi juri quo dicitur quod non sunt decepti ultra dimidiam justi precij Renunciantes, Confessi fuerunt sese recepisse a dicto domino Ugone potestate astensi nomine et vice comunis astensis pro precio predicte vendicionis libras c. denariorum astensium, de quibus quietos et pagatos sese tenuerunt. Ad hoc predicti omnes constituerunt sese possessores predicte vendicionis nomine comunis astensis, quousque tradiderint potestati vel suo nuncio nomine comunis astensis corporalem possessionem, Promiserunt etiam domino Ugoni potestati astensi nomine comunis astensis stipulanti abrenunciare fidelitatibus eorum hominum, quos habent in predicto loco, et eas fieri facere comuni de aste, et salva fidelitate comunis de aste, eas postea ab eis recipere si voluerint, et facere abrenunciare et jurare eas personas, que in predicta vendicione aliquod jus exigere possent aliquo modo. Item prenominati Obertus, Bonefacius et Anselmus promiserunt facere promittere predictos fratres suos predictam vendicionem firmam tenere nec Removere, nec contravenire in aliquo tempore ullo modo, Jamdictus vero Guielmus de montaldo promisit dicto domino Ugoni potestati astensi nomine comunis astensis stipulanti, quod nepotes eius supradicti coram domino astensi Episcopo, eandem vendicionem comuni astensi, quam

ipse eorum nomine fecit, Ita quod dominus Episcopus de aste, illi vendicioni suam interponet auctoritatem, et ipse Guielmus similiter suam Interponet auctoritatem. Actum Aste in solario Jacobi curialis, Interfuerunt testes dominus Bonefacius de gorrino judex potestatis astensis, dominus Nicolaus de bublio miles eius, Jacobus rohat, Rodulfus de camayrano, Petrus laurentius, Jacobus de platea, Jacobus vicedominus, Jacobus de sibona, Albertus crivellus. Sequenti die martis quarto Intrantis decembris, In castro aynaldo, dominus Guielmus de montaldo nomine predictorum nepotum suorum, Et ubertus de Castelleto, et Obertus de montefortino, et Bonefacius eius frater, pro sese et fratribus suis tradiderunt et dederunt Jacobo de sibona clavario comunis de ast nomine comunis astensis corporalem possessionem Castri aynaldi, et eum possuerunt in eam nomine Castri et ville et tocius posse et vexillium comunis astensis super eorum turrim poni fecerunt, Testes Jacobus barixanus, Aycardus de castro aynaldo, Rodulfus de castro aynaldo, Otto barexanus dictus barexanus, Ardicio de montefortino, Guielmus silvaticus, Jacobus boniculus.

873. *De Renunciatione facta per dominam Imilliam uxorem quondam Petri raymondi, et dominam Bertam uxorem Uberti de Castelleto In dicta venditione superius facta per viros suos.* 1212. 30 Novembris.

Eodem die, in ecclesia sancti dalmacij de Castro aynaldo, domina ymilia uxor quondam Petri raymondi, et domina Berta uxor Uberti de castelleto, ypothecario juri senatui consulto veleyano, et omni alij legum auxilio, quod in dicta vendicione haberent vel exigere possent, per sese vel per aliam personam, In aliquo tempore abrenunciantes, promiserunt, et domina Berta juravit, predictam venditionem et refutationem firmam tenere, nec per se nec per aliam personam in aliquo tempore molestare nec removere, nec contravenire ullo modo. Testes Guielmus silvaticus, Jacobus boviculus, et Stephanus de monte.

874. *De approbatione facta de dicta vendicione, per Nicolaum fratrem predictorum Oberti Bonefaci et Anselmi.* 1212. 30 Novembris.

Eodem die et loco, Nicolaus frater predictorum Oberti de montefortino et Bonefacij et Anselmi, juravit supra dei evangelia, predictam vendicionem firmam tenere, nec per se nec per aliam personam In aliquo tempore molestare nec Removere nec contravenire ullo modo. Testes Guielmus silvaticus, Jacobus boviculus et Jacobus de carxiglinis.

875. *De abrenunciatione facta per predictos venditores de eorum hominibus quos habebant In Castro aynaldo.* 1212. 30 Novembris.

Eodem die et loco, predicti omnes, abrenunciaverunt fidelitatibus suorum hominum, quos habent In Castro aynaldo, Et eas fieri preceperunt comuni de aste. Isti sunt de Castro aynaldo qui fecerunt fidelitatem comuni de aste, pro omnibus supradictis, Stephanus de monte, Jordanus cotus, Rodulfus rubeus, Rodulfus stephanus, Oddonus bergognus, Guielmus bergognus, Thebaldus, de runnere, Goselinus de runere, Thebaldus de monte, Joannes Rubeus, Obertus picerinus, Aynaldus, Otto contus, Otto

asinarius, Guilelmus contus, Amedeus buzius, Manfredus, Obertus contus, Jacobus de carciglinis, Albertus de serra, Vivianus de Rumore, Guielmus de serra.

Et Mussus boviculus de predictis omnibus cartam fecit.

876. *De vendicione facta comuni Astensi, per dominum Guielmum de Montaldo tutorio nomine heredum Petri Raymondi de Casteleto de IIII^a parte III^s partis Castri aynaldi.* 1213. 9 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo terciodecimo Indictione prima, Die sabati, nono Intrantis februarij, veniens dominus Guielmus de montaldo tutor Baiamondi et Jacobi filiorum quondam Petri raymondi de Castelleto ut ipse dominus Guielmus confitebatur et dicebat ante presentiam domini Guidoti astensis episcopi, et tutorio nomine et vice et nomine ipsorum Raymondi et Jacobi, ab eo postulavit ut daret ei absoltum et licentiam, ad vendendam quartam partem tercie partis tocius Castri aynaldi et ville et posse, pro indiviso, Asserendo et dicendo necessitatem ipsis minoribus imminere scilicet ut sororem eorum maritare possent, et Asserendo et dicendo, quod ipsi minores non habebant mobile unde predictam possent expellere necessitatem, et comodius vendebatur quam aliquid aliud quod ipsi Minores haberent et dabatur plus offerenti, unde predictus dominus Guidotus episcopus, dicto Guielmo, predicto nomine absolutum et licenciam dedit ut predictam facerent vendicionem, Quapropter predictus dominus Guielmus de montaldo tutorio nomine et vice et nomine dictorum baiamondi et Jacobi, fecit cartam vendicionis jure alodij, In manibus Mussi boviculi Sindici comunis Astensis ad hoc constituti, ut continebatur In carta inde facta vice et nomine comunis astensis recipientis, Nominative de quarta parte tercie partis pro indiviso tocius Castri et ville et posse Castri aynaldi, Et de omni eo quod ipsi Baiamondus et Jacobus fratres vel alius aut alij pro eis habebant tenebant et possidebant, juste vel iniuste In predicto loco in Castro et in Villa et in posse, et de omni eo quod ipsi acquirere poterint aliquo modo ullo tempore Cum omni honore districtu et comitatu quos habent vel hactenus visi sunt habere in predicto loco et in pertinenti, videlicet In Militibus, et ceteris hominibus feudatis et Infeudatis, In vicis et vijs, In furnis et molendinis, In drictis et fictis, In terris cultis et Incultis, In gerbis et pratis, In vineis et nemoribus, In rupibus et Ruinis, In aquatu et ripatu, In pasquis, in puteis et fontibus, In venationibus et piscationibus, et In omnibus alijs rebus, cum omni honore et comitatu et districtu et posse, quos habent vel hactenus habere visi sunt ipsi, vel alij pro eis seu decetero sunt habituri aliquo modo in castro et villa et posse Castri aynaldi, nichil in se retinentes. Eo modo facta est predicta vendicio, ut dictus Mussus Sindicus, vice et nomine comunis astensis, et comune de aste, predicta omnia jure proprietario In alodium habeant teneant, quieteque possideant, Et ex eis guerram et pacem et quicquid voluerint faciant, absque contradictione predictorum bayamondi et Jacobi et eorum heredum, et omnium aliarum pro eis personarum. Insuper predictus Guielmus de montaldo tutorio nomine, et vice et nomine dictorum Baiamondi et Jacobi pro illis et heredibus eorum, promissit pretaxato Musso Sindico vice et nomine comunis astensis stipulanti predictam vendictionem qualiter supra legitur insolidum vel sicut pro tempore fuerit meliorata vel valuerit sub exstimatione precij in consimili loco ab omni persona deffendere pena dupli. Preterea dictus Guielmus tutor

nomine tutorio, et vice et nomine dictorum minorum exceptioni non numerate pecunie renuncians, et illi juri quo dicitur, quod ipsi minores non sint decepti ultra dimidiam justi precij, confessus fuit se predicto nomine recepisse a dicto Musso Sindico vice et nomine comunis astensis, pro precio jam dicte vendicionis, libras triginta tres et solidos septem minus denarios quatuor, de quibus predicto nomine se tenuit quietum et solutum. Adhoc predictus Guielmus jamdicto nomine, et vice et nomine dictorum minorum, Constituit se possessorem nomine comunis astensis. Insuper Nominatus Guielmus tutor tutorio nomine predictorum, predicte vendicioni In omnibus predictis ut firma et illesa et Inviolata imperpetuum permaneat et ab ipsis minoribus non possit removeri suam Interposuit auctoritatem. Preterea prefatus dominus Guidotus episcopus omnibus predictis suam Interposuit auctoritatem ut firma permaneant. Actum in Castro de barennis, In porticu caminate domini Episcopi. Interfuerunt testes, Magister bonus Johanes scribanus domini Episcopi, dominus Gonfredus de novello, dominus Otto spata, Jacobus pictavinus, lambertus scutifer predicti episcopi, Johanes clericus de rocha forti, Zabaldonus, et plures alij.

Ego Gandulfus Donadeus notarius scripsi.

877. *De possessione data In alodium comuni Astensi, per Ottonem barexanum, de toto eo quod habebat In Castro Aynaldo.* 1216. 13 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto decimo, Indictione quarta, Die sabati tercio decimo Intrantis Augusti presentia subscriptorum testium, Otto barexanus de Castro aynaldo, pro se et nomine fratris sui Guielmi vendidit et tradidit In manu domini Ruffini de olevano potestatis astensis In alodium nomine comunis recipientis totum illud quod habent tenent et possident, vel visi sunt tenere et possidere In castro aynaldo, et In villa et In posse Illius castri, et quicquid ibi poterunt adquirere ullo tempore. In qua vendicione confessus fuit habere cum fratre suo predicto sextam partem domenioni turris palacij honoris posse, districtus comitatus et jurisdictionis predicti Castri et ville, que omnia supradicta vendidit et tradidit per se et nomine predicto eidem potestati nomine comunis, cum omni honore districtu contili, quos habent vel hactenus habere visi sunt ipsi vel alij pro eis in predicto loco et pertinenti, In militibus et ceteris hominibus feudatis vel Infeudatis, In vicis et In vijs, In drictis et fictis et in furnis, In terris cultis et Incultis, In zerbis pratis, vineis et nemoribus, In rupibus et ruinis, In aquaticu et pasquaticu, In puteis et In fontibus, In venationibus, et In omnibus alijs rebus, cum omni honore et comitatu et districtu et posse, quos habent vel hactenus habere visi sunt ipsi vel alij pro eis, seu decetero habituri sunt aliquo modo In Castro et villa Castri aynaldi et in eius posse nichil In se retinentes, Eo modo ut ipse dominus Ruffinus potestas astensis, nomine et vice comunis astensis, et eius successores in regimine existentes, omnia supradicta jure proprietario In alodium habeant teneant firmiterque possideant, et ex eis pacem et guerram exercitus et itinera, et quicquid voluerint faciant sine omni contradictione eorum omnium et eorum heredum et omnium aliarum personarum pro eis. Item predictus otto, pro se et nomine fratris sui Guielmi et pro heredibus suis promisit eidem potestati vice et nomine comunis astensis stipulanti, sibi suisque successoribus in regimine civitatis astensis existentibus, predictam vendictionem qualiter

supra legitur insolidum, vel sicut pro tempore fuerit meliorata vel valuerit sub extimatione precij in consimili loco, ab omni homine defendere sub pena dupli. Preterea dictus Otto pro se et nomine predicto, exceptioni pecunie non numerate renunciando, et eo juri quo dicitur quod non sunt decepti ultra dimidiam iusti precij, confessus fuit, se recepisse a dicto potestate, nomine et vice comunis astensis, pro precio dicte venditionis libras viginti astenses, de quibus pagatum et quietum se tenuit. Item ibidem, predictus dominus Ruffinus potestas nomine et vice comunis astensis Investivit predictum Ottonem barexanum pro se et nomine fratris sui Guielmi de eorum recto feudo, In filios et In filias, In rectum et gentile feudum et nomine recti feudi, Nominatim de predicta sexta parte Castri et ville et posse districtus honoris et jurisdicionis de castro aynaldo, quam dictus Otto, pro se et nomine fratris sui Guielmi vendidit eidem potestati nomine comunis In alodium. Qua Investitura facta, predictus Otto pro se et nomine fratris sui, fecit fidelitatem eidem potestati nomine comunis de aste talem qualem vasalus facit domino suo. Actum Aste in domo comunis, Interfuerunt testes, Aycardus paraccus, Ardizonus paraccus, Bonanatus pelleta, Rollandus laiolius, in publica credentia de aste.

878. *De vendicione facta comuni Astensi, per Guielmum barexanum, de sua parte Castri et ville Castri Aynaldi.* 1216. 22 Augusti.

Item eodem anno, Die lune, undecimo kalendas Septembris In prato Ottonis de pascario de subtus Castrum aynaldum, presentibus magistro Petro beccario, Jacobo roba, Aliono scarampo, Aycardo et Ardicione paracco, Oberto de monte fortino, Litto barexano, et pluribus alijs Supranominatus Guielmus frater Ottonis barexani vendidit et tradidit, eidem domino Ruffino de Olivano potestati, nomine comunis astensis, predictam suam partem Castri et ville et posse et districtus honoris et jurisdicionis de Castro aynaldo, In omnibus et per omnia sicut Otto frater eius vendiderat suo nomine ut superius continetur. Item ibidem predictus dominus Ruffinus potestas nomine comunis Investivit ipsum Guielmum de predicta vendicione, eodem modo quo superius Investiverat fratrem suum Ottonem. Qua Investitura facta, dictus Guielmus fecit fidelitatem eidem potestati, nomine comunis astensis, talem qualem vasallus facit domino suo.

879. *De possessione data comuni Astensi per Ottonem barexanum et Guielmum fratrem eius, de predicta vendicione.* 1216. 22 Augusti.

Item eodem die lune, In Castro aynaldo, presentibus magistro Petro beccario, Jacobo roba, Aliono scarampo, Aycardo et Ardicione paracco et alijs proximis suprascriptis testibus, Otto barexanus, et Guielmus frater eius predicti posuerunt supradictum dominum Ruffinum potestatem astensem nomine comunis astensis In possessionem predicte vendicionis et Ruffino de Casellis servitori potestatis nomine comunis astensis baneriam comunis poni jusserunt et fecerunt supra eorum partem turris prenominati Castri nomine tocius venditionis.

Et Ruffinus aranchaboscus notarius scripsit predicta omnia.

880. *De vendicione facta comuni Astensi, per Aycardum et henricum fratres de XII^a parte Castri Aynaldi.* 1224. 13 Junij.

Anno domini, Millesimo ducentesimo vigesimoquarto Indictione duodecima, Die Jovis terciodecimo Intrantis Junij, vendiderunt in alodium et vendicionem fecerunt pro alodio, Aycardus et henricus filij quondam domini Guidonis de Castro aynaldo, domino pagano de petrasancta potestati astensi, vice et nomine comunis astensis recipienti, duodecimam partem tocius Castri et ville Castri aynaldi et maxime quartam partem domenioni et turris quam ibi tenent, et plus si plus ibi habent, nichil in se retinentes, cum omni honore, posse contili districtu et jurisdicione, cum hominibus feudatis et Infeudatis et cum omni Jure eis pertinenti, In terris cultis et Incultis Aquaticis et pasquaticis, In rupibus et ruinis, In nemoribus et silvis, In molendinis ecclesijs capellis et furnis, Piscationibus et Venationibus sicut ipsi tenent et possident, ipsi vel alius pro eis seu quasi possident juste vel jniuste, Nichil in se retinentes, pro precio librarum octuaginta astensium, quas fuerunt confessi a dicto potestate recepisse et habuisse, Renunciando exceptioni pecunie non numerate et precij non recepti, et inde constituerunt sese possessores nomine comunis astensis, donec comune astense corporalem habuerit possessionem, quam autem vendicionem, dicti Aycardus et henricus pro sese et per suos heredes imperpetuum promiserunt, dicto domino Pagano de petra sancta nomine comunis astensis, ab omni persona deffendere quod si facere noluerint, aut non potuerint, aud per quodvis Ingenium subtrahere quesierint, tunc In duplum eandem vendicionem cum stipulatione subnixa deffendere promiserunt, Renunciantes omni juri quo se tueri possent, et specialiter ne possint dicere fore deceptos ultra dimidiam justi precij, promittendo dicto potestati nomine comunis eiusdem quod de illo jure contra dictum comune se se non adiuvabunt. Actum Agris de canalibus sub tentorio comunis. Interfuerunt testes Jordanus marcellinus, Guielmus cacayranus, berardus de stoyerda, Rollandus laiolius, Guielmus cerutus, Thomas de curia et alij quamplures.

881. *De possessione data comuni Astensi, per suprascriptum henricum de suprascripta vendicione.* 1224. 13 Junij.

Item eodem Anno Indictione et die in predicto Castro presentibus testibus, Oberto labruto, Guidone zocholario, Johane de nusatore, Petro et Ardicino fratribus Bartolomeo vicedomino, supradictus henricus suo nomine et Aycardi fratris sui, per vexilium comunis astensis, In corporalem possessionem suprascripte vendicionis posuit dominum Jordanum marcellinum militem potestatis astensis nomine comunis astensis recipientem, et corporalem tradidit ei possessionem. Item coram dictis testibus domina Sibilia uxor Aycardi et domina Sibilia uxor henrici supradicti, dictam vendicionem qualiter supra legitur In perpetuum firmam tenere promiserunt et nullo tempore per se nec per suppositam personam contravenire, renunciando juri ypotecario senatui consulto velleiano, et omni alij legum beneficio, quod haberent vel exigere possent in predicta vendicione pro earum dotibus vel alio modo. Homines illorum dominorum qui juraverunt sunt isti, Petrus de Uliveto, Henricus de Valle cirana, Guielmus cicer, Thebaldus rubeus fidelitatem communi astensi.

882. *De fidelitate facta communi Astensi per Aycardum et henricum fratres de Castro Aynaldo de feudo quod tenent a communi Astensi In Castro aynaldo.* 1224. 27 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima, Die iovis quinto kalendas jullij, dominus Paganus de petra sancta, potestas astensis vice et nomine communis astensis voluntate credendariorum suorum per campanam congregatorum, et ore ad os interrogatorum et scriptorum, dedit et investivit pro recto et gentili feudo in rectum feudum et gentile, Aycardum et henricum de Castro aynaldo fratres in masculos et feminas, de duodecima parte Castri et ville Castri aynaldi quam sibi nomine comunis vendiderant cum omni Contili et Jurisdicione. Tali modo ut predicti Aycardus et henricus fratres habeant teneant et possideant dictam duodecimam partem cum omni honore et iurisdictione pro gentili et recto feudo, ipsi et eorum heredes masculi et femine sine contradictione predicti potestatis, et suorum successorum, confitendo se tenere et possidere dictam duodecimam partem nomine eorum donec eis tradet corporalem possessionem. Et proinde predictus Aycardus et predictus henricus fecerunt fidelitatem comuni Astensi talem qualem Vasalus facit domino suo, Et inde duo instrumenta uno tenore fieri preceperunt et hoc specialiter pro communi astensi. Actum Aste in ecclesia sancti Johanis de domate coram credentia. Interfuerunt testes dominus Jordanus marcellinus, Surleonus marronus, Nicolaus prevedengus clavarij communis.

Et Philippus durcus notarius scripsit.

883. *De promissione citaniatici et fidelitatis facta communi Astensi per dominum Jacobum barexanum et filium et Nepotes eius et dominum Aycardum et henricum fratres Occaxione Castri Aynaldi.* 1224. 13 Julij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quarto Indictione duodecima, Die sabati terciodecimo intrante Jullio presentia infrascriptorum testium, dominus Jacobus barexanus et filius eius, et Nepotes eius littus et Otto et Guielmus barexani, et dominus henricus et Aycardus eius frater promiserunt domino pagano de petra sancta potestati astensi nomine et vice communis Astensis recipienti esse cives Astenses per sese et heredes suos, et suos descendentes faciendo duo ex ipsis stallum et habitaculum civitatis astensis in Aste, cum tota familia sua tamquam alij cives astenses, et hoc in perpetuum, Tali modo et forma quod nec predicti omnes nec sui descendentes, nec eorum heredes possint nec debeant repudiare citaniaticum vel habitaculum civitatis de Aste predicta forma. Et quod duo ex predictis venient ad habitandum in Aste predicta forma usque ad sanctum Martinum vel ante si placuerit potestati et sapientibus de Aste. Item promiserunt predicto potestati nomine communis de Aste, predicti omnes usque ad predictum terminum emere domum in Aste, tali modo quod ipsam domum non possint vendere nec aliquo modo alienare vel pignori obligare, nisi prius emissent aliam domum in Aste equivalentem, et que eodem modo teneatur comuni in fodro et alijs. Preterea omnes predicti promiserunt dicto potestati nomine comunis dare fodrum de libris ducentis computata domo in illis libris cc sicuti alij cives Astenses facient. Et si quid aliud

acquirerent in Aste vel in posse astensi promiserunt dare fodrum de illo secundum quod alij Cives dabunt, et hoc tociens quociens Civitas ad fodrum pervenerit. Insuper dederunt de tota eorum terra et hominibus eorum et specialiter de tercia parte minus decima de Castro aynaldo, scilicet Castri et ville et hominum, et de pluri si plus ibi habent, salvo iure comunis astensis In eo quod tenetur ab eo in feudum, et de medietate Castelleti, Castri et ville et hominum, et de pluri si plus ibi habent, Et de medietate Tuerdi minus octava et de duodecima parte Castri et ville et hominum, et de pluri si plus ibi habent, Et de octava parte Canallium minus trigesima secunda parte Castri et ville et hominum, et de pluri si plus ibi habent, et de toto eo quod habent in Musantia et Serralonga et comitatu et duducino salvo iure communis in eo quod tenetur ab eo in feudum, Et de tota alia eorum terra, et de omnibus alijs eorum hominibus ubicumque eam vel eos habent vel videntur habere, pacem et guerram exercitus et cavalcatas itinera et succursus et reductum communi Astensi et hominibus de Aste contra omnes homines, quandocumque homines et commune de Aste voluerint et quocienscumque et cuicumque voluerint, et hoc salvis eorum dominijs in eorum feudis, Tali modo quod eorum domini non possint precipere eis quin predicta attendant comuni de Aste, et quin comune de Aste predicta habeat in predictis Castris et villis et hominibus, Et promiserunt facere iurare omnes suos homines, dare fortiam et virtutem, consilium et auxilium quod predicti domini omnia predicta debeant attendere et observare et nullo tempore contravenire, et promiserunt et iuraverunt ipsi homines quod pro se predicta omnia et infrascripta attendent et complebunt et observabunt, nec contravenient in aliquo. Item promiserunt tenere miliciam unam secundum modum et formam aliorum civium Astensium in Aste habitantium habendo equam et emendam sicuti alij cives in Aste habitantes. De omnibus contractibus et maleficijs, que vel quos decetero facient, promiserunt facere rationem coram potestate vel Judice Astensi, Sed de contractibus hactenus seu retro celebratis cum hominibus habitantibus in Aste et posse astensi et non cum alijs personis, teneantur facere rationem, coram potestate vel iudice astensi, Tali modo quod potestas vel Judex non possit nec debeat eos cogere solvere debita vel inde facere rationem ultra sortem, que usque ad hunc diem dari deberet vel fecit vel pro alio tenutus fuit vel est dominus Jacobus barexanus, vel que fecerunt, vel pro alijs tenuti fuerunt, dominus Guido pater domini Aycardi et domini henrici, et dominus Nicolaus barexanus pater domini litti et dominus Thebaldus barexanus pater domini Ottonis et domini Guielmi. De maleficijs vero ab eis vel ab alia persona pro eis vel ab eorum antecessoribus comissis, potestas nec comune non possit nec debeat cogere eos emendam facere nec rationem, Verum si de aliqua terra que sit feudum et quam modo habeant appelarentur ab aliqua persona, non possint nec debeant parere iuri in astensi civitate, Sed tantummodo coram dominis suis. Item promiserunt predicti domini facere rationem ipsi et non alius de suis hominibus, hominibus de Aste et eius posse, ad illum terminum ad quem fit ratio in civitate de Aste per Judicem civitatis Astensis et pro illa iudicatura que prestabitur in civitate astensi. Item ordinatum est quod comune astense non teneatur predictis dominis supradictam formam de eo quod acquirerent a modo. Item promiserunt omnes predicti predicto potestati nomine comunis, quod ipsi non facient aliquam coniurationem vel

conspirationem nec citaniaticum cum aliqua universitate vel singulari persona sine parabula et voluntate comunis astensis. Ibidem dominus Paganus de Petra sancta potestas Astensis, nomine comunis Astensis, voluntate et consensu maioris partis suorum credendariorum per campanam congregatorum et scriptorum, promisit predictis dominis, quod comune de Aste nullam aliam exactionem faciet, preter predictam ab ipsis dominis vel ab eorum heredibus, Et promisit eos salvare et deffendere et custodire tamquam alios cives de Aste habitantes in Aste et dare eis fortiam et virtutem consilium auxilium et adiutorium, ad hoc ut suos homines et suam terram teneant cum omni honore et poderio prout modo tenent, salvis omnibus alijs condicionibus concessis a predictis dominis in eorum terra et eorum hominibus prout supradictum est comuni astensi. Tali forma, quod comune de aste non debet recipere nec possit aliquem hominem de eorum terra ad habitandum nec pro habitatore nec pro cive in aliquo, vel pro stando supra eorum terra. Eo salvo quod si aliquis de eorum hominibus vellet venire ad habitandum in Aste vel in eius posse, Comune possit eum recipere, tali modo quod ille relinquat predictam terram dominis supradictis, et totum mobile quod esset ei saxitum. Item si aliquis homo vel terra vel locus extra posse de Aste offenderet eos, et comune non posset eis facere fieri emendam vel rationem tunc possint vendicare de eorum terra sine licentia potestatis et sine comotione et pena. Hec omnia supradicta promisit dictus dominus Paganus potestas Astensis, nomine comunis attendere et observare in perpetuum, et quod ponet vel poni faciet speciale capitulum In brevi potestas, quo potestas vel Consules post se intrantes teneantur omnia predicta observare et attendere et in brevi sequiminis suorum Credendariorum, tale capitulum quod homines de Aste teneantur dare forciam et virtutem quod omnia predicta attendent ut supradictum est. Et sic de anno in annum, nec cassari possit capitulum illud, nec poni aliquod aliud quod predicta infirmet, et si positum esset nullius sit valoris. Hec omnia supradicta jamdicti domini de Castro Aynaldo, promiserunt et iuraverunt supra dei evangelia omnia predicta sicut leguntur supra attendere et observare et complere nec in aliquo contravenire, et pro hijs omnibus attendendis complendis et observandis omnia eorum bona nomine comunis dicto potestati pignori obligaverunt In quibus comune haberet regressum, et possit ingredi sua auctoritate ad suam voluntatem sine omni contradictione et suorum heredum, si predicta non attenderent in totum. Huius autem tenoris suprascripta capitula sunt iussa fieri instrumenta, quorum unum scilicet istud est comunis astensis. Actum Aste in ecclesia sancti Johannis, In publica credentia de campana, Testes interfuerunt Nicolaus prevedenghus et sorleonus marronus et dominus Guido de ferrarijs canonicus ecclesie sancti Aniani, Rollandus de Martino, Manfredus de pontia et Blanchetus nuncij comunis.

Et Guielmus trossellus notarius scripsit.

884. *De fidelitate facta comuni Astensi per Jordanum de Montefortino et Guidonem et Ardicionem fratres eius Occaxione Castri Aynaldi.* 1226. 8 Novembris.

(Omisimus quia iam est ad Num. 612).

885. *De quadam promissione facta comuni Astensi per Jordanum de monte fortino et Guidonem et Ardicionem eius fratres prout inferius continetur.* 1226. 9 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo sexto Indictione quartadecima. Die lune nono intrantis Novembris coram testibus infrascriptis, Jordanus de monte fortino et Guido et Ardicio fratres, eorum nomine et nomine Raynerij promiserunt quisque insolidum domino Guielmo amato potestati astensi nomine et vice comunis astensis si contingerit quod ipsi habere poterint expeditam partem quam habent In terra et Castello et villa et hominibus de Castello aynaldo a domino Alberto de gorzano, de illa parte facere cartam vendicionis comuni Astensi, sicut unus judex dixerit pro precio illarum librarum decem astensium quas confessi fuerunt recepisse a dicto Guielmo nomine dicti comunis, Renunciando exceptioni non numerate pecunie. Tali modo quod potestas astensis, teneatur predicta eis reddere in feudum gentile et ea teneant In feudum a comuni astensi. Actum Aste in domo comunis. Interfuerunt testes, Robaldus turtur, Guielmus cacayranus et Guielmus barexanus.

Et Ego Manfredus carena notarius palatinus interfui et sic scripsi.

886. *De quodam sasimento facto per dominum Guielmum de Revello domino Petro turco, de toto feudo quod ab eis tenebat In castro Aynaldo.* 1217. 10 Octobris.

In presentia subscriptorum testium, dominus Guielmus de revello suo nomine et fratrum suorum Ottonis et Manfredi, sasivit domino Petro turco totum feudum quod ab eis tenebat, Tali modo quod a predicto feudo debeat privari nisi prius pervenerit ad faciendam fidelitatem domino Astensi potestati, nomine comunis de Ast.

Item eodem modo sasivit totum feudum, quod Jacobus de desaya domini de Castro aynaldo ab eis tenebant, tam diu quod pervenerint ad faciendam dictam fidelitatem ut supra dictum est. Actum hoc in castro de Neveis sub pontile predicti Petri, Anno domini MCCXVII. Indictione quinta, quod fuit sexto ydus octubris, Interfuerunt ibi testes ad hec rogati et convocati Ubertus yratus, et Girardus de bargijs.

Et ego Robaldus sacri palaci notarius Interfui rogatus sic scripsi.

887. *De restitutione citaniatici facta per comune Astense dominis de Castro Aynaldo.* 1276. 5 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo sexto Indictione quarta Die veneris quinto Junij. Cum domini de Castro aynaldo per sese et eorum descendentes essent cives astenses et certas condiciones facere tenerentur comuni astensi, Ut patet per instrumentum factum per Petrum silvanum notarium Anno domini MCCLVIIII. Indictione secunda, Die lune tercio mensis Novembris, et autenticatum per Guielmum de Magistro notarium anno domini MCCLXVIIII. Indictione duodecima, Die iovis XVIII mensis Aprilis, Et per quedam alia Instrumenta seu instrumentum in eodem Instrumento notata, Et discessio seu guerra orta esset inter supradictum comune ex una parte, et predictos dominos de Castro Aynaldo ex altera, Et dicti domini de Castro aynaldo scilicet, Nazarius filius domini henrici de Castro aynaldo quondam, et Obertus eius frater et Jacobus vice dominus eorum nomine et nomine aliorum dominorum de

Castro aynaldo videlicet, Guidacij, Guielmi, Rodulfi et mayfredi fratrum filiorum quondam domini henrici, Georgi filij quondam domini Sismondi de Vicia, et Nazarij vice domini et Anselmi vice domini, et aliorum dominorum de castro aynaldo vellent refformari per sese et eorum descendentes sive successores et Restitui in pristinum Cytaniaticum et venire ad pacem et concordiam cum dicto comuni per sese et eorum hominibus et eorum terra scilicet Castri aynaldi, Cum domino Manfredo de nigro potestate astensi et cum quatuor sapientibus scilicet Georgio pelleta, Meylano de sollario, Guielmo Gardino, et vivaldo rogla et cum Credendarijs dicti comunis nomine et vice comunis astensis, In pleno consilio coadunato cum dicto potestate et sapientibus, Et credendarijs et Rectoribus societatum tam militum quam aliarum societatum nomine dicti comunis, eorum nomine et nomine aliorum dominorum de Castro aynaldo, Convenerunt videlicet quod cytaniaticum predictorum dominorum de Castro aynaldo restituatur et refformetur, et Reconcilietur, et in pristinum statum restituatur ipsis Nazario, Oberto et Jacobo, eorum nominibus et nomine aliorum dominorum omnium de Castro aynaldo. Et quod ipsi absolvantur ab omnibus bannis, penis, fodris, dacitis scuffijs, milicijs et omnibus alijs exactionibus que Imponerentur per ipsum seu per alium, pro ipso comuni, Usque ad festum Sancte Marie de medio Augusto proxime venturo, seu imposite invenirentur quacumque occaxione, Et quod possessiones omnes dictorum dominorum que date essent in solutum ubicumque essent, seu ipsas haberent, alicui tempore presentis guerre sive essent de palidis, sive essent alij quicumque essent occaxione aliquarum rerum quas ipsi occupassent alicui vel aliquibus civibus astensibus, Et specialiter quod debuissent fecisse aliquod damnum se iniuria alicui vel aliquibus, vel fecisse diceretur eisdem omnibus restitui debeant et reddi non obstante eo quod essent date in solutum ipsis occaxione predicta per comune astense, sive date vel concesse vel per aliquem pro comuni, vel per aliquem alium, nisi essent facte dicte alienationes per aliquem de supradictis dominis cuius essent. Ita quod Instrumenta ipsarum alienationum facta occaxione predicta nisi facta essent per ipsos dominos vel aliquem cuius essent, sint cassa et yrrita et nulius valloris, Et dictas res et possessiones, sive essent domus sive terre, predicti domini habeant et teneant, et inde faciant quicquid voluerint et facere possint secundum quod facere poterant ante presentem guerram. Et si qua statuta vel ordinamenta invenirentur facta contra predictos dominos vel aliquem ipsorum ne possent alienare dictas res, vel aliquas alias quas haberent, quod illa Capitula, statuta et ordinamenta, sint cassa et yrrita et nullius valoris. Eo salvo et addito quod ipsi domini de Castro aynaldo, debeant solvere a dicto termino in antea sancte Marie de medio Augusto proxime venturo, omnia fodra et prestita, dacita scuffia et ceteras condiciones, et exactiones facere et subire et milicias tenere a dicto termino in antea, de Castro aynaldo, et de omni eorum posse. Et de omni eo quod habent vel habebunt ipsi et eorum heredes In Ast et posse, et de omni alio eorum valente secundum quod faciunt alij Cives habitantes In civitate astensi qui non sunt cives de quantitate.

Item quod teneantur facere pacem et guerram secundum formam Instrumenti eorum Citaniatici, Item quod teneantur ipsi cum eorum famillijs stare et continue habitare in civitate Astensi sicut alij cives civitatis astensis habitantes in Civitate astensi faciunt. Hoc acto inter ipsas partes specialiter et expressim, quod Castrum

castri aynaldi pro eorum partibus, per comune astense muniatur et ponantur ibi duo castellani ydonei pro utraque parte, et pars comunis astensis remaneat ipsi comuni libera et expedita et salva et remanere debeat sicuti esse consuevit Eo salvo, quod dicti domini de damno dato in turri comunis et parte comunis dicti Castri, quod inde debeant facere restitutionem in arbitrio dominorum Quatule de gorzano et Uberti de gualfenaria, et quatuor guardie sive custodes vel minus si placuerit comuni astensi, que stent in dicto Castro sive super turre dicti Castri tempore guerre presentis expensis predictorum dominorum. Si vero videretur quod plures necessarij essent ad custodiam dicti Castri ponantur ibi ad expensas comunis astensis, et dicta munitio fiat tempore guerre presentis. Tempore autem pacis vel treugue vel guerre recedentis quam haberent cum comune albe, Cuneo, Saviglaneo, vel cum gente regis Scilie teneant dicti domini dictum Castrum, sine munitione predicta, et dicti Castellani teneantur eis restituere dictum Castrum, pro eorum partibus, salva parte comunis faciendo tamen dicti domini de Castro aynaldo de ipso Castro comuni astensi sicuti alij cives civitatis astensis habitantes in civitate Astensi facerent de suis Castris et hominibus et locis. Item teneantur dicti domini de Castro aynaldo sese ponere in dominum Quatulam de gorzano filium domini Ruffini de gorzano quondam de omnibus questionibus controversijs et rancurijs et litibus quas haberent seu habere possent vel habere spectant cum palidis vel aliquo ipsorum, quacumque occaxione usque ad hodiernum diem, et facere compromissum sub ipso domino Quatula, et facere securitatem de attendendo et observando quicquid statutum et observatum fuerit, per predictum dominum Quatulam, Ita quod pena apponatur in compromisso, de ipso compromisso observando ad voluntatem dicti arbitri, facientibus dictis palidis simile compromissum. Eapropter supradictus dominus Manuellus de nigro potestas astensis, et supradicti quatuor Sapientes et Credendarij et Rectores nomine et vice comunis Astensis, et ipse potestas et Sapientes voluntate dictorum Credendariorum, et ipsi Credendarij et consilium nomine dicti comunis astensis venientes ad concordiam cum supradictis dominis de Castro aynaldo, eorum nominibus et nomine aliorum dominorum reformaverunt, Reconciliaverunt et Restituerunt ipsos et quemlibet ipsorum cum omnibus eorum iuribus rationibus et actionibus in eorum citaniaticum, et in pristinum statum restituerunt, ut ipsi sint Cives astenses perpetuo per sese et eorum successores esse debeant secundum quod continetur in instrumento eorum Citaniatici superius nominato, cum pactis et conventionibus superius memoratis, facientes eisdem dominis nomine dicti comunis pacem finem remissionem et omnimodam absolutionem et pactum de non petendo, de omnibus bannis penis, fodris dacitis milicijs et omnibus alijs in quibus incurrissent quacumque occasione usque in presentem diem, Et de omnibus fodris dacitis milicijs schuffijs et omnibus exactionibus que fierent seu imponerentur per comune astense seu alium pro comuni usque ad festum sancte Marie de medio augusto proxime veniente quacumque occasione, Et de omni maleficio et iniuria, quam ipsi vel aliquis ipsorum intulissent per sese et eorum homines vel per quoscumque alios comuni astensi vel eorum hominibus sive eius terre et hominibus de parte sua usque ad hodiernum diem, Restituendo et eis restituerunt omnes terras et possessiones et domos quas habebant in dicto Castro et posse seu alibi quas non invenirentur alienasse per ipsos vel per aliquem ipsorum, Ita quod ipsas habeant et teneant et inde

faciant et facere possint secundum quod poterant facere ante presentem guerram, Et hoc non obstante aliqua alienatione, dacione in solutum seu aliqua concessione facta alicui persone sive aliquibus personis de ipsis possessionibus per comune astense sive de aliquo pro comuni Astensi, vel alicuius alterius occasione predicta, nisi esset facta ab illis dominis cuius essent, Cassando et irritando ipsas daciones et concessiones, et omnia capitula et statuta et ordinamenta, que inde facta invenirentur, Ita quod predictis non obstantibus, predicti domini dictas res habeant et teneant libere et quiete secundum quod ante presentem guerram facere consueverunt. Versa vice predicti domini de Castro aynaldo, eorum nomine et nomine aliorum dominorum per sese et eorum successores et homines, fecerunt pacem finem et refutationem et remissionem, et omnimodam absolutionem et pactum de non petendo et de non amplius molestando, de omni iniuria damno et male facto seu maleficio prescripto domino Manuelli potestati Astensi, et quatuor Sapientibus consilio et comuni recipientibus nomine et vice comunis Astensis, et michi notario infrascripto recipienti nomine dicti comunis, que eis facta essent per suprascriptum comune et eorum homines et de eorum parte. Predicta namque omnia et singula suprascripta supradictus dominus Manuel potestas astensis, et supradicti quatuor sapientes, Consilium et rectores nomine et vice dicti comunis, et consensu et voluntate dictorum credendariorum comunis Astensis et pro ipso comuni, Et supradicti domini de Castro aynaldo, ad sancta dei evangelia iuraverunt adinvicem attendere et observare, attendi et observari facere in perpetuum per se et eorum successores promiserunt. Et pro hijs omnibus et singulis attendendis et observandis et complendis, Una pars alteri omnia eorum bona adinvicem sibi pignori obligavit. Insuper dictus potestas, et quatuor sapientes et Rectores militum et societatum et consilium promiserunt facere fieri capitulum speciale, et apponi in Capitulo comunis quod omnia predicta et singula attendantur et observentur prout superius scripta sunt, super quo potestas et alij Rectores per tempora existentes in regimine Civitatis astensis teneantur iurare, quod capitulum de libro capitulorum removeri non possit vel etiam canzellari. Et si aliquo casu canzellatum vel remotum vel alio modo abolitum esset pro non canzellato, remoto vel abolito habeatur, sed semper omnia et singula supradicta in sua permaneant firmitate, et presens instrumentum tamqnam capitulum speciale attendere teneantur. Et inde dicte partes unum et plura instrumenta eiusdem tenoris preceperunt fieri, Actum fuit in campis inter Castrum aynaldum et Preocham. Testes interfuerunt, dominus Ubertus de gualfenaria, Jacobus morandus, Guercius zavaterius, et beconatus preco comunis astensis.

888. *De approbatione et ratificatione omnium predictorum facta per Guidacium et fratres eius et eius consortes infrascriptos.* 1276. 5 Junij.

Eodem anno Indictione die et mense. Guidacius Guielmus et Rodulfus et Manfredus fratres, et Georgius de vicia, predictus Nazarius vicedominus, et Anselmus vicedominus, Volentes approbare omnia et singula supradicta, et facta per supradictos Nazarium, Jacobum et Obertum approbaverunt confirmaverunt, Et rata habere et attendere et observare promiserunt, In manibus domini Opizonis ganducij militis domini Potestatis predicti secundum quod suprascripta sunt, Et michi notario infrascripto recipienti nomine et vice comunis astensis et iuraverunt in omnibus et per

omnia bona fide et sine fraude et nullo tempore contravenire per sese nec per eorum successores, seu per aliquam aliam personam sub obligatione omnium bonorum suorum que pro hijs omnibus et singulis attendendis et observandis michi notario predicto nomine recipienti pignori obligaverunt. Acta fuit hec approbatio in castro aynaldo. Testes Guielmus cupa, Jacobus morandus, Ipolitus de ripa, Beconetus preco comunis astensis, Guercius zavaterius et Balduynus palidus.

Et ego Jacobus malbechus notarius palatinus, hijs omnibus interfui, et inde rogatus sic scripsi bona fide. Et hoc instrumentum factum est pro comuni astensi predicto.

889. *De vendicione facta comuni astensi per dominum Obertum de Montefortino et fratrem eius, ac infrascriptos eius consortes de medietate tercie partis Castri Aynaldi.* 1241. 21 Novembris.

Anno domini, Millesimo ducentesimo quadragesimo primo indictione quartadecima, Die Mercuri undecimo kalendas decembris presentia subscriptorum, dominus Obertus de monte fortino et Bartalinus eius frater, et dominus Jordanus de montefortino, et Guido eius frater, et Jacobus de montefortino filius quondam Bonefacij, Et Nicolaus filius quondam Guielmi de Montefortino, vendiderunt et tradiderunt in alodio causa vendicionis domino Milio sorico de Cremona Judici et Vicario domini henrici granoni potestatis astensis vice et nomine comunis de aste recipienti pro precio librarum Centum astensium, de quibus tenuerunt sese quietos et solutos, Renunciando exceptioni non numerate pecunie, doli et in factum et sine causa, medietatem tercie partis tocius Castri de Castro aynaldo et specialiter medietatem turris demenioni et sediminum et edificiorum, et omnium jurium sibi competencium, que sint in Castro mediano quod appelatur Castrum illorum de montefortino, cum omni accessione Ingressione et egressione, jure usu publico et privato, et cum omni servitute, jure reali et personali ipsis rebus venditis, et venditoribus, vel eorum occasione pertinentibus, ipsis nichil in se retinentibus, que omnia tenebantur in feudum a predictis pro comune astensi, quam vendicionem prenominati omnes taliter vendiderunt et tradiderunt comuni astensi, ut decetero dictum comune vel cui dederit vel alienaverit predicta omnia et ius eis competens in predictis habeat teneat et possideat pro alodio et iure proprietario et possessorio, et de hijs faciat quicquid voluerit sine omni contradictione dictorum venditorum suorumque heredum et omnium aliarum personarum pro eis. Quam autem vendicionem, predicti omnes promiserunt dicto domino melio iudici nomine comunis recipienti, ab omni persona sub pena dupli defendere disbrigare et auctorizare, Et si defendere non poterint, aut per aliquod ingenium subtrahere quesierint, tunc promiserunt dicto Judici nomine comunis restituere et Resarcire insolidum omnes expensas et omne damnum et interesse quod et quas inde faceret vel substineret dictum comune vel causam habens a comuni causa judicio vel alio modo, Credendo de expensis damno interesse in verbo comunis vel alicuius pro comuni sine sacramento et sine probatione aliqua, Renunciantes dicto Judici nomine comunis jus appelandi et denunciandi per pactum. Constituendo sese possessores nomine comunis predicti, donec ingrediatur possessionem corporalem, quam ingredi sua auctoritate iusserunt. Constituentes dictum Judicem nomine

comunis procuratorem in rem suam, et si forte dicta vendicio molestata fuerit vel convicta vel appelata comuni de aste ullo tempore vel alicui causam habenti pro comuni in totum vel in partem, et proinde damnum expensas vel interesse faceret vel substineret causa vel judicio vel alio modo, Illud et illas restituere promiserunt, Credendo comuni vel alicui pro comuni verbo eius sine sacramento supra omnia bona sua habita et habenda, que proinde dicto Judici nomine comunis pignori obligaverunt. Et hec omnia facta sunt salvo omni Jure et ratione, quod et quam dictum comune habet vel habere videtur in predictos dominos et res eorum, et in homines eorum dominorum, et res ipsorum hominum, et in toto predicto Castro et in omnibus alijs que dictum comune habet aliquo modo versus omnia supradicta. Insuper supranominati omnes venditores promiserunt dicto Judici nomine comunis per sese vel per suos heredes perpetuo facere stare et habitare omnes suos homines quos ibi habent in villa de Castro Aynaldo et posse Ibidem stare et habitare, Nec inde eos removere nec permittere removeri, causa eundi ad habitandum alibi nec pacientur quod removeantur, Et quod non possint nec debeant similem vendicionem facere, nec eorum heredes edificare casizare, domum vel fortiliciam levare in partibus illis causa faciendi fortiam, quod si facerent, promiserunt dicto Judici nomine comunis per pactum restituere omne damnum interesse et expensas, quas et quod dictum comune vel aliquis ius habens a comuni faceret haberet vel substineret causa iudicio vel alio modo, Credendo verbo comunis vel alicuius pro comuni sine sacramento supra omnia eorum bona que dicto Judici nomine comunis pignori obligaverunt, Concedentes et volentes preterea pactione habita, quod omnia que habent in Castro aynaldo villa et posse iure alodij In hominibus et terris et possessionibus et omni alio modo, cedant comuni astensi et proprie sint comunis astensis. Insuper supradicti omnes volentes attendere conservare et observare concessionem et conventionem, pacta et conventa, et facta et inter dominum Jacobum astensem episcopum quondam nomine astensis ecclesie et Episcopatus cum domino Guielmo amato quondam potestate astensi nomine comunis, de concessione pacis et guerre, hoste itineris cavalcate, succursus et reducti comuni astensi et diviso, In vasallis et hominibus de Castris villis et terris astensis ecclesie et Episcopatus, et que ab ecclesia et episcopatu tenentur, et specialiter in eorum hominibus de Castro aynaldo et Castellino, sicut in carta conventionis et concordie continetur, Per universa et singula promiserunt dicto Judici nomine comunis attendere et observare perpetuo et nullo tempore removere per sese et per suos heredes, bona fide et sine fraude Ad hec predictus Jacobus filius Bonefacij, et Nicolinus filius Guilelmi de Montefortino predicti supra dei evangelia iuraverunt predicta omnia qualiter supradicta sunt per singula attendere et observare, et pignus tenere firmum quod pro predicta fecerunt superius, Et sic attendere perpetuo, et in nullo modo contravenire. Actum Aste in domo comunis. Interfuerunt testes Rollandus de comentina, Et Opizo de santo Johanne clavarij comunis Astensis, Girardus de aura, Bonus iohannes de roberta custos consiliorum.

Ego Ruffinus aranchaboschus notarius palatinus interfui et iussu predicti Judicis sic scripsi.

CLXVII. De Montefiali.

890. *De donatione facta comuni Astensi per infrascriptum Roglerium de tercia parte Castri Montisfiaalis.* 1108. 6 Septembris.

Anno ab Incarnatione domini nostri yhesu Christi Millesimo centesimo octavo, Sexto die mensis Septembris Indictione prima. Vobis Civibus astensibus dominis et amicis meis, Ego Roglerius filius quondam Ottonis qui professus sum lege vivere salica amicus et donator vester supradictus, Quapropter dono a presenti die, dilectioni vestre et in vestro iure et potestate, per hanc cartam donationis proprietario juri in comuni habendum confirmo Idest mea porcione juris mei quod est tercia pars Castri montisfialis, et si amplius ibi est mei juris, coheret ei ex una parte terra sancti Johannis si ibique alie sunt coherentie. Que autem infrascripta res mei iuris supradicta una cum accessione et Ingressu suo, seu cum superiore et inferiore suo qualiter supra legitur insolidum ab hac die Vobis civibus astensibus dominis et amicis meis In comuni dono cedo confero, et per presentem cartam donationis proprietario iure In comuni confirmo habendum faciendum, et ex inde a presenti die vos aut cui vos dederitis iure proprietario nomine quicquid volueritis sine omni mea et heredum ac pro heredum meorum contradictione. Equidem spondeo atque promitto me ego supradictus Roglerius una cum meis heredibus ac pro heredibus vobis supradictis civibus astensibus aut cui vos dederitis Istam donationem qualiter supra legitur insolidum ab omni homine deffensare, quod si deffendere non potuerimus, aut si vobis exinde aliquid per quodvis Ingenium subtrahere quesierimus tunc in duplum istam donationem vobis restituemus sicut pro tempore, fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione in consimili loco. Quidem ad hanc confirmandam donationis cartam accepi ego suprascriptus Roglerius a vobis suprascriptis civibus Astensibus per missum vestrum Berardum Judex exinde launachil, ut hec mea donatio, In vos aut cui vos dederitis firma permaneat atque persistat. Acta in aste ante sanctum Secondum in comuni coloquio feliciter.

Signum. † manus istius Roglerij, qui hanc cartam donationis fieri rogavit, et suprascriptum launechil accepit ut supra.

Signa † † † † † † † † † manum Opizonis Oberti Ungari, homodei, Bonibelli, Servidei Petri, Alberti, et Arnaldi de manzano testium.

Signa † † † † † † † † † manuum Siulfus Servus dei, Petrus berardus, Bonus homo, lafranchus, Manfredus, Benzo Bonus villanus testes isti omnes et alij complures interfuerunt.

Ego Guido causidicus scriptor huius carte donationis, post traditam complevi et reddidi.

891. *De quadam confirmatione facta comuni Astensi per dominam Imiliam uxorem supradicti Rogleri de supradicta vendicione superius facto dicto comuni per suprascriptum Roglerium.* 1200. (1108) 8 Septembris.

Anno ab Incarnatione domini nostri yhesu christi, Millesimo ducentesimo (centesimo octavo) octavo die mensis septembris Indictione prima, vobis civibus astensibus

dominis meis. Ego Imilia coniux Rogerij, que professa sum lege vivere salica, Ipso namque iugale meo michi consenciente presens presentibus dixi Promitto atque spondeo Ego suprascripta Imilia et mei heredes ac pro heredibus adversum vos suprascriptos Cives astenses, aut cui vos dederitis, ut a modo ulloque tempore non habeam licenciam neque potestatem, per ullum vis ingenium, ullamque occasionem quod fieri potest agere nec causare adversus vos suprascriptos cives astenses, aut cui vos dederitis, Nominative de illa porcione que est tercia pars Castri montis fialis, que vobis advenit per cartam donationis ex parte Roglerij viri mei, dicendo quod michi exinde aliquid pertinere debeat, sed omni tempore, Ego et mei heredes ac per heredes ex inde taciti et contenti permaneamus, quod a modo aliquo tempore ego et mei heredes ac pro heredes adversus vos suprascriptos cives astenses, aut cui vos dederitis, de predicta re agere aut causari vel removere presumpserimus, vel si apparuit ullum datum aut factum vel quodlibet scriptum quod ego in alia parte fecissem et claruerit tunc componere promitto ipsa res in duplum, et super pena argenti librarum Centum. Quidam ad hanc confirmandum promissionis cartam, accepi ego suprascripta Imilia a vobis supradictis Civibus astensibus pro misso vestro Opizo ex inde launachil. Ut hec mea promissio firma permaneat atque persistat. Acta in loco valixelle feliciter.

† Signum manus istius Imilie, qui hanc cartam promissionis fieri rogavit. Et Infrascriptus Rogerius vir suus consensit ei ut supra.

Signa † † † † † † † manuum, Servidei, Aynardi, Goslini, Ottonis albrici, Guidonis et Girbaldi testium.

Ego Guido causidicus scriptor huius carte promissionis post redditam complevi et Reddidi.

CLXVIII. De Monteacuto.

892. *De quibusdam conventionibus et pacto factis inter comune Astense ex una parte et Episcopum Astensem ex altera de juribus loci Montisacuti.* s. a.

In nomine domini, Inter dominum, Anselmum Episcopum et Consules Astenses, pactum huius tenoris est firmatum quod Consules Astenses castrum Montisacuti cum villa et curte pertinente ad castrum debent dividere per medium Et hoc quod erit alodij curtis Montisacuti debebit cognosci per antiquos homines eiusdem loci bona fide, Castellanus debet esse secundum quod Episcopus et consules erunt concordes fidelitatemque faciet ipse et habitatores communiter consulibus et populo et Episcopo, Et vicissim debent salvare predictum castellanum inter se bona fide, Et si amitterent quod deus avertat se adiuvare ad recuperandum bona fide salvo iure ecclesiarum ipsi Episcopo, feudum vero quod est infra curtem Montisacuti Episcopi debet esse. Consules Astenses non debent accipere in civitate sua habitatores sue potestarie proprios vel vasalorum qui hoc ius iurandum fecerint. Quod si susceperint cum mobilia tantum debent suscipere res immobiles sint Episcopi vel vasalorum. Quod siquis de habitatoribus ob hoc discordiam facere voluerit non debent adiuvare. Item debent adiuvare Episcopum de guerra Marchionis Maynfredi et Guilelmi si ei non dederint pacem suo arbitrio, similiter Episcopus debet eos adiuvare de omni guerra quam ceperint suo consilio vel que illata fuerit eis, similiter consules debent juvare Eiscopum eodem

modo. Item si consules questum fecerint in toto Episcoscopatu vel moram, si Episcopus voluerit esse cum eis, cum suo exercitu, debent ei dividere per medium. Item castri in quo Episcopus partem habeat, non debent ibi partem capere absque voluntate Episcopi. Omnes condictiones terre Episcopi, Episcopus hominibus Aste dimisit de proditoribus si noluerint ad curiam Episcopi venire ut stent in iudicio curie, consules debent iuvare Episcopum ad vindictam faciendam. Castellanus Montisacuti si discordia apparuerit inter Episcopum et Astenses non debet obesse Episcopo nec Astensibus. Item si qua discordia apparuerit inter Episcopum et eius vasallos, et Astenses debet esse mendata in laude duorum consulum et duorum vasallorum infra quadraginta dies. Ad capiendum castrum Montisacuti Episcopus et Astenses debent congregare exercitum pro posse et obsidere usque ad pentecostem, nisi comuni consilio remanserit. Item consules Astenses hoc quod dominus Jacobus et domini Montisalti possidebant vivente Sysmondo dimittere eis debent et armannos comitatus. Item consules iurabunt dominis Montaldi adiuvare manutenere castrum Montaldi Et predicti dominj Montaldi debent adiuvare manutenere et habere homines Aste castrum Montisacuti bona fide et curtem, Et episcopus et astenses non debent facere pacem nec treuguam indeficientem de loco Montisacuti sine comuni consilio scilicet episcopi et Astensium consulum. Ad hec testes fuerunt Robaldus Gardinus, Guilelmus Culorius, Merlo Curialis, Maynfredus Rastellus, Azo de Curia et Robaldus Judex.

CLXIX. De Montealto.

893. *De quibusdam conventionibus et pacto factis inter comune Aste ex una parte, et quosdam de Montaldo ex altera, de sese invicem adiuvandis etc.* 1192. 22 Decembris.

In nomine domini, Ad honorem et servicium domini nostri yhesu christi et beate Marie Virginis et sancti secundi martiris et omnium sanctorum et sanctarum dei et ad honorem et servicium domini nostri henrici Romanorum Imperatoris Augusti, et salva eius fidelitate. Tale pactum et conventum iure iurando firmatum est inter homines de Aste et Obertum de Montaldo et Obertum eius filium et Guilelmum de Montaldo et Gribaldum de Montaldo usque ad decem annos inter eos observandum et tantum plus quantum plus inter se communiter concordes fuerint, videlicet quod predicti Obertus de Montaldo et Obertus eius et Guielmus et Gribaldus debent salvare et custodire adiuvare et defendere personas et res omnium hominum de Aste et de virtute Astensi per totam eorum terram et eorum posse, et salvare custodire adiuvare et defendere Astenses et eorum terram alibi ubicumque potuerint per se et per eorum homines ab omni homine bona fide et sine fraude. Item debent reducere et ponere homines de Aste guarnitos et scaritos pro comuni et pro diviso eorum et cum preda et sine preda eorum in Montaldo et in Corneglanno et in omni alio loco eorum in quo habeant forciam vel virtutem quotienscumque ipsis Astensibus placuerit et eis necesse fuerit, Ita ut ipsi Astenses de Montaldo et de Corneglanno et de omni alia eorum terra faciant guerram et pacem omnibus eorum inimicis quandocumque voluerint, Excepto Astensi Episcopo et Albensi Episcopo et dominis de Govono et Robaldo de Brayda et Amadeo de Vicia. Item debent de omnibus predictis locis et omni eorum terra per

se et per eorum homines facere vivam guerram omnibus inimicis Astensium, et Maxime Bonefacio Marchioni Montisferrati, et Comitibus Blandrati et Maynfredo Marchioni de Salucio et Bellengerio Marchioni de Buscha et Albensibus, quandocumque Astensibus placuerit Item debent facere iurare omnes eorum homines quos Astenses voluerint hanc concordiam firmam tenere usque ad terminum predictum. Hoc totum debent observare salvis eorum sacramentis scilicet consortum eorum de Corneglano et de Montaldo et de Neveis et de Cortandono et de Teglolis, Et sicut ipsi teneantur Astensibus ut supra legitur, Sic et Astenses teneantur eis, salvis omnibus eorum sacramentis, Et tantum ultra, quod si predicti Obertus de Montaldo et eius filius et Guilelmus et Gribaldus cum consilio potestatis vel consulum Astensium et eorum credentie per campanam congregate pro ipsis Astensibus aliquando guerram inciperent quod Astenses non debeant facere pacem nec treuguam sine consilio predicti Oberti de Montaldo et aliorum supradictorum omnium vel maioris eorum. Actum Urbe Aste in solario Calcanei de Sancto Systo, in comuni credentia per campanam simul posita, Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo secundo Indictione decima die martis undecimo kallendas Januarij feliciter, interfuerunt testes, Jacobus de Mezadio, Gavarrus eius filius, Rufinus de Gorzano, Aycardus de Insula, Amedeus de Vicia, Otto Bassus notarius et petrus Asinus missus domini Jacobi Stricti potestatis Astensis, qui iuravit ex parte Astensium quod credendarij sicut ibi dictum fuerat observarent, si deus illos adiuvaret, et sancta dei evangelia. Ibidem Obertus de Montaldo et Guilelmus frater eius et Gribaldus de Montaldo et Obertus filius predicti Oberti de Montaldo iuraverunt supra dei evangelia, hoc quod supra legitur bona fide observare.

Et Jacobus duas cartas in uno tenore scripsi.

894. *De alijs pactione et concordia factis inter dictum comune Ast ex una parte et quosdam de Montaldo et Cornalianno ex altera, de guerra incipienda contra Albenses etc.* 1200. 10 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo Indictione tercia die veneris decimo intrantis novembris, hec est forma pactionis et conventus et concordie Astensium et domini Guilelmi de Montaldo, et Gribaldi et Nicholay de Montaldo et henrici de Monte consortum suorum et aliorum consortum eorum de Montaldo et Cornalianno qui consilio et voluntate Astensium consulum et predicti Guilelmi hanc pactionem et concordiam fecerunt. Debent enim predicti Guilelmus, Gribaldus, Nicholaus et henricus et consortes eorum qui hanc pactionem et concordiam fecerunt incipere guerram Albensibus de Montaldo ad focum et sanguinem bona fide et sine fraude ad illum diem et ad illum terminum ad quem, consules Astenses per se vel per eorum certum missum eis preceperint, et ea guerra incepta facere debent eis postea vivam guerram de Montaldo per se et per eorum homines cum hominibus de Aste et sine hominibus de Aste bona fide et sine fraude. Et prohibere omnibus hominibus bona fide et sine fraude ne Albenses mercatum portent nec tribuant, Et ex illa guerra non facient pacem nec treuguam nec posam, nec guerram recreutam nec aliquam concordiam sine voluntate et consilio consulum vel potestatis Astensis per tempora existentium et credendariorum eorum omnium vel maioris partis eorum per campanam congregatorum, Et si aliqua alia guerra in aliquo tempore nasceretur Astensibus ab hominibus de Alba, predicti

Guilelmus de Montaldo et consortes eius illud idem debent facere de illa guerra, nec propter aliquod preceptum quod Astensis Episcopus eis faceret, non debent dimittere quod omnia supradicta non faciant et non observent. Eapropter homines de Aste debent adiuvare bona fide per comune de Aste predictos Guilelmum, Gribaldum, Nicholaum et Henricum aliosque consortes eorum, qui hanc pactionem et concordiam fecerunt de ista guerra et de omni alia guerra que pro ista eis Albensibus nasceretur bona fide et sine fraude, Et de ista guerra et de altera que pro ista eis Albensibus nasceretur non debeant facere pacem nec concordiam nec treuguam cum Albensibus quod non tribuant prefatis Guilelmo, Girbaldo, Nicholao et henrico et consortibus eorum qui hanc pactionem et concordiam fecerunt, talem pacem et concordiam et treuguam qualem sibi acceperint, et non facient pacem nec concordiam nec treuguam cum Albensibus quod Albenses non teneantur facere rationem Guilelmo de Montaldo et Girbaldo et Nicholao et henrico et predictis consortibus eorum in communi et in convenienti loco, de illa querimonia, quam de Cornalianno et de aliqua terra quam Albenses eis teneant, et de illa carta quam predicti Girbaldus et Nicholaus frater eius eis fecerunt, faciunt ad certum diem et ad certum terminum, Et debent eis dare ad expensas comunis, illos sapientes, qui in illis causis eis necessarij fuerint bona fide, Et si predicti Guilelmus, Girbaldus, Nicholaus et henricus et alij predicti consortes eorum aliquid ab Astensibus in Cornalianno per sentenciam vel concordiam in illis causis evicerint illud a comuni de Aste in feudum accipere et tenere debent. Et si contigerit quod perdant predicta, et homines de alba in Cornalianno aliquam fortiam facere vel aliquid acquistare voluerint, quod dominus Guilelmus de Montaldo eis prohibere voluerit, homines de Aste debent eum inde adiuvare per comune bona fide et sine fraude et sine omni malo ingenio, Et si dominus Guilelmus et alij predicti per se vel per eorum missum Astensibus Consulibus aliquid in credentia dixerint vel mandaverint illud privatum tenere debent, Et si consules per se vel per eorum missum vel per eorum literas eis aliquid in credentia dixerint vel mandaverint similiter illud privatum tenebunt. Hoc totum predicti Guilelmus Girbaldus, Nicholaus et henricus et predicti consortes eorum et Astenses consules observabunt, nisi comuni consilio et voluntate eorum remanserit, Salvo eo quod cum comuni eorum consilio in hoc additum vel diminutum fuerit, Ita quod de addito utraque pars teneatur, et de diminuto absolvatur. Et hoc totum quod supra legitur dominus Guilelmus de Montaldo et henricus de Monte eorum nomine et aliorum consortum eorum, qui hanc pactionem et concordiam fecerint et Girbaldus de Montaldo suo nomine et nomine Nicholay fratris sui promiserunt Jacobo de Vivario Astensi Consuli de communi pro se et pro socijs suis, nomine comunis Astensis stipulanti et iuraverunt predicti Guilelmus, Girbaldus et henricus supra dei evangelia firmum tenere bona fide et sine fraude et sine omni malo ingenio. Versa vice Astenses Consules de communi, quorum nomina sunt Jacobus de Vivario, Ardicio Bertramus, Guilelmus Ratio, Jacobus de Stoarda et Rollandus Cazo nomine comunis de Aste promiserunt predictis Wilelmo de Montaldo et henrico de Monte eorum nomine et nomine consortum eorum qui hanc pactionem fecerunt et concordiam, et Girbaldo de Montaldo suo nomine et nomine Nicholay fratris sui stipulanti et iuraverunt supra dei evangelia hanc pacem et concordiam firmam tenere bona fide et sine fraude, et sine malo ingenio, Et facere iurare potestatem et consules post eos intrantes hoc idem

attendere et observare, et quod alios consules vel potestatem post eos intrantes facient iurare illud idem ita ut semper potestas vel consules de Aste omni anno hoc iurent in principio eorum regiminis. Item Rufinus de Ripa, homodeus Trossellus et henricus Aytropus Astenses consules de iusticia iuraverunt illud idem ex eorum parte attendere et observare. Preterea illi de Credentia quorum nomina subsequuntur iuraverunt supra dei evangelia, hanc concordiam observare et firmam tenere, Guilelmus Sicardus, Opizo Falletus, Ubertus de Platea, Maynfredus de Sollario, Otto Monacus, Girardus Giniorius, Albertus de porta, Guilelmus de Cathena, Nicholaus Gardinus, Raymondus layolius, Robaldus Nasellus, Raymondus Trosellus, Petrus de Rupe, Bonusiohannes Villanus, Henricus de Valleriano, Jacobus Rohat, Guilelmus Gardinus, Guilelmus de Becaria, Gandulfus de porta, Syribonus de porta, Cresencius poysia, Obertus oculus bovinus, Otto damianus, Baylardus Balbus, Jacobus poreta, Jacobus Apolius, Petrus Ghillanervus, Anselmus de Curia, Obertus de Cario, Rollandus de Solario, Obertus de Vivario, duniotus de Becharijs, Petrus de Ayratio, Marchisius Cavicula, Robaldus Maruchus, Arnaldus de Platea, Berardus Bertramus, Wilelmus Silvaticus, Petrus Cicia, Walla Bucanigra, Rollandus Carianus, Sicardus Brandulus, Rollandus Vacha, Guilelmus de Baenis, et Jacobus vola. Actum Urbe Aste in domo communis in credentia per campanam congregata interfuerunt testes, dominus Martinus de Revello et dominus Maynfredus de Anima, de Manciano, hec uno brevibus sunt scripta tenore duobus.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et precepto predictorum consulum scripsi.

895. *De procuratorio facto per certos de Montaldo in personam domini Arnaldi eorum fratris ad dandum pacem et guerram comuni Astensi de eo quod tenent in castris Montaldi et Ceresolarum.* 1241. 21 Maij.

(Omisimus quia iam est ad Num. 584).

896. *De promissione et iuramento factis per quosdam de Montaldo domino potestati Ast de faciendo pacem et guerram etc. pro comuni Ast specialiter in Montaldo et Ceresolis, Salvo jure Astensis ecclesie etc.* 1241. 22 Maij.

(Omisimus quia iam est ad Num. 582).

897. *De confirmatione promissionis predicte facta per quosdam alios ex dominis Montaldi per homines dicti loci Montaldi cum iuramento.* 1241. 26 Maij.

(Omisimus quia iam est ad Num. 583).

CLXX. De Anterisio, Desaya, Ceresolis et Prehalormo

898. *De quibusdam dominis de Anterisio effectis civibus Ast debendo dare fodrum in communi Ast et pro ipso comuni facere pacem et guerram exercitus et cavalcatas, maxime de partibus quas habent in Anterisio, Desaya, Ceresolis et prehalormo.* 1224. 10 Julij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vicesimo quarto indictione duodecima die veneris decimo Jullij presentia subscriptorum testium dominus Anselmus de Anterisio

et dominus Jacobus frater eius Berronus et Tebaldus promiserunt et ad sancta dei evangelia iuraverunt domino pagano de Petrasancta potestati Astensi nomine et vice comunis Astensis recipienti per sese et suos descendentes et heredes esse cives Astenses in perpetuum et habitare in Aste cum tota familia sua sicut alij cives Astenses et hoc in perpetuum faciendo mores et consuetudines civitatis Astensis tanquam alij cives, tali modo et forma quod ipsi nec eorum heredes nec descendentes possint repudiare citaynaticum vel habitaculum civitatis Astensis et venire ad habitandum in Aste ad voluntatem potestatis Astensis tali modo quod dictus Anselmus non teneatur stare in Aste nisi voluerit, Et emere domum in Aste ad voluntatem potestatis, et ipsam vendere non possit alienare nec pignori obligare, nisi prius emissent aliam domum eiusdem valentie, et dare fodrum de quantitate illa que placuerit potestati et communi de Aste, Et promiserunt facere guerram et pacem exercitum cavalcatam et succursum pro comuni Astensi contra omnes homines de tota eorum terra et de suis hominibus et de suis castris et villis et specialiter de tribus partibus pro indiviso de Anterisio et de pluri si plus ibi habent, tam in castro quam in villa, et de medietate pro indiviso castri et ville de desaya et de pluri si plus ibi habent, Et de medietate de Ceresolis minus sextadecima parte et de pluri si plus ibi habent tam in castro quam in villa, Et de medietate prehalormi et de pluri si plus ibi habent tam in castro quam villa et de tota alia eorum terra et hominibus quam et quos habent ubicumque illam vel illos habent, Salvis eorum dominis in feudis suis. Item iuraverunt et promiserunt quod predicta castra seu partes predictorum castrorum reddent communi astensi quandocumque commune voluerit pro facienda pace guerra exercitu et cavalcata ubicumque comune voluerit et cuicumque voluerit, et quandocumque commune voluerit, nec predicta castra seu partes vetare communi Astensi guarnita nec scarita quandocumque comune voluerit et hoc salvis eorum dominis in suis feudis. Item promiserunt et iuraverunt quod facient iurare eorum homines predictorum castrorum et villarum facere pro comuni Astensi pacem guerram exercitum et cavalcatam itinera et succursum contra omnes homines ad voluntatem communis Astensis, tali modo quod domini non possint eis precipere quin predicta attendant et observent communi Astensi. Insuper promiserunt et iuraverunt tenere militiam unam in Aste sicut cives Astenses facient. Item promiserunt et iuraverunt quod non facient aliquam coniurationem vel societatem cum aliqua universitate seu singulari persona sine voluntate et parabola comunis Astensis et quod dabunt fortiam et virtutem consilium et auxilium bona fide modis omnibus quod eius consortes et omnes alij homines de Astisio veniant ad concordiam cum communi Astensi ad bonum et utilitatem communis Astensis. Item promiserunt facere rationem ipsi et non alius de eorum hominibus, hominibus de Aste et de eius posse ad illum terminum ad quem fit ratio in civitate Astensi per iudicem civitatis Astensis, et pro illa iudicatura que prestabitur in civitate Astensi. Item fecerunt pacem finem et refutationem et pactum de non petendo dicto domino pagano, nomine et vice communis de Aste recipienti et amicorum seu coadiuctorum communis Astensis de omni damno et guasto incendio iniuria et offensione sibi dato vel datis in rebus et personis, et illud idem fieri facient ab hominibus suis. Hec omnia promiserunt et iuraverunt ad sancta dei evangelia attendere et

observare in perpetuum et nullo tempore contravenire. Pro quibus omnibus supradictis attendendis complendis et observandis omnia bona sua eidem potestati nomine communis recipienti pignori obligaverunt. Insuper dictus potestas vice et nomine communis et pro communi consilio et voluntate suorum credendariorum prime et secunde credentie et rectorum societatum per campanam congregatorum et nuncios, et ore ad os interogatorum et scriptorum promisit predictis Anselmo et Jacobo, Berrono et Tebaldo quod si guerra inciperetur eisdem hac de causa a vicinis suis de illa guerra bona fide iuvare eos usque ad finem. Insuper promisit dictus potestas nomine communis Astensis decetero non recipere pro habitatore in aliquo loco communis Astensis aliquem hominem predictorum dominorum, Salvo tamen eo quod si aliquis homo predictorum dominorum vellet eisdem dominis relinquere et dimittere possessiones, quas ab eis tenent et mobile quod eis fuerit saxitum ab ipsis dominis tunc ille homo possit ire ad habitandum, ubi ipse vellet tam in civitate quam in posse Astensi, Item promisit dictus potestas non cogere eos ad iusticiam exhibendam, de aliquo debito quod dare debeant in Aste nisi tantum usque ad capitale. Insuper dictus potestas nomine communis Astensis et pro communi fecit eisdem pacem finem et refutationem et pactum de non petendo de omnibus offensionibus que ipsi Anselmus Jacobus et filij fecissent modo aliquo. Actum Aste in ecclesia sancti Johannis de domate coram prima et secunda credentia et Rectoribus societatum, interfuerunt testes dominus Frassus iudex predicti potestatis, dominus Jordanus Macellinus miles, Surleonus Maronus, Nicholaus prevedengus clavarij communis, Rufinus Arancaboschus et Jacobus Belserius notarius et alij plures, Et philippus durchus scripsit. Item eo die in castro Anterisij Jacobo Advocato, Oberto Grasso, et Guilelmo Sylvatico testibus presentibus, Isti de Anterisio iuraverunt ut supra, Petrus Vetulus, Jacobus yricius, Maynfredus de Solario, Guilelmus longus, Obertus de plano, Anselmus de Russa, Otto Blanchus, Otto nobilis, Aymericus, Obertus patonus, Otto de Franta, Anselmus patonus, Goslinus, Guilelmus Crepinus, Stephanus Bellanda, Johannes Gayetus, Amedeus pellegrinus, Maynfredus Vaca, Jacobus de solario, Stephanus de Moneta, Otto Viscarra, Johannes filius Oberti Gualfredi, Bonusiohannes Cavalupus. Item eodem anno Indictione die dominico quartodecimo Jullij in quodam prato de Ceresolis, Millono Turrello, Robaldo Cicia, Rodulfo Magistro, Rolando Terdonnesio presentibus testibus et Jacobo de Curia, Isti de Ceresolis iuraverunt ut supra continetur Guilelmus Cacida, Sysmondus de Ceresolis, Guilelmus Cannatius, Guido Cayrosius, Johannes presbiter, Astexanus eius filius, Otto lunellus, Jacobus de Gorzano, Cerronus, Guilelmus de Maglano, Guilelmus Lemus, Johannes Baldrachus, Obertus de Tegerono, Mauricius Spiacia, Guilelmus filius Johannis presbiteri, Wilelmus de Marcellengo, Obertus Garufus, Obertus Cacida, Johannes Musserius, Otto Mallonus, Rogerius Cayrosius, Jordanus Guislardus, Tebaldus Saracenus, henricus Vagina, Obertus Ravarius, Obertus caloerius, Jacobus Ysnellus, Anselmus payrolinus, Petrus de Corneglano, Bartolinus frater eius, Obertus Grunda, Gandulfus de Neveis, henricus Galesius, Obertus de Gorzano, Otto bocacius, Obertus Ferarius, Obertus Coctus, Jacobus Galesius, Otto Gavatius, Bertholotus de Baiamondo, Ogerius Baldracus, Jacobus frater eius et henricus Bonusiohannes.

Et Philippus durcus notarius scripsit.

899 *De promissione facta per dominum Manuelem Comitem de Blandrato pro se et fratribus suis quibusdam dominis de Ceresolis de solvendo eis libras* MCCCL *de precio venditionis locorum Anterisij et desaye facte dictis de Blandrato sub certis conventionibus et modis.* 1252. 11 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo secundo Indictione decima in posse de Vicia ibi ubi dicitur in Valle Rubiani die veneris undecimo intrantis octubris dominus Manuellus Comes de Blandrato suo nomine et nomine fratrum suorum Guilelmi et Benedicti confessus fuit se debere dare domino Berrono et domino Tebaldo de Ceresolis fratribus libras Milletrecentasquinqueginta bonorum denariorum Astensium de precio et occasione precij venditionis quam dicti Berronus et Tebaudus eidem domino Manueli suo nomine et nomine fratrum suorum supradictorum fecerunt, ut ipse dominus Manuellus confitebatur de castris villis et iurisdictionibus Anterisij et desaye, scilicet de eo iure quod dicti Berronus et Tebaudus habebant seu habere videbantur in predictis castris et villis ut apparet per instrumentum de dicta vendictione factum per Rufinum Mondetum notarium hoc eodem anno et eodem die et eadem indictione, quas libras MCCCL dictus dominus Manuellus dare et solvere promisit predictis Berrono et Tebaudo stipulantibus ex supradicta causa per terminos et ad terminos infrascriptos scilicet quingintas libras Astenses hinc ad festum natalis domini proximum, et alias libras CCCC Astenses hinc ad festum beate Marie de Augusto proximum, Alias vero libras Trecentas quinqueginta Astenses, ad festum sancti Martini proxime venturum usque ad annum unum proximum sequentem non obstante ipsis Berro et Tebaldo nec eorum successoribus in predictis vel aliquo predictorum, quod ipsi Berronus et Tebaudus in supradicto instrumento venditionis se tenuerunt quietos et solutos de dicto precio vel confessi fuerint se inde integram solutionem habuisse, sed predicta confessione non obstante presens promissio et stipulatio firme permaneant et inviolabiliter observentur, Renunciando dictus dominus Manuellus in omnibus et singulis supradictis, exceptioni rei vendite et non tradite, condictioni sine causa et ex iniusta causa exceptioni doli mali et exceptioni in factum et privillegio fori, ita quod ubicumque conveniri possit et omni alij auxilio juris et consuetudinis, quo se tueri posset vel facere contra predicta vel aliquod predictorum, Et si dictus dominus Manuellus sua quaque die et singulis terminis supradictis non solveret dictis Berrono et Tebaudo supradictas pecunie quantitates eisdem Berrono et Tebaudo stipulantibus promisit dare eis et solvere transacto termino cuiuslibet predictarum quantitatum, pro qualibet libra illius quantitatis, que tunc esset solvenda, ut supra dictum est, dum ipsam solutionem distulerit, quolibet mense denarios duos nomine et ex causa pure donationis inter vivos rato manente pacto et promissione suprascripta usque in finem solutionis totius suprascripte quantitatis, Et promisit eisdem Berrono et Tebaudo restituere omnia damna et expensas et interesse que et quas et quod ipsi Beronus et Tebaudus vel successores eorum fecerint vel sustinuerint pro predictis pecunie quantitatibus petendis et exigendis in iudicio et extra iudicium eundo redeundo placitando mutuum accipiendo et alio quoquo modo, Credendo ipsis Berrono et Tebaudo et eorum successoribus de damnis expensis

et interesse eorum simplici verbo sine sacramento et sine qualibet alia probatione pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis, obligavit dictus dominus Manuellus suo nomine et nomine fratrum suorum supradictorum pignori omnia sua et dictorum fratrum suorum bona predictis Berrono et Tebaudo, Et specialiter totum illud quod ipsi dominus Manuellus et fratres habent tenent seu possident vel habere tenere seu possidere videntur in Castro villa et territorio Ceresolarum tam in hominibus et fidelitatibus et successionibus hominum contito et jurisdictione aquatico et pasquatico quam in fodris bannis, fictis, drictis, decimis, debituris et redditibus et preceptionibus hominibus, et de omnibus terris cultis et non cultis, vineis pratis, pascuis ierbis et nemoribus et alijs possessionibus universis, de quibus omnibus predictus dominus Manuellus suo nomine et nomine fratrum suorum se possessionem seu quasi possessionem dictis Berono et Tebaudo corporaliter tradidisse, Constituendo se omnia et singula predicta tenere et possidere seu quasi possidere nomine ipsorum Berroni et Tebaudi quousque ipsi eorum propria auctoritate corporalem acceperint possessionem. Quam possint ipsi et successores eorum et eis liceat quandocumque apprehendere per se et per alium quemlibet sine requisitione et licentia alicuius magistratus seu dominj. Et inde dictus dominus Manuellus pro se et fratribus dedit et concessit eisdem Berono et Tebaudo pro se et eorum successoribus plenam licentiam et liberam facultatem, Promittendo eisdem tradere et conservare atque defendere ab omni persona corporalem et vacuam possessionem et quasi possessionem de toto suprascripto Ceresolarum, Tali modo quod ipsi Berronus et Tebaudus et eorum successores dictum pignus habeant teneant et possideant libere quiete et absolute et quasi possideant, fructus omnes redditus et godias inde percipiant, et ipsos fructus et godias pignoris, ipsi creditores debeant in solutum computare primo pro dono, duorum denariorum, pro libra omni mense ut supra dictum est et residuum siquod esset computetur in solutione sortis, Et ex toto pignore, faciant iure pignoris quicquid facere voluerint sine contradictione dicti domini Manuellis et fratrum eius predictorum et eorum successorum, quousque eis de toto supradicto debito et de omnibus supradictis fuerit integre satisfactum. Preterea dictus dominus Manuellus pro se et fratribus eius supradictis promisit eisdem Berrono et Thebaudo facere eis fieri et iurari fidelitates ab omnibus et singulis hominibus Ceresolarum, qui sunt et esse consueverunt homines ipsius domini Manuelli et fratrum, quando ab ipsis Berrono et Tebaudo fuerint requisiti tales quales ipsis Comitibus facere consueverunt, ita quod dicti homines de dictis fidelitatibus teneantur ipsis Berrono et Tebaudo et eorum successoribus in omnibus et per omnia sicut ipsi domino Manuello et fratribus nunc tenentur et teneri consueverunt, quousque ipsis Berrono et Tebaldo de toto supradicto debito et de omnibus supra dictis fuerit plenarie satisfactum. Item dictus dominus Manuellus promisit iandictis Berrono et Tebaudo dare eis duos ex dominis lucerne, et duos ex dominis Summeripe de paerno, et duos ex dominis Montisalti de Astisio defensores et conservatores dicti pignoris Ceresolarum et omnium et singulorum, que in ipso pignore continentur ut supra dictum est et facere curare sic quod predicti duo domini lucerne, duo domini summeripe et duo domini Montisalti, se versus dictos Berronum et Tebaudum constituant defensores et conservatores predicti pignoris, sub obligatione omnium bonorum suorum ipsorum dominorum. Hec

autem omnia et singula suprascripta predictus dominus Manuellus promisit supradictis Berrono et Tebaudo stipulantibus attendere et observare et attendi et observari facere ab eius fratribus superius nominatis et specialiter iurari facere Guilelmo eius fratri, sub obligatione omnium bonorum suorum, et ipsemet dominus Manuellus corporaliter iuravit attendere et observare perpetuo et in contrarium non venire nec facere aliquo modo nec aliquo tempore sub aliqua subtilitate ingenij. Interfuerunt testes rogati et vocati dominus Bonefacius electus Episcopus ecclesie Astensis et dominus Conradus de laureto et dominus Rufinus Monacus Azani et oddinus de Novellis et dominus Bondiuus de desaya et Rufinus Mondetus notarius et obertus zocha de priocha. Item eodem anno et eadem indictione, in Ceresolis octavo kallendas Januarij presentibus testibus infrascriptis. Hec autem omnia et singula suprascripta, Guilelmus frater domini Manuelli Comitis de Blandrato promisit dictis Berrono et Tebaudo fratribus de Ceresolis et corporaliter iuravit attendere et observare perpetuo, et in contrarium non venire nec facere aliquo modo, nec aliquo tempore sub aliqua subtilitate ingenij sub obligatione omnium bonorum suorum. Interfuerunt testes rogati et vocati Thomas de Marculorio et Ardicio de Vicia, Guilelmus Mellini et Bayamondus Gavayus, Johannes de Burduallo et Henricus Mellini.

900. *De libris CCC. Astensibus quas dicti de Blandrato confessi fuerunt se ex causa mutui dare debere predictis de Ceresolis debendo illas solvere inde ad unum mensem.* 1253. 22 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo tercio Indictione undecima In Tegerono die sabbati Undecimo kallendas Aprilis, presentibus testibus infrascriptis, dominus Comes de Blandrato sive de puirilis et Guilelmus frater eius eorum nomine et Benedicti fratris eorum fuerunt confessi se mutuo recepisse et habuisse a domino Berrono de Ceresolis suo nomine et nomine Guilelmi filij sui et a domino Tebaudo de Ceresolis suo nomine et nomine filiorum suorum libras Trecentas Astenses Renunciando exceptioni non numerate et non recepte pecunie, et exceptioni doli mali et in factum et privillegio fori ita quod ubique fuerint conveniri possint, et omni alij legis auxilio, Quas libras trecentas denariorum Astensium dicti dominus Manuellus et Wilelmus fratres et quilibet eorum insolidum renunciando nove constitutioni de pluribus reis eisdem Berrono et Tebaudo suo et predictorum filiorum suorum nomine stipulantibus reddere et solvere promiserunt hinc usque ad mensem unum proximum, Et ad attendere et observare omnes terminos quos ipsi Berronus et Tebaudus inde eis statuerent seu prorogarent et dare et solvere eisdem creditoribus tam infra predictum mensem quam post ipsum mensem pro qualibet libra quolibet mense rato manente pacto, denarios tres Astenses usque in fine solutionis totius predicti debiti, et restituere omnia damna expensas et interesse, que quas et quod ipsi creditores et successores eorum fecerint et sustinuerint pro supradicta pecunia exigenda in causa et iudicio et extra iudicium eundo redeundo, placitando mutuo accipiendo et alio quocumque modo, Credendo ipsis Berrono et Tebaudo et eorum heredibus de predictis damnis expensis et interesse eorum simplici verbo, sine sacramento et sine qualibet alia probatione, et pro predictis omnibus et singulis obligaverunt dicti domini Manuellus et Guilelmus eius frater supradictis Berrono et Tebaudo eorum nomine et

nomine supradictorum filiorum suorum pignori omnia eorum bona et bona supradicti Benedicti fratris eorum et specialiter totum illud quod ipsi dominus Manuellus et Guilelmus frater eius et dictus Benedictus eorum frater habent tenent seu possident vel habere tenere seu possidere videntur in castro villa et territorio Tegeroni tam in hominibus et fidelitatibus successionibus hominum et contiti et iurisdicione aquatico et pasquatico quam in fodris bannis, fictis, drictis, decimis debituris et redditibus et perceptionibus omnibus et domibus terris cultis et incultis, vineis pratis pascuis, gerbis et nemoribus et alijs possessionibus universis de quibus omnibus predicti dominus Manuellus et Guilelmus eorum nomine et nomine Benedicti fratris eorum fuerunt confessi se possessionem et quasi possessionem dictis Berrono et Tebaudo eorum nomine et nomine filiorum suorum supradictorum corporaliter tradidisse, Constituendo se omnia et singula predicta tenere et possidere seu quasi tenere et possidere nomine Beroni et Tebaudi supradictorum et eorum filiorum predictorum quousque ipsi eorum propria auctoritate corporaliter acceperint possessionem quam possint ipsi et successores eorum, et eis liceat quandocumque voluerint apprehendere per se et per alium quemlibet sine requisitione et licencia alicuius magistratus seu domini, Et inde dicti dominus Manuellus et Guilelmus eius frater eorum nomine et Benedicti predicti dederunt et concesserunt eisdem Barono et Tebaudo pro se et eorum successoribus plenam licenciam et liberam facultatem, Promittendo eisdem tradere, conservare atque defendere ab omni persona corporalem possessionem et vacuam et quasi possessionem de toto suprascripto pignore Tegeronj, Tali modo quod ipsi Berronus et Tebaudus et eorum filij supradicti et successores eorum dictum pignus habeant teneant et possideant libere quiete et absolute, omnesque fructus redditus et godias inde percipiant, et ex eo pignore faciant iure pignoris quicquid facere voluerint sine contradictione dictorum domini Manuelli et Guilelmi et Benedicti et eorum successorum quousque ipsis creditoribus de toto suprascripto debito et de omnibus supradictis fuerit integre satisfactum. Fructus autem redditus et godias, quos et quas dicti creditores vel successores eorum vel alij pro eis habuerint seu perceperint ex pignore suprascripto computare debeant ipsi creditores et sibi retinere in solutum et pro solutione supradictorum denariorum trium pro qualibet libra quolibet mense, Et si quid plus ex dicto pignore seu ex fructibus redditibus et godijs ipsius pignoris dicti creditores vel alij pro eis perciperent vel haberent quam ascenderet summa predictorum denariorum trium pro libra quolibet mense sicut supradictum est, totum illud superfluum seu redditum, debeant ipsi creditores et successores eorum computare et sibi retinere in solutum et pro solutione sortis debiti supradicti quantum esset vel ascenderet illud superfluum tamen prius solutis expensis ab ipsis creditoribus vel eorum successoribus pro inde factis. Si quid vero deficeret ad solutionem et computationem integram faciendam, de supradictis denarijs tribus pro qualibet libra et quolibet mense, ut supradictum est, supradicti dominus Manuellus et Guilelmus fratres pro se et Benedicto fratre ipsorum dictis creditoribus et eorum successoribus complere et solvere promiserunt quolibet mense. Et hec omnia et singula suprascripta dicti dominus Manuellus et Guilelmus suo nomine et nomine supradicti Benedicti fratris eorum attendere et observare et in contrarium non venire nec facere aliquo modo, nec aliquo tempore sub aliqua subtilitate ingenij corporaliter

iuraverunt et promiserunt sub obligatione omnium bonorum suorum et dicti Benedicti. Interfuerunt testes rogati dominus Rolandus sacerdos Tegeroni et Oddinus de piro et Tebaudus de piro.

901. *De venditione dicto communi Ast facta per quosdam de Ceresolis de partibus quas habebant in Ceresolis et hominibus dicte terre pro precio librarum Mille Astensium.* 1254. 20 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo quarto Indictione duodecima, die dominico vigesimo mensis decembris presentia infrascriptorum testium, Tebaudus de Ceresolis suo nomine, et ipse Tebaudus et Guilelmus filius Berroni de Ceresolis et procurator ipsius Berroni sicut continetur in carta inde facta ab Ardizone de Albugnano notario hoc eodem anno et indictione die mercurj undecimo intrantis Novembris nomine ipsius Berroni vendiderunt et ex causa venditionis tradiderunt dunioto de Solario recipienti nomine communis Astensis, quartam partem totius castri et ville et contiti et signoriti et iurisdicionis meri et misti imperij loci et territorij Ceresolarum, et ultra predictam quartam partem vicesimam quartam partem tocius Castri et ville et Contiti et iurisdicionis meri et misti imperij loci et territorij Ceresolarum et ultra predicta totum illud quod ipsi habent vel visi sunt habere vel tenere in castro et villa et territorio Ceresolarum et hominibus eiusdem loci scilicet in contitu iurisdictione mero et mixto imperio castro villa sediminibus, fodris penis bannis et iure imponendi et exigendi fodra et milicijs imponendis pedagijs et curays, mollendinis et furnis, aquaticis et pasquaticis, venationibus piscationibus fictis drictis tercijs et quartis spalis et caponibus et quibusdam alijs redditibus aficatis et successionibus rupibus et ruynis Et specialiter homines infrascriptos cum eorum familijs qui sunt quilibet ipsorum caput familie, et quilibet ipsorum facit focum et stallum per se, in primis, Guilelmus presbiter, Jacobus presbiter, Aribertus Malos, Mussus de ponte, Jacobus Corneglinus, Nicholaus presbiter, Albertus Faber, Fiardus, Mussus Faber, Bayamundus Alinerius, Trane, henricus Caligerius, Otta Cavalla, filij Alaxie Rofine, Vivianus Rofinus, Guillelmus Rofinus, peronus Cacia, Vercellus Grixolius, Niger Cafer, Guilelmus Gavitulus, Jacobus Gavilice, Porcherus, Petrus Asinus, Oddo pultronus, henricus Calcerius, Gaveorna, Peracius Gorlini, Otto Faba, Martina payrolius, Sicardus Marcellengus, Johannes nepos Sicardi, Bonetus Marcellengus, Bordinus, henricus de Mannis, Jacobus Gavitulus, Jacobus Cazia, Obertinus Caza, Guilelmus Bauseme, Bayamondus Gaynaxius, Rodulfus Espiace, Bertolinus Gavaxius, Johannes Sacarius, Obertus Faber, Roberzonus Bertollinus, Bertalore, Guilelmus Baudracus, Jacobus Baudracus, Obertinus Petri poncij, Jordanus Baldrachus, Oddo Mulacius, Ogerius Baudrachus, Et sunt predicti homines, quorum quilibet caput familie numero quinqueginta duo. Item infrascriptos fictus et redditus, quos predicti Tebaldus et Berronus habent et habere debent in Ceresolis et territorio Ceresolarum ut confessi fuerunt dicti Tebaudus et Guilelmus, In primis Gandulfus Melior et eius fratres anuatim dare debent quartam denariorum duodecim pro fictu et decimam fructuum de iornatis duodecim terre et vinee. Item quartam partem decime bestiarum que nascuntur in suo stallo, et debent pro fictu anuatim denarios quatuor, et septimumdecimum fructuum de duabus iornatis terre. Item Borellus denarios XVIII anuatim pro fictu et terciam

partem bonorum exeuntium de duabus iornatis terre. Item Obertus Payrolius denarios quatuor anuatim pro fictu et decimam de duabus pecijs terre. Item Belia denarios quatuor anuatim pro fictu et decimam de duabus pecijs terre. Item parolius denarios quatuor pro fictu et decimam de iornatis quatuor terre. Item Guilelmus faber, duas partes denariorum octo pro fictu et novenum de Otto Jornatis terre. Item Anselmus payrolius solidos quinque pro fictu. Item Millanus et eius nepos denarios XVIII. pro fictu. Item denarios quatuor pro fictu et decimam de duabus iornatis terre. Item denarios tres pro fictu et quartam partem unius spale. Item Petrus Ungarus et eius consanguinei denarios quatuor pro fictu et decimam de iornatis quatuor terre. Item denarios quatuor pro fictu de uno cellario. Item Jacobus Ungarus et Rufinus denarios XII. pro fictu et decimam de XII. Jornatis terre. Item Oddinus Pollarus solidos octo et denarios duos pro fictu et decimam de omnibus terris Masi. Item Bonefacius denarios duos pro fictu et decimam de duabus iornatis terre. Item Petrus Asinus denarios sex pro fictu, et decimam bestiarum stalli et terrarum Masij. Item Jacobus Sanctus et Jacobus Roxerius denarios octo pro fictu et decimam de terra quam tenent ab eis. Item Jacobus Sanctus denarios XVIII., pro fictu de uno stallo intus villam. Item Petrus Mafina denaros quatuor pro fictu et decimam de duabus iornatis terre. Item Cresutus pro fictu solidos tres, et pro decima de duabus iornatis terre denarios duos. Item Guilelmus de Maglano terciam partem decime sui Masij et terciam partem decime bestiarum que nascuntur in suo stallo. Item filij Goslinij solidos duodecim pro fictu et decimam bestiarum que nascuntur in suo stallo et decimam terrarum de suo maso. Item octo Faba solidos XI denarios quatuor pro fictu et decimam terrarum sui Masi et bestiarum stalli. Item Maria denarios decem octo, de fictu et denarium unum, de stallo. Item Maria Resteis caponem unum pro fictu. Item Jacobus Gavitulus solidos duos pro fictu, denarium unum e stallo. Item Johannes Satarius denarios decem octo pro fictu et denarium unum e stallo. Henricus de Mateis solidos duos de fictu, et denarium unum e stallo. Item Johannes Bordinus denarios XVIII. fictu et denarium unum stallo. Obertus Faber denarios quatuor fictu et denarium unum de pecia una prati. Item Bovetus Marzellengus novenum de sex pecijs terre. Item decimam de una pecia vinee Riazolij. Item Otto Cavalla denarios sex fictu et denarium unum stallo. Item henricus Calierius caponem unum fictu. Item Guilelmus Rufinus et fratres solidos duos fictu. Item siardus caponem unum fictu. Albertus faber solidos decem fictu et decimam de iornatis decem terre. Item Jacobus Cornaglanus solidos V. fictu et decimam de Jornatis decem terre. Item Jacobus Corneglanus solidos quinque fictu et decimam de jornatis duabus terre et stalli. Item Exquilardus denarios quatuor fictu de quatuor iornatis terre. Item Guilelmus presbiter et nepotes solidos tres fictu et denarios duos pro decima de duabus iornatis terre. Item denarios quatuor fictu et decimam de quatuor iornatis terre. Et predicta vendiderunt cum pace et guerra exercitu et cavalcata succursu et reductu et omnibus alijs iuribus pertinentibus ad predicta vel aliquod predictorum, ad hoc ut ea omnia et singula melius consequi possint. Cedentes super hoc dicto dunioto recipienti nomine dicti communis omnia eorum iura et actiones que et quas habent vel sibi competunt vel competere possent in predictis vel occasione predictorum. Et predicta vendiderunt predicto dunioto dicto nomine

precio librarum Mille Astensium, quod precium fuerunt confessi sese recepisse in integrum a dicto dunioto nomine dicti communis, et inde vocaverunt sese solutos et quietos, Renunciando exceptioni non numerate pecunie et doli et in factum, Et etiam renunciantes in presenti contractu quod non possint dicere sese deceptos ultra dimidiam iusti precij vel dolum in presenti contractu intervenisse vel esse obligatos sine causa vel ex iniusta causa, Et volentes transferre dominium et possessionem in commune Astense constituerunt sese possessores predictarum rerum nomine dicti communis, dantes ipsi communi et ipsi dunioto et alij cuilibet civi Astensi pro communi licenciam et auctoritatem intrandi et accipiendi possessionem et quasi possessionem de predictis rebus sua auctoritate etiam venditoribus irrequisitis et etiam irrequisita iudicis vel magistratus auctoritate Ad quam apprehendendam constituerunt quemlibet rectorem vel commune Astense pro parte dicti communis Astensis procuratorem ut in rem suam, Eo modo facta est dicta venditio ut dictum commune predictas res venditas habeat teneat, quieteque possideat et in hoc et de his quicquid voluerit faciat et in eis hedificet sine contradictione dictorum venditorum et omnium aliarum personarum collegij et universitatis. Quas res venditas omnes et singulas prout superius sunt specificate vel date defendere auctorizare et disbrigare dicti venditores ab omni persona et contra omnem personam collegium et universitatem dicto dunioto stipulanti nomine dicti communis promiserunt, ex pacto in eo et de eo quod reperiretur esse feudum ecclesie Astensis, quod in eo quantum esset pro feudo defendere non teneantur, Et hoc sub pena dupli quam duplam dicto dunioto predicto nomine solvere promiserunt, si defendere auctoricare et disbrigare non possent predictas res et singulas superius venditas, Remissa in hoc per pactum expressum necessitate denunciandi. Qui Tebaudus et Berronus retinuerunt in Ceresolis eorum sedimina et domos et ortos, que et quas habent in villa Ceresolarum extra castrum et eorum terras donneas prata, vineas et eorum donnea et nichil aliud. Item dictus Tebaudus suo nomine et ipse Tebaudus et Guilelmus nomine dicti Berroni promiserunt dicto dunioto stipulanti nomine dicti communis Astensis dare in Ceresolis Centum millia lapides bene coctos et sic facere et curare quod filij ipsius Tebaudi et Berroni rata ac firma habebunt predictam venditionem et ea que superius sunt dicta et contra ea aliquo tempore non venire. Et pro his omnibus et singulis attendendis dictus Tebaudus suo nomine et dictus Guilelmus nomine dicti Berroni omnia bona ipsius Tebaudi et Berroni iandicto dunioto recipienti nomine dicti communis Astensis pignori obligaverunt. Actum Ast sub porticu sancte Marie de dom. Interfuerunt testes Anselmus Gohomondus, Guilelmus Brunus, Guilelmus Baronia, et dominus Thomas de Becarijs.

902. *De cessione nomine venditionis facta communi Ast per dictos de Ceresolis contra dominum Manuelem Comitem de Blandrato et eius fratres de libris VIII^c XXX de capitali et libris CXXII de lucro ac de libris MCCCL astensibus.* 1256. 30 Decembris.

Anno domini Millesimoducentesimoquinquegesimosexto Indictione quartadecima die iovis tercio kallendas Januarij. Actum in Brayda in domo ecclesie sancti Andree extra villam presentibus testibus domino Guilelmo Alferio, domino Oberto

platea, philippo de limogijs, dunioto de solario, domino Guidone de pallatio milite potestatis Astensis, presentia quorum dominus Berronus de Ceresolis et dominus Tebaudus eius frater vendiderunt et ex causa venditionis tradiderunt et dederunt cesserunt et mandaverunt domino Alberto de Turricella potestati Astensi et domino Guilelmo de Crene sindico communis astensis cuilibet eorum insolidum stipulantibus nomine et vice communis Astensis omnes eorum rationes et actiones reales et personales utiles et directas et omnia eorum iura realia et personalia utilia et directa, que et quas habent vel habere visi sunt ac ipsis competere videbantur adversus dominum Manuelem Comitem de Blandrato suo nomine et nomine fratrum suorum Guilelmi et Benedicti, et adversus res et bona dicti Comitis et fratrum suorum predictorum usque in libris Octingintis triginta, de Capitali et librarum Centumviginti duarum de lucro curso usque ad hunc diem occasione unius debiti sive de uno debito librarum Milletrecentarum quinqueginta astensium, quas dictus Comes Manuel suo nomine et nomine predictorum fratrum suorum dare debere videbatur predictis dominis Berrono et Tebaudo fratribus de precio et occasione precij venditionis quam ipsi Tebaudus et Berronus eidem domino Manueli suo nomine et nomine fratrum suorum supra dictorum fecerunt de castris villis et jurisdictionibus Anterixij et desaye, seu de eo iure quod habebant seu habere videbantur in predictis castris et villis pro quo debito et occasione cuius debiti et pro alijs conventionibus attendendis in carta eiusdem debiti denotatis, dictus dominus Manuel suo nomine et nomine dictorum fratrum suorum omnia sua bona et dictorum fratrum suorum pignori obligavit predictis Berrono et Tebaudo, Et specialiter totum illud quod ipsi dominus Manuel et fratres habent tenent seu possident vel habere tenere seu possidere videntur in castro villa et territorio Ceresolarum tam in hominibus fidelitatibus et successionibus hominum contitu et iurisdictione aquatico et pasquatico quam in fodris bannis fictis drictis decimis debituris, redditibus et perceptionibus hominibus et domibus terris cultis et non cultis, vineis, pratis pascuis gerbis et nemoribus et alijs possessionibus universis et cetera, ut hec omnia patent per instrumentum publicum inde factum ab ardizone de Albugnano notario in anno domini MCCLII. Indictione X^a^ die veneris undecimo mensis octubris. Item dederunt cesserunt atque mandaverunt dicti dominus Berronus et Tebaudus fratres predictis potestati et sindico communis Astensis stipulantibus nomine ipsius communis et cuilibet insolidum omnia sua iura et rationes reales et personales utiles et directas realia et personalia utilia et directa usque in libris ducentis de capitali et libris decemocto de lucro, quas et que habebant et habere visi sunt ac eis competere videbantur eorum nomine et nomine filiorum suorum adversus supradictum dominum Manuellem Comitem et Guilelmum fratrem suum eorum nomine et nomine Benedicti eorum fratris et adversus res et bona ipsius Comitis et fratrum suorum predictorum occasione unius debiti sive pro uno debito librarum Trecentarum Astensium dicti dominus Manuellus Comes et Guilelmus frater eius eorum nomine et Benedicti eorum fratris videntur dare debere supranominatis domino Berrono de Ceresolis suo nomine et nomine Guilelmi eius filij domino Tebaudo suo nomine et nomine filiorum suorum sicut apparet per cartam inde factam a Bayamondo Gavaxio notario in anno domini MCCLIII° Indictione Undecima die sabbati undecimo kallendas Aprilis, pro quo debito et alijs conventionibus attendendis in instrumento

notatis dicti dominus Manuellus et Guilelmus frater eius obligaverunt supradictis Berrono et Tebaudo eorum nomine et nomine filiorum suorum pignori omnia eorum bona et supradicti Benedicti fratris eorum, Et specialiter totum illud quod ipsi dominus Manuel et Guilelmus frater eius et Benedictus frater eorum habent tenent seu possident vel habere et tenere seu possidere videntur in castro villa et territorio Tegeroni sicut patet per cartam eiusdem debiti superius inanotatam. Tali modo dictam dationem et concessionem iurium et rationum et actionum nomine venditionis ut supra eorum nomine et predicto fecerunt suprascriptis potestati et sindico nomine communis astensis quod ipsum commune Astense aut cui dederit vel concesserit, seu quem habere tenere seu possidere statueret vel voluerit hjs rationibus et actionibus ita possit uti agere excipere replicare experiri causari intentare movere defendere appellare et quolibet alio quovis modo in causa et extra causam se tueri iurare facere adversus dictum dominum Manuelem suo nomine et nomine fratrum suorum et adversus eundem Comitem et Guilelmum fratrem eius eorum nomine et Benedicti fratris eorum et res et bona ipsorum et cuiuslibet ipsorum detentatores earum et eorum et pignora predicta tenere possidere et gaudire per se et per alium et in hjs habere regressum quemadmodum et ut dicti dominus Berronus et dictus Tebaudus fratres ante huiusmodi dationem et cessionem poterant et posse facere videbantur, Constituentes dictos potestatem et sindicum dicti communis et nomine ipsius communis ad predicta omnia facienda procuratores et actores ut in rem suam, Confitentes pignora predicta et omnia que superius data et concessa sunt tenere et possidere vel quasi nomine dicti communis quousque ipsum commune corporalem apprehenderit possessionem, quam ei apprehendere liceat quandocumque voluerit sua propria auctoritate. Hanc autem dationem venditionem et cessionem predictas fecerunt dicti fratres in manibus predictorum potestatis et sindici communis Astensis nomine ipsius communis pro precio librarum Millecentum septuaginta Astensis Monete. Quas ab eis nomine dicti communis confessi sunt recepisse et habuisse nomine precij, Renunciando exceptioni non numerate pecunie et precij non recepti, et spei numerationis et receptionis future et omni alij juri, et promittentes sese ita facturos et curaturos quod eorum filij predicta omnia confirmabunt et ratificabunt et rata et firma perpetuo habebunt et tenebunt et nullo tempore contravenient ad voluntatem et arbitrium communis Astensis quod si non facerent omne damnum et interesse et dispendium que proinde dictum commune habeat vel incurreret vel sustineret promiserunt singulariter restituere. Die eodem et loco et presentibus eisdem testibus, dominus Beronus de Ceresolis, fecit constituit et ordinavit dominum Tebaudum de Ceresolis, fratrem suum presentem et mandatum suscipientem, suum certum nuncium actorem et procuratorem ad confirmandum approbandum et ratificandum et de novo faciendum secundum quod placuerit communi astensi illam venditionem sive dationem et cessionem, quam et quas dicti fratres hodie fecerunt domino Alberto de Turricella potestati Astensi et domino Guilelmo de Crene sindico communis astensis cuilibet eorum insolidum nomine et vice communis astensis de omni iure ratione et actione et de omnibus iuribus et actionibus que et quas dicti dominus Berronus et Tebaudus fratres habebant et habere visi erant adversus dominum Manuellem Comitem de Blandrato suo nomine et nomine fratrum suorum Guilelmi et Benedicti, et adversus res et bona dicti Comitis et fratrum suorum usque

in libris DCCCXXX de capitali et libris CXXII de lucro curso usque in hunc diem occasione unius debiti sive de uno debito librarum MCCCL, quod dictus Comes suo nomine et nomine dictorum fratrum suorum dictis Berrono et Tebaudo dare debere videbantur, Et pro quo debito dictus Comes suo nomine et nomine dictorum suorum fratrum obligaverat pignori dictis Berrono et Tebaudo totum illud quod ipse dominus Manuel et fratres habebant et possidebant vel habere tenere et possidere videbantur in Castro Villa et territorio Ceresolarum ut hec patent per instrumentum debiti inde factum ab ardizone de Albugnano notario in anno domini MCCLII Indictione decima, die veneris undecimo mensis Octubris. Item et usque in libris ducentis de Capitali et libris decemocto de lucro occaxione unius debiti sive de uno debito librarum Trecentarum quod dicti dominus Manuellus Comes et Guillelmus frater eius eorum nomine et nomine Benedicti fratris eorum videbantur dare debere supranominatis domino Berrono suo nomine et nomine Guilelmi eius filij, et domino Tebaudo suo nomine et nomine filiorum suorum sicut apparet per cartam debiti factam a Bayamondo Gavaxio notario in anno domini MCCLIII indictione undecima die sabbati undecimo kallendas Aprilis, pro quo debito dictus Comes et Guilelmus eius frater, eorum nomine et predicto obligaverunt dictis domino Berrono et Tebaudo eorum nomine et predicto totum illud quod habebant tenebant et possidebant in castro villa et territorio Tegeroni, Et ad omnia et singula alia facienda que pro predictis rationibus et actionibus vendendis dandis et cedendis ad voluntatem communis Astensis fuerint facienda usque in quantitates superius denotatas, ad petendam exigendam et recipiendam solutionem nomine dicti Berroni et eius filij Guilelmi pro eorum parte a communi Astensi sive ab alio pro ipso communi de precio venditionis sive dationis et cessionis iurium et actionum predictarum, quod precium est librarum MCLXX astensium, ut dictus Berronus firmiter conservabat, Et ad faciendum cartam confessionis et pacis et finis de ipso debito in totum et in partem, Et generaliter ad omnia sua facta et negocia peragenda et consumanda et perficienda, que dictus dominus Berronus facere habet vel videtur habere in civitate Astensi quavis occasione, Et ad ea omnia et singula facienda et percomplenda que in predictis et circa predicta et quodlibet predictorum fuerint necessario facienda, dando et concedendo eidem Tebaudo plenam liberam et generalem administrationem ad omnia predicta et singula facienda, Et ad ea omnia que fieri et compleri possunt per aliquem procuratorem et nuncium generalem legitime constitutum. Promittens dictus Berronus suo nomine, et nomine filij sui, michi notario stipulanti nomine omnium et singulorum quorum intererit quicquid dictus Tebaudus fecerit in predictis et circha predicta et quolibet predictorum ratum et firmum habere et tenere, et nullo tempore contravenire, Et promisit se ita facturum et curaturum quod Guilelmus eius filius omnia predicta et singula rata et firma habebit et tenebit in perpetuum et nullo tempore contraveniet, Et pro predictis omnibus attendendis ut supra dictus dominus Berronus omnia sua bona michi notario predicto nomine stipulanti pignori obligavit. Actum Brayde in domo ecclesie santi Andree extra villam. Interfuerunt testes dominus Guilelmus Alferius, dominus Obertus de platea, Philippus de limogijs, duniotus de Solario et dominus Guido de palatio miles potestatis.

Ego Jacobus Valbella notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

(PARS QUINTA. DIVERSA INSTRUMENTA ET SCRIPTURE).

CLXXI. De Sabaudia. Tractatus.

903. *De concordia facta inter dominum Thomam de Sabaudia Comitem qui dicitur de Flandria ex una parte et commune Ast ex altera, In qua dicto communi fidelitatem fecit de Cabureto et tota terra quam tenet citra Montes Excepto quam de Taurino et Ponte Taurinj et Motta.* 1252. 28 Julij [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo secundo Indictione decima die dominico quinto kallendas Augusti. In nomine domini nostri yhesu christi amen ad honorem ipsius et gloriose Marie virginis matris eius, et beati Secundi martiris christi et omnium sanctorum et sanctarum dei, Ad honorem commodum et utilitatem communis Astensis et domini Thome de Sabaudia Comitis et omnium amicorum ipsorum, Hec est forma pacis et concordie de novo celebrate et facte inter comune Astense ex una parte et dominum Thomam de Sabaudia Comitem qui dicitur de Flandria ex alia. In primis Actum est inter dictum comune Astense et dictum dominum Thomam Comitem quod Comes predictus dabit operam efficacem quod dominus Amedeus Sabaudie Comes remittat ei fidelitatem quam ei fecit de terra quam tenet citra montes et concedet eidem ut de ipsa terra communi Astensi fidelitatem faciat dictus dominus Thomas, Si hoc adimpleri poterit ad voluntatem comitis Sabaudie, Si vero hoc adimpleri non poterit et magis videbitur communi Astensi pro ipso comuni expedire et utilius, Actum est quod dictus dominus Thomas faciat fidelitatem communi Astensi de Cabureto et tota alia terra quam tenet et possidet ipse vel alius pro eo citra montes, excepto de Taurino et ponte Taurini et excepto de Motta que est citra padum, Remanente insuper Comite Amedeo vasallo communis Astensis ut nunc est, Salvis pactis et conventionibus habitis et factis hactenus inter Comitem Sabaudie et comune Astense secundum quod in cartis inde factis plenius continetur. Item quod dictus Comes teneatur et debeat facere pacem et guerram pro communi Astensi contra omnes personas de tota terra quam tenet ipse vel alius pro eo citra montes, salvo contra fratrem suum Comitem Amedeum et suam terram et suos successores. Versa vice commune Astense teneatur et debeat dare auxilium et iuvamen ipsi Comiti Thome ad manutenendum et defendendum totam terram quam tenet et habet ipse vel alius pro eo, citra montes, contra omnes personas, excepto quam contra Comitem Sabaudie, Salva concordia Albensium et salvis civibus et vasallis et iuratis civitatis Astensis secundum quod in cartis conventionum ipsorum civium et vasallorum et iuratorum et comunis Astensis plenius continetur, hoc acto quod si cives vel vasalli vel iurati offenderent dictum Comitem Thomam vel suos homines comune astense teneatur facere et curare sic quod offensio restituatur et emendetur, Alioquin teneatur iuvare

[1] Huius foederis instrumentum aliqua ex parte mancum iam in lucem prodiit in *Monum. Hist. Patr.* cit. Chart. Vol. I col. 1415 ad fidem recentioris exempli penes Ab. Sotero.

ipsum Comitem in suo iure. Item ordinatum est et actum quod locus Montiscalerij remaneat et sit, eo statu quo nunc est non obstantibus pactis superius ordinatis, Ita quod predicta nullum preiudicium faciant communi Astensi, neque predicto Comiti Thome in Montecalerio in eorum iure, aliquo casu, Eo tamen salvo quod aliquibus non obstantibus homines Montiscalerij per terram Comitis Thome undique realiter et personaliter libere et secure uti possint, Et homines dicti Comitis in Montecalerio et posse, facere possint illud idem, et predictum negocium Montiscalerij remaneat in predicto statu quam diu fuerit de voluntate communis papie, Salvo eo quod commune papie vel alius pro ipso communi non possit vel debeat aliquid pronunciare ullo modo de loco Montiscalerij inter commune Astense et Comitem supradictum, hoc addito et acto si commune Astense vel aliqua singularis persona acquirere poterit aliquid in Montecalerio vel posse, quod hoc facere possit non obstantibus aliquibus capitulis supradictis. Item actum est quod si Comes predictus guerram vel offensionem faceret hominibus Montiscalerij, quod tunc comune Astense non obstante concordia predicta bene possit iuvare et defendere si voluerit locum et homines Montiscalerij tam contra ipsum Comitem quam contra omnes alias personas que guerram facerent ipsi loco, Et non ipsum Comitem de ipsa guerra iuvare teneatur. Item actum est, quod si aliquis de posse et districtu dicti Comitis Thome ad partes de Aste vel posse Astensi se transtulerit moraturus quod res ipsius transferentis tam mobiles quam immobiles, quas haberet in terra dicti Comitis ad ipsum Comitem pervenire debeant, et comune Astense proinde nullam possit molestiam versus dictum Comitem movere, ullo capitulo non obstante. Eodem modo intelligatur pro comuni Astensi, si aliquis de posse et districtu Astensi se transferret moraturus ad partes dicti Comitis vel in posse suo. Item actum est quod dictus Comes non possit aliquid acquirere ex aliqua causa de novo citra padum versus Ast sine voluntate communis Astensis. Item actum est quod dictus Comes teneatur et debeat facere fieri fidelitatem communi Astensi ab hominibus et castellanis illius terre quam ipse Comes tenebit in feudum a communi Astensi. Que omnia et singula suprascripta dominus Sigenbaudus de Opizonis potestas Astensis voluntate consilio et consensu utriusque credentie et Rectorum societatum per campanam et nuncios loco et more solito congregate et congregatorum et ore ad os interogatorum et scriptorum, et ipsi credendarij et rectores nomine et vice communis Astensis, quorum nomina inferius denotantur ex una parte, Et dictus dominus Thomas Comes per se et suos successores ex alia ad invicem stipulantes firmaverunt promiserunt et iuraverunt corporaliter ad sancta dei evangelia attendere observare et complere bona fide et sine fraude et nullo tempore contravenire. Quibus omnibus sic peractis dictus potestas Astensis voluntate supradictorum credendariorium, et rectorum societatum per lignum quod in manu tenebat investivit dictum dominum Thomam Comitem in gentile feudum de Cabureto et tota alia terra, quam ipse Comes vel alius pro eo tenet habet et possidet citra montes Excepto de Taurino et ponte Taurinj et Motta que est citra padum prope pontem Taurinj secundum quod in suprascriptis conventionibus continetur, de quo feudo dictus dominus Thomas Comes fecit et iuravit in manibus dicti potestatis recipientis nomine et vice comunis Astensis osculo pacis de omnibus interveniente fidelitatem, tali forma quod decetero erit fidelis communi Astensi et diviso, et quod dabit fortiam et virtutem consilium et

iuvamen quod comune Astense totam terram quam tenet vel alius pro eo teneat et possideat, et siquid ex ea ammitteret, quod deus avertat dabit forciam et virtutem consilium et iuvamen, quod comune Astense illud recuperet bona fide, Et quod salvabit ubique comune Astense et divisum toto suo posse, Et quod non erit in loco vel stallo ubi commune vel divisum amittat honorem vitam vel membrum, Et si erit vel fuerit, quod illud defendet et disturbabit suo posse, Et si disturbare non poterit denunciabit dicto communi per se vel per alium, quam citius poterit, et omnia alia facere, que in sacramento fidelitatis continentur. Nomina autem credendariorum sunt hec, Capra de Solario, Guilelmus Alferius, Ruffinus Gutuarius et Petrus de Aracio rectores societatis militum, dominus Otto de Canevanova potestas societatis sancti Secundi, dominus Thomas de Solario, dominus petrus laurencius, Rollandus Balbus, Guilelmus Gardinus, Philippus Thomas, Obertus Galius, Guilelmus de Quarto, Azo Crivellus, Jacobus prevengus, Raymondus de Solario, Pancia de Solario, Jacobus Sicardus, Thomas de Serra, Anselmus vacha, Jacobus de Gorzano, Bonefacius de Moneta, Bovinus de Bovinis, Jacobus de Tarsijs, Jacobus Aliacus, Rollandinus Cacayranus, Guilelmus de vivario, Rufinus de Rippa, Thomas Constancius, Jacobus de Gorzano, Maynfredus de vivario, Petrus Caldarinus, Thomas Cazo, Jacobus Soldanus, Roffinus taricus, Johannes daracius, Guilelmus de Bozolascho, Guilelmus de Solario, Berrardus de Solario, Thomas Machalufus, Ogerius Mignanus, Guilelmus de Sybona, henricus Fornarius, Jacobus Braerius, Jacobus de Nanteis, Alcherius Curia, Henricus Mussus, Guilelmus Rovezolius, Oddinus de Abbate, Oddo Monacus, Oddo Galellus, Rodulfus Gardinus, Manfredus Cathena, Fredericus dives, Obertus Gimomus, Jacobus Bertaldus, Jacobus Scarampus, Jacobus Garretus, Bocius Asinarius, Rollandus Ottinus, Baudonus de Sancto iohanne, Maynfredus Mazochus, Henricus pallidus, Raymondinus Falletus, Guilelmus Faber, Guilelmus Boytus, Raynerius Bertaldus, Jacobus de sanctoiohanne, paganus Falletus, Testa de Testis, Alexander de Gorzano, Maynfredus Constancius, petrus Marenchus, Guilelmus Alionus, Ubertus Bertramus, Boninus Falletus, Guilelmus Asinarius, Raxonus Asinarius, petrus de Alba, Obertus de Ceva, pellerinus de ponzio, dominus Obertus de platea, Thomas de Castagnolis, Guilelmus de Brina, henricus Specialis, Guilelmus Cayerius, Obertus de Setta, Obertus Marronus, Ubertus Machalufus, henricus de Serra, Conradus Aquillarius, Henricus Bassus, Manfredus pelleta, Rufinus petitus, Guilelmus Mancinus, Guilelmus Turrellus, Ardicio de Arpezano, Obertus Bertaldus, Alexius Mazochus, Caponus Laurencius, Gandulfus Aycardengus, Anselmus Bertramus, dominus Jordanus de Ralvengo, Bonefacius Bertaldus, dominus Andreas Constancius, Raymondus Asinarius, Ubertus Arnaldus, Ottellus Buchanigra, Oddo Testa, Palmerius de Solario, Maynfredus Augustus, Bauduynus de Solario, Jacobus Garetus, Rollandus de platia, Guilelmus Cacayranus, Ghigleta, Rollandus de Comentina, Guilelmus de Solario, Johannes de Solario, Bonefacius Constancius, henricus de pollencio, Rolandus de Brayda, Jacobus Monachus, Robaldus de platia, pollastra de porta, Barge Spaerius, Conradus Cacayranus, Jacobus Silvaticus, Alexander Mignanus, Mascharus de Solario, Obertinus daracius, Nicholosus Mignanus, Jacobus Cunibertus, Aycardus Rotarius, Jacobus Sbaratus, Manuellus pallidus, homodeus pallidus, Ulrichus Caresomus, Jacobus Rovezolius, Ubertinus Cacayranus, Thomas Bocius, Bertholomeus Rotarius, Oliverius de Fossato, petrus porcellus, Ubertus

Belserius, Jacobus Cicia, Jacobus Alferius, Rufinus Garetus, Rodulfus de Castagnolis, petrus Turellus, Gandulfus Ottinus, Nicholaus prevengus, Obertus Gardinus, peracius Buchanigra, Germanus Musa, pellerinus de Moncalvo, Jacobus de lavezolis. Et inde dictus potestas Astensis pro communi, Astensi unum et plura eiusdem tenoris instrumenta fieri iussit, quorum unum hoc est factum pro communi Astensi. Actum est in pallatio comunis Astensis, interfuerunt testes, dominus Guilelmus ysembardus et dominus paganus Balbus ambaxiatores communis Papie, dominus Rufinus de Gorzano, dominus Robertus de Gorzano, dominus Otto de Fulcere, Ubertus de Gorzano filius quondam domini Bonefacij, dominus Biglator de lucerna, dominus Otto de Canevanova, dominus Johannes delarocha de papia, Rodulfus Scalia notarius, dominus Guilelmus Rozolinus et Thomas filius domini Biglatoris de lucerna.

Ego Jacobus Valbella notarius pallatinus interfui et iussu suprascriptorum domini potestatis Astensis et domini Comitis sic scripsi in testimonium veritatis,

904. *De conventione et concordia tractata per Abbatem Secusie nomine dicti domini Thome ex una parte et comune Ast ex altera, et de donatione per eum facienda dicto comuni de locis et castris Montiscalerij, pontis ipsius loci, Cabureti Montosoli et Cargnani et de omnibus que habebat citra Montes.* 1255. 26 Novembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo quinto Indictione Terciadecima die veneris vicesimo sexto mensis Novembris, hec est forma concordie et tractatus pacis ordinati et facti inter dominum Albertum de Turricella potestatem Astensem et dominum Guilelmum Alferium, dominum Guilelmum de Crene, dominos Obertum de platea et Rufinum Garetum sapientes Astenses nomine comunis Astensis ex una parte et dominum Jacobum dei gratia Abbatem Secusie nomine domini Thome de Sabaudia Comitis et pro ipso Comite ex alia. In primis ordinatum est et tractatum, quod dictus Comes donet et concedat communi Astensi locum Montiscalerij cum castro et ponte ipsius loci et cum omnibus pertinentijs terris et possessionibus iuribus et rebus que sunt in posse dicti loci, Et castrum et villam Cabureti cum omnibus suis pertinentijs, terris et possessionibus iuribus et rebus que sunt in posse ipsius castri, Et castrum Montoxoli cum pertinentijs, et omnia sua jura rationes et actiones quas et que habet vel habere visus est in dictis locis, et quolibet ipsorum, Et omnia alia et singula que habet vel habere visus est tenet vel possidet tenere vel possidere videtur ipse vel alius pro eo citra padum versus Ast in aliquo loco vel in aliqua parte, ita quod communi Astensi dabit et restituet omnia privilegia et instrumenta que habet super predictis locis, et quolibet predictorum, et super dominio et juribus et rationibus eorundem et cuiuslibet predictorum. Item quod dictus Comes teneatur et debeat firmiterque promittat non posse aliquid habere vel acquirere ipse vel sui heredes in perpetuum citra padum versus Ast. Item quod dictus Comes donet et concedat comuni Astensi castrum et villam seu locum Cargnani cum omnibus pertinentijs ipsius loci et omnia iura rationes et actiones, que et quas habet vel habere videtur in ipso castro et loco aliquo quovis modo integraliter. Item quod dictus Comes non impediat per se vel per alium terras et possessiones, quas illi qui habitant citra padum, habent ultra padum. Item quod expediat et dimittat et dimitti faciat libere et

absolute Thome Scribano de Montecalerio terras et possessiones quas habet vel habere videtur ipse vel alius pro eo in Comaniana vel alibi in terra ipsius Comitis. Item ordinatum est et tractatum quod dictus Comes expediat et dimittat omnes captos et hostagios quos habet de Montecalerio cum eorum rebus sine aliquo dacito libere et absolute, et absolvat omnes securitates et promissores siquos ei dederant vel fecerant. Item quod dictus Comes expediat et dimittat et dimitti et expediri faciat omnes cives Astenses ubicumque detineantur in terra ipsius Comitis vel Comitatus Sabaudie, et specialiter Fredericum Ypolitum, Allardum Bovetum et filium Oberti Gareti, et militem potestatis societatis Sancti Secundj cum omnibus eorum rebus ablatis eisdem. Item quod dictus Comes, expediat et dimittat liberum et absolutum Bastardinum de Monteferrato. Item tractatum et ordinatum est inter eos quod omnes et singuli cives Astenses sint liberi et immunes ab omni pedagio sive maletolta per totam terram quam dictus Comes tenet et tenebit in feudum a communi Astensi, In alijs vero locis, et in alia terra, quam non tenet a communi Astensi erit tacitus et contentus et faciet et curabit sic quod eius nepos Comes Sabaudie, filius quondam domini Amedei Comitis Sabaudie erit tacitus et contentus versus comune et cives Astenses pedagijs antiquis et consuetis. Item ordinatum est et tractatum quod dictus Comes ita faciet et curabit quod talea facta super cives Astenses commorantes et utentes ultra Montes penitus absolvatur que est de libris Tribusmillibus ducentis Turronensium, Et si aliquid exactum est de ipsa talia illud integraliter faciet restitui civibus Astensibus qui solverunt. Item quod ipse Comes teneatur et debeat et promittat facere solutionem civibus Astensibus de toto eo quod eis et cuilibet ipsorum dare tenetur et debet ut in eorum cartis continetur vel literis roboratis sigillo eiusdem Comitis. Item ordinatum est et tractatum quod dictus Comes Thomas se compromittat in dominum potestatem Astensem et predictos quatuor sapientes nomine comunis Astensis, et stare in eorum dicto et sententia de omnibus discordijs controversijs et litibus que vertuntur vel verti sperantur aut possent inter ipsum Comitem ex una parte, et commune et homines Taurinj ex alia, Ita quod instrumentum et pena compromissi fieri debeat secundum quod placuerit dictis potestati et quatuor sapientibus Astensibus. Item quod dictus Comes ex una parte et comune Astense ex alia ad invicem una pars alteri parti faciat pacem et finem et omnimodam absolutionem et remissionem de omni damno et de omnibus iniurijs offensionibus et guastis, quocumque modo datis vel illatis hinc inde inter ipsas partes usque ad hunc diem. Item quod dictus Comes ratificet et firmet et attendere et observare de novo promittat et iuret omnia pacta et conventiones olim factas et facta inter comune Astense ex una parte et dominum Thomam Comitem Sabaudie patrem suum quondam ex alia, ita quod de ipsis pactis teneatur in omnibus et per omnia ipse et sui heredes quemadmodum et ut dictus Comes Sabaudie pater eius quondam tenebatur, Apponendo formam pactorum et conventionum veterum in presenti nova conventione, Salvis tamen omnibus et singulis pactis et conventionibus suprascriptis in omnibus et per omnia, Et commune Astense teneatur dicto Comiti et suis heredibus, quemadmodum Comiti Sabaudie quondam et suis heredibus tenebatur, sicut in pactis veteribus continetur, salvis per omnia conventionibus suprascriptis. Item quod dictus Comes teneatur et debeat facere securitatem comuni Astensi de predictis omnibus et singulis perpetuo attendendis et

observandis secundum quod superius scripta sunt per sacramentum et fidelitates castellanorum et hominum terre sue, ita quod si Comes predictus predictam concordiam et pacta predicta non attenderet communi Astensi, quod ex nunc deinde teneantur de fidelitate comuni Astensi, de toto eo, quo tenentur vel teneri videntur ipsi Comiti, Et non ipsi Comiti ulterius in aliquo teneantur. Item ordinatum est et statutum quod baliste omnes cum sagittamine que sunt in castro Montiscalerij et super pontem sint communis Astensis et omnia victualia que ibi sunt, persone vero cum omnibus suis munitionibus et alijs rebus suis, undecumque sint, libere permittantur. Item tractatum est et statutum quod commune Astense teneatur ita facere et curare per posse, quod dictus Comes Thomas exeat et liberetur de carceribus, quibus detinetur apud Taurinum. Et si fieri non posset comune Astense teneatur facere comuni et hominibus Taurinj vivam guerram, nec cum eis facere pacem vel treuguam, vel pactum aliquod nec eis restituet eorum captivos vel aliquem ipsorum quousque dictum Comitem expedierint et relaxaverint. Et eodem modo et forma teneatur comune Astense Thomam Marchionem Salutiarum a carceribus hominum Taurinj penitus facere expediri suo posse a dicto comuni Taurinj, Et sicut superius in omnibus et per omnia dictus dominus Abbas Secusie promisit et convenit dictis domino potestati et quatuor sapientibus et toti consilio civitatis Astensis generali nomine et vice communis Astensis stipulantibus, Ita ad Sancta dei evangelia iuravit attendere et observare bona fide et sine fraude pro suo posse, et facere et curare sic quod predicta omnia et singula compleantur et attendantur observentur et fiant comuni Astensi per dictum dominum Comitem prout superius scripta sunt et tractata usque ad terminum sibi datum et statutum per dictum dominum potestatem et quatuor Sapientes Astenses, et si usque ad dictum terminum predicta omnia et singula fieri compleri et observari a dicto domino Comite non fecerit vel non poterit, promisit et iuravit tactis sacrosanctis evangelijs Reverti ad carceres comunis Astensis termino statuto a predictis potestate et sapientibus. Et versa vice dictus potestas et quatuor sapientes voluntate consilio et consensu utriusque credentie et Rectorum societatum et ipsi credendarij et rectores nomine et vice communis Astensis attendere observare et complere per omnia promiserunt et ad sancta dei evangelia iuraverunt omnia et singula Suprascripta Et inde ambe partes unam et plures cartas ad postulationem cuiuslibet, qui voluerit, fieri iusserunt. Actum in Montecalerio in ecclesia sancte Marie, que est in platea ipsius loci. Interfuerunt testes, dominus Bonefacius de plozascho, dominus Albertus de Casellis, Mellanus Grillus notarius, Obertus de Ceva notarius, Thomas Aycardengus, Guilelmus Turrellus et plures alij.

Ego Jacobus Valbella notarius pallatinus interfui et iussu partium sic scripsi.

905. *De quadam pace et concordia tractata et firmata inter dictum dominum Thomam de Sabaudia Comitem ex una parte, et comune Ast ex altera super relaxatione ipsius Comitis, et omnium Astensium et Taurinensium captivorum tam citra quam ultra montes, In qua dictus dominus Thomas dedit comuni Ast Summamrippam de Boscho et Caramangnam pro eius expeditione, Et eciam promisit facere fidelitatem de Montecalerio dicto comuni Ast, quemadmodum fecit de Vigono, et multas alias promissiones fecit, pro quibus attendendis et obsides dati fuerunt et plura castra specialiter obbligata.* 1257. 31 Maij [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo septimo Indictione quintadecima, die iovis ultimo mensis Madij, In pleno consilio civitatis Astensis. Hec est pax facta iurata et firmata inter dominum Thomam de Sabaudia Comitem ex una parte et commune Astense et dominum henricum de Brusamanticis, iudicem et vicarium domini Jacobi Zacij potestatis Astensis nomine ipsius communis ex altera. In primis vult dare et facere infrascripta dominus Comes de Sabaudia communi Astensi pro pactis et conventionibus habitis inter eos, sive ipsius nuncios ex una parte et commune Astense ex altera. In primis illa duo castra domini Jacobi Marchionis de Careto et filium eius secundum quod continetur in pactis et conventionibus inde factis et que inferius scripta sunt ita quod custodiantur ad voluntatem communis Astensis secundum quod tractatum est. Item castrum et locum Mercurolij cum pertinentijs vel loco eius, castrum et locum villefranche cum omnibus suis pertinencijs. Item castrum et locum Carmagnole cum pertinentijs, vel loco eius castrum Revelli et locum cum pertinencijs. Item castrum et locum Cabureti expeditum ab omni vinculo obligationis et castrum et locum Caburri de plano, et castrum et locum Cumaniane cum pertinentijs predictorum castrorum. Tali modo quod si predictus Comes dederit castrum et locum Cargnanj in forcia et virtute communis Astensis, quod de predictis tribus castris proxime dictis duo restituantur ipsi Comiti que placuerint communi Astensi, que omnia castra custodiantur et custodiri debeant per comune Astense ad expensas dicti Comitis et per illos quos voluerit comune Astense. Item duos filios legitimos dicti domini Comitis primogenitos. Item viginti ostagios de melioribus et ditioribus terre dicti domini Comitis, quos eligere voluerit comune Astense, qui filij et obstagij debeant custodiri ad expensas dicti Comitis in forcia et virtute comunis Astensis. Item faciet quod ambaxiatores domini Regis et domine Regine Francorum dabunt communi Astensi literas quas exportaverunt ex parte Regis et Regine pro expeditione hominum de Ast, Et quod litere et petitio de decemmillibus libris, quas petit domina Regina Francie cassentur et irritentur et non petantur a communi Astensi vel hominibus de Ast, Et quod litere ille quibus continetur quod commune debet absolvere omnes barones de Ultramontes de eo quod fecerunt contra homines de Aste non valeant nec teneant, nisi prius Astensibus restitutis et alijs eorum sequacibus sicut in pactis continetur. Respondit

[1] Documentum hoc iamdiu in lucem prodiit in *Monum. Hist. Patr.* cit. Chart. Vol. II. col. 1550. transcriptum ex autographo in R. Taur. tabulario asservato.

Comes de decemmillibus libris facere voluntatem communis Astensis, super literis tractabit cum sapientibus Astensibus. Tractatum et concordatum est, quod dominus Ugo dux Brugondie faciat suas literas obligatorias cum sigillo pendenti, quod faciet et curabit quod usque per totum Augustum comune Astense habebit literas domini Regis et domine Regine missas et oblatas per suos ambaxiatores vel meliores, et ipsum commune dabit literas, quas petunt dicti ambaxiatores de pace et fine, cum adiuctione tali si persone et res hominum de Ast et aliorum de quibus tractatum est, fuerint restitute. Item dabit literas domini pape pro expeditione hominum de Ast secundum quod tractatum est. Item curabit sic quod unus Cardinalis sive legatus et specialiter dominus Ottobonus vel alius sufficiens ibit ultramontes in Franciam et quolibet loco ubi necesse fuerit pro hominibus de Ast et alijs eorum sequacibus expediendis, et quod eos faciet expediri sine aliquo dispendio hominum de Ast pro legato faciendo si per ipsum Comitem non possent expediri. Item faciet et curabit sic cum Rege et Regina Francorum et alijs baronibus et personis, quod homines de Ast in personis et rebus secure recedent venient stabunt et ibunt sine impedimento ubicumque ultra montes, secundum quod tractatum est donec expediti fuerint in personis et rebus et ad domos reversi fuerint. Item faciet predictus Comes quod dominus petrus et omnes Comites de Sabaudia tam clerici quam layci attendent et observabunt et confirmabunt omnia predicta et infrascripta pacta et conventiones factas et habitas inter comune Astense et suos coadiutores ex una parte, et dictum Comitem et suos nuncios ex altera. Eodem modo faciet de domino Rege et domina Regina Francorum. Item dictus Comes, quam cito relaxatus fuerit de Ast ibit personaliter ultramontes et in franciam et per omnia loca ubi necesse fuerit ad expediendum et desbrigandum omnes et singulos homines de Ast cum rebus suis, et illos cum eorum rebus de quibus tractatum est in pactionibus et omnes alios universos de parte Astensi, Quam expeditionem et disbrigationem faciet et fieri faciet et fieri facere teneatur usque per totum Augustum, Intelligatur de omnibus captis et arestatis in rebus et personis ab uno anno ultra quam guerra presens fuerit incepta et ab eo tempore citra, Intelligit Comes expedire usque ad dictum terminum illos in avere et in personis qui sunt impediti apud parisius et apud Trexium et per campaneam. Super alijs ordinabit terminum et iuravit quod ibit et expediet omnes quam cito poterit non expectato aliquo termino. Insuper dominus Ugo dux Brugundie ad maiorem cautelam promittet communi Astensi et incontinenti promisit sic facere et curare quod predicta omnia et singula tractata et ordinata ut dictum est supra attendantur et observentur in omnibus ut predictum est, et quod faciet literas sue promissionis eius sigillo pendenti roboratas et eas dimittet et dabit comuni Astensi. Et si predicta non attenderentur ut supra, ipse dominus dux promittet, et in ibidem promisit personaliter venire et stare apud Laudunum, nec inde discedere donec predicta fuerint observata et completa ad expensas dicti domini ducis. Et hec sive requisitus fuerit dictus dominus dux ut predicta non fuerint observata sive non, Et ibidem dictus dominus dux obligavit se ad observandum predicta sub pena librarum decemmillium Turonensium. Et hec omnia predicta et singula predictus dominus Thomas de Sabaudia Comes iuravit supra sancta dei evangelia attendere et attendi facere salvis omnibus pactionibus et conventionibus cartis et contractibus factis et

habitis inter comune Astense ex una parte et ipsum Comitem vel eius nuncios ex altera. Actum super pallatio comunis Astensis. Item dominus Jacobus dei gratia Abbas Secusie et dominus Ubertus de Monmeliano voluntate ipsius Comitis iuraverunt omnia supradicta attendere et attendi facere, et dare operam cum effectu quod attendantur et compleantur. Testes et presentes ibi erant dominus Ugo dux Burgundie, dominus Jacobus dei gratia Abbas Secuxie, dominus Jacobus Marchio de Careto, dominus Ubertus de Montemeliano, dominus Nicholosius de Flischo, dominus obertus de platea, Bertholomeus Rotarius, dominus Thomas de Becharijs, dominus Guilelmus de Crene potestas populi Astensis, dominus Jacobus pelleta, Laydus Testa, Bocius de platea et multi alij in pleno consilio. Tractatus pacis et conventiones et pacta, que salvi debent esse ultra predictam pacem sunt isti, quorum tenor talis est. Die dominico quinto mensis novembris, fiat pax inter Comites de Sabaudia ex una parte et commune Astense et Taurini ex altera in hac forma, dominus Thomas de Sabaudia Comes dabit communi et Hominibus de Aste Summamrippam de Boscho cum omni jurisdictione, et Caramangnam sicut tenebant domini de lucerna, Salvo iure illorum de Casanova, quod habent in predictis, et quod habebant eo tempore quo domini lucerne predicta loca tenebant. Item faciet dictus Comes comuni et hominibus de Aste similem fidelitatem de Montecalerio, quemadmodum facit de Vigono, et eandem fidelitatem fieri faciet ab hominibus dicti loci et castellanis commorantibus in dicto loco et ponte et castro. Item quod omnes et singuli de Montecalerio qui occasione presentis discordie recesserunt de Montecalerio, redeant in Montemcalerium et restituantur omnibus possessionibus et iuribus suis et si eis placebit redire, et si Noluerint redire alibi habitando habeant suprascripta si redire voluerint et hoc placuerit Comiti, habeant jura et possessiones suas, si vero redire noluerint vel Comes Noluerit quod redeant, teneatur eorum terras et possessiones emere in laudem duorum hominum bonorum. Illud idem fiat de hominibus qui recesserunt de Taurino. Item quod homines et res de Ast et de Jurisdictione Astensi libere vadant et transeant et redeant ad Montemcalerium et pontem et districtum et libere et absolute ad eorum liberam voluntatem sine aliquo pedagio malatolta vel dacito aliquo, ita quod Comes teneatur non pati quod aliquid auferatur ab hominibus de Ast occasione predicta. Item quod Comes non acquiret nec acquirere possit citra padum versus Ast castrum aliquod seu villam neque forciam vel jurisdictionem aliquam, nec aliqua faciet vel fieri faciet per se vel per submissam personam, Salvo quod habeat et teneat Montemcalerium ut dictum est et Caburetum sicut modo tenet. Item quod homines de Ast non possint acquirere, ultra padum in aliquo loco villam vel terram aliquam Salvis cartis et pactionibus hactenus factis inter Comites de Sabaudia pro se et eorum nomine ex una parte et commune Ast ex altera. Item quod commune Astense faciat pacem cum Marchione Montisferrati et cum Marchione Salutiarum et cum Comite Manuello et cum Castellanis de Astisio et cum hominibus eorum, Sicut domino Jacobo de Careto et hominibus de Ast melius videbitur quod possit fieri. Item quod Comes possit illos homines quos habet in Fuluvis et in alijs villis sine forcia citra padum ducere ad habitandum ultra padum, tali modo quod eorum terras et possessiones habeant teneant et possideant sicut nunc tenent et possident. Item quod homines de Ast non debeant nec possint facere nec fieri facere castrum villam vel forciam aliquam de novo a Brayda

et Summarippa supra versus terram Marchionis Salutiarum et Comitum Sabaudie. Item si comes veniret in Ast teneatur non recedere modo aliquo vel ingenio de Ast absque licencia potestatis et communis Astensis, Et si aliqua occasione videretur potestati et Communi Astensi quod Comes recederet prestita bona securitate ad voluntatem comunis Astensis, quod dominus Jacobus Marchio de Careto dabit ad maiorem cautelam securitatem comunis Astensis, duo sua castra et unum ex filijs suis, que et quem commune Astense eligere voluerit, Eo salvo quod reverso Comite in Ast in forcia potestatis et communis Astensis castra et filius predicti domini Jacobi relaxentur et dicto domino Jacobo restituantur incontinenti, et hoc facere teneantur illi duo in quorum potestate et baylia ponet predicta castra et filium suum requisito potestate et consilio. Si vero dictus dominus Comes moriretur ante quam rediret in forciam communis Astensis, nichilominus predicta castra et filius restituantur ei ut dictum est. Et insuper dictus dominus Comes teneatur expressim disbrigare et disbrigari facere relaxare et relaxari facere omnes et singulos de Ast et de posse Astensi, et de Taurino et posse Taurinj citra montes et ultra, et curare omnimode ut disbrigentur et relaxentur in avere et personis integraliter omnes et singuli de Ast et de posse et de Taurino et de posse in Francia et ultramontanis partibus ubiconque sint impediti in personis et rebus ultra montes et citra montes. Item quod faciet et curabit suo posse quod omnes et singuli prelati ecclesiarum observabunt omnes condictiones et pacta que habent cum hominibus de Ast et de posse Astensi in ultramontanis partibus. Item quod faciet quod Troselli ablati hominibus Cunei in ultramontanis partibus relaxentur et restituantur eidem sine aliquo dacito et redemptione. Item quod dictus dominus Comes teneatur homines iuvare salvare et defendere contra omnes homines de terra quam tenet a Montibus citra. Item quod presonerij capti ab utraque parte et eorum securitates penitus relaxentur scilicet de terra Comitis et Marchionis Salutiarum et Comitis Manuelis et Marchionis Montisferrati. Item eodem modo relaxentur illi de Cuneo et securitates eorum et omnes de parte Communis Astensis. Item quod commune et homines de Ast et de posse et de jurisdictione Astensi teneantur dictum dominum Comitem juvare et defendere contra omnes personas. Item quod dictus dominus Comes teneatur solutionem facere vel fieri facere danieli de Solario de eo quod habere debet a communi Montiscalerij occasione obligationis facte ipsi danieli de Molandinjs Montiscalerij. Item quod securitates et omnes illi et quilibet qui se obligaverunt pro Abbate Secusie vel occasione ipsius, sive qui conveniuntur impediuntur vel molestantur sive conveniri vel molestari possent occasione alicuius presonerij capti cum dicto Abbate vel alicuius obsidis ipsius seu qui se obbligassent pro ipsis vel aliquo ipsorum penitus liberentur ab omni obligatione et molestia et ipsi et quilibet ipsorum, qui pro aliqua occasione vel contractu seu occasione alicuius officij quod gessissent vel gerere visi essent erga predictos vel aliquem predictorum, Ita quod de aliqua obligatione vel contractu vel quasi culpa vel negligentia predictorum molestari vel inquietari non possint, et quod omnes condemnationes sint casse penitus et irrite. Item quod custodes Marchionis Salutiarum absolvantur et eorum securitates a condemnatione et penitus liberentur. Item quod dominus Jacobus Marchio de Careto expressim teneatur curare et facere quod potestas Astensis integraliter habeat suum tredecenum de omnibus condemnationibus et bannis datis, obligationibus et

commissionibus et promissionibus que relaxantur et dimittuntur per commune Astense occasione predicta, tam pro securitate et obligatione Abbatis Secusie, quam pro omnibus alijs et singulis. Item teneatur Comes predictus remittere omnem iniuriam et offensam communi et hominibus Taurinj et singulis de Taurino et civibus de Taurino, et facere eis remissionem et firmam pacem et perpetuam per se et totam suam partem de omni iniuria et offensa, quam sibi fecissent. Item teneatur Comes predictus facere remissionem absolutionem et pactum de non petendo comuni et hominibus Taurinj de omnibus juribus rationibus privilegijs et pactionibus, que et quas dictus Comes habet vel visus est habere in commune vel homines Taurinj vel in civitate Taurinj, et si quod habet de communi et hominibus Taurinj privilegium, ipsum restituere et reddere in hominibus Taurinj. Item teneatur Comes predictus facere vel fieri facere solutionem communi et hominibus de Taurino et de Ast, de omnibus et singulis debitis, que dictus Comes vel Abbas Secusie dare debent communi et hominibus de Taurino et singulis eiusdem civitatis et de Ast, et hoc intelligatur de debitis que dare debebant ante captionem Comitis et de hjs que mutuassent vel manulevassent occasione comestionis et custodum. Item quod homines omnes et singuli de Taurino libere et quiete possideant et gaudeant et possidere et gaudere possint omnes terras et possessiones cum juribus suis quas habent in territorio et posse dicti Comitis, et maxime In territorio et posse Rippolarum. Item teneatur dictus comes reddere hominibus Taurinj castrum et villam et homines Collegij cum omni jurisdictione, et ipsum castrum et villam et homines restitutum et restitutos libere et quiete tenere et possidere perpetuo communi Taurinj permittet. Item teneatur reddere et restituere Arpinjs Castrum et villam et homines Alpignani. Item quod remittet omne jus quod habet in Montoxolo communi et hominibus Taurinj. Et ad predicta omnia et singula attendenda et observanda et complenda omnimode et ad maiorem cautelam et firmitatem omnium predictorum et singulorum tam pro civitate et hominibus de Ast et posse Astensi et singulis de Ast, quam pro communi et hominibus Taurinj et singulis de Taurino et posse Taurinj dominus Jacobus de Careto iurabit ad sancta dei evangelia et promittet sic facere et curare suo posse quod predicta et singula attendentur et observabuntur omnimode, et quod faciet venire illos de Flischo in Ast, qui similes facient iuramentum et promissionem. Et ad maiorem cautelam et firmitatem omnium predictorum et singulorum, que omnia et singula superius lecta pro pace predicta placuit omnibus fere nemine discrepante, iurante supradicto domino Jacobo de Careto ad Sancta dei evangelia super animam Comitis predicti, quod predictus Comes cuius procurator est ad hanc pacem faciendam ut asserit omnia predicta et singula attendet et omnimode observabit, et etiam pro se et super eius animam promittente et etiam iurante sic omnimode facere et curare toto suo posse et bona fide quod predictus Comes iandicta in omnibus observabit, et quod ipse a se, ea que per se fieri superius scripta sunt attendet et observabit, Et hec omnia si dictus Comes in Ast venerit ut superius dictum est, Qui dominus Jacobus iuravit ut superius continetur. Eodem modo et forma dominus Jacobus Zacius potestas Astensis nomine et vice communis Astensis voluntate credendariorum infrascriptorum iuravit super animabus eorum attendere et observare et attendi et observari facere que superius scripta sunt,

et attendi et observari debent per commune Astense, Salvo eo quod ante omnia et in hjs et post et incontinenti dixit et protestatus fuit iandictus potestas quod predicta faciebat et iandictis consentiebat, Salvo quod in aliquo sibi preiudicium non generetur occasione juris sui. Die lune vigesimo quarto mensis Novembris in pallatio communis et ecclesie de dom, Testes Jacobus Valbella, petrus Sylvanus, Petrus Sicardus, quorum presentia dominus Nicholosius de Flischo, dominus Tysius de Flischo ad Sancta dei evangelia corporaliter juraverunt attendi et observari facere omnia suprascripta et singula sicut superius scripta sunt in omnibus et per omnia. Die mercurij quartodecimo mensis Februarij in Ast in pallatio ecclesie de dom, Testes Bertholomeus Rotarius, dominus Thomas de Becharijs et Robaldus Ottinus, In nomine domini amen, dominus henricus de Brusamanticis iudex et vicarius domini Guilelmi Zacij potestatis Astensis ex parte communis Astensis de voluntate et consilio sapientum existentium ad dictum consilium ex una parte, et dominus Jacobus Marchio de Careto et dominus Martinus preceptor domus sancti Anthonij et dominus Obertus de Montemelliano nomine dominorum Comitum de Sabaudia ex altera et pro ipsis Comitibus inter sese taliter convenerunt, videlicet quod postquam dominus Thomas de Sabaudia Comes fuerit in Ast, predicti dominus Jacobus et dominus Martinus et dominus Ubertus promittent debent et teneantur sic facere et curare omnimode quod ipsi vel predictus dominus Comes ponet et dabit in manum Johannis de Solario civis Ast ad voluntatem communis Astensis et nomine ipsius Communis Infrascripta castra scilicet castrum Carmagnole et castrum Mercurolij, et dominus Jacobus Marchio predictus dabit illa duo castra et filium suum, quem dictus dominus Jacobus dare promisit pro fideiussione ipsius Comitis sicut in tractatu pacis ipsius Comitis et communis Astensis cum ipso Marchione habito continetur, Et quod predicti facient et curabunt, Sic omnimode quod dominus Rex Francorum et domina Regina uxor eius et dominus Summus Pontifex et dominus electus lauduni mittent literas sigillatas sigillo pendenti, quod omnes et singuli de Ast et de posse Astensi et alij capti et impediti in personis et rebus, de quibus mencio facta est in tractatibus predicte pacis et concordie disbrigentur et relaxentur omnimode in personis et rebus et disbrigati et restituti erunt in omnibus rebus et averibus stando eundo et redeundo ad eorum voluntatem, et expediti et disbrigati erunt in omnibus juribus suis cum dictus Comes fuerit liberatus, et predictis omnibus et singulis observatis, predictus Comes relaxetur et relaxari debet et liberari a forcia communis Astensis et hominum Astensium, Et liberatus intelligatur quandocumque fuerit dictus Comes in Comitatu Sabaudie ultra padum sive in eius terra, Eo modo et pacto quod tunc et incontinenti castrum Summerippe de Boscho cum omni jurisdictione et pertinentijs, et Caramangna sicut tractatum est in tractatibus predicte pacis perveniant tunc in comune Astense et sint juris communis Astensis libere et quiete, Et ita dicti dominus Jacobus, dominus Martinus et dominus Ubertus et dominus Johannes de Solario promiserunt sub obligatione bonorum communi Astensi castrum et villam Summerippe et Caramangnam restituere. Hoc tamen acto inter predictos quod restitutis in rebus et personis impeditis captis et detentis omnibus et singulis infrascriptis ut superius continetur predicta quatuor castra et filius domini Jacobi restituantur et relaxentur ac dimittantur libere nuncijs supradictorum Comitis et Marchionis, hoc

expresso quod cum predictus Comes fuerit in terra vel Çomitatu suo litere parate erunt misse a supradictis de expeditione omnium infrascriptorum, hoc acto de literis mittendis quod dominus Rex Francorum et domina Regina debeant et teneantur mittere literas per omnes de Regno tam clericos quam laycos et omnes facere expedire et bona eorum restitui infra terminum ordinatum cum domino Comite in avere et personis omnes captos et imbrigatos, et dominus Archiepiscopus lauduni per Archiepiscopium ludunense et per omnes de terra Comitatum de Sabaudia, dominus vero papa per universos, Salvis compromissis et tractatibus habitis occasione iandicte pacis, Hoc tamen salvo quod homines Montiscalerij non teneantur facere fidelitatem communi Astensi, Sed Comes Taur̄., (tantum) Die lune xxv. mensis Junij in pallatio communis Astensis in pleno consilio. Testes Rasonus Asinarius, Berrardus de platea, Obertus Garius, Raynerius Bertaldus, Rodulfus de castagnolis. Infrascripta vult dare et facere communi Astensi dominus Comes ultra omnes conventiones et pactiones que tractate sunt et fuerunt inter commune Astense ex una parte, et ipsum dominum Comitem et eius nuncios ex altera, et salvis omnibus pactis et conventionibus factis iuratis et habitis inter ipsum comune ex una parte, et dictum dominum Comitem ex altera in presentia domini ducis Burgondie. In primis vult dare castrum Gorzani cum pertinencijs in forcia et virtute communis Astensis, tali modo quod si infra viginti dies postquam fuerit ultra padum vel saltem per totum Augustum dederit castrum Cargnani cum pertinentijs suis in manibus Johannis de Solario pro communi Astensi ad modum et formam aliorum castrorum, tunc castrum Gorzani debeat restitui dominis de Gorzano, quod castrum Gorzani debeat custodiri per dominum Balduynum de Solario vel per dominum Berrardum de Solario sive per palmerium eius filium iussu et mandato ipsius Berrardi, vel per dominum Jacobum pelletam ad modum et formam aliorum castrorum que data sunt vel dari debent pro pactis et conventionibus observandis, Tali modo, quod castrum Cargnani non possit impediri vel retineri pro aliquo tractatu qui factus fuisset cum Abbate Secuxie, nec aliqua alia de causa, nisi pro supradictis de causis. Item dictus Comes vult solvere omnia debita que de novo dare debet omnibus civibus Astensibus, de debitis antiquis vult satisfacere ad voluntatem creditorum, Et si satisfacere non poterit, vult quod predicta castra et alia castra data et concessa communi Astensi pro pactis et conventionibus attendendis custodiantur et retineantur, donec fuerit satisfactum creditoribus memoratis. Item vult solvere communi Astensi et hominibus de Taurino ante quam recedat de Aste omnia debita in quibus sunt obligati pro ipso Comite, Johannes de Solario, Rofinus Rotarius, Bonefacius Cabutus et alij cives Astenses obligati pro eis, tam in Taurino quam in Ast secundum quod iudicatum fuerit per comune Astense vel per alium voluntate comunis, consilio dominorum Oberti de platea et Jacobi pellete de dictis debitis persolvendis predicto communi et hominibus Taurinj. Item solvere debita confessata per ipsum Comitem, de terris vero et possessionibus fictis et redditibus et pedagijs et alijs debitis, vult satisfacere et facere satisfieri communi et hominibus de Taurino secundum quod sunt et erunt extimata vel iudicata, Ita videlicet quod commune et homines Taurini faciant Illud idem versus Comitem et homines eius terre, secundum quod extimata fuerint et iudicata. Et pro hjs omnibus attendendis vult et concedit quod dicta castra retineantur quousque predicta fuerint observata. Item debet potestati Astensi libras

quadrigentas Astenses ante quam disedat ab Ast pro suo Tredeceno, Hoc acto expressim in principio in medio et in fine, quod predicta fiant salvis omnibus pactis et conventionibus factis et habitis inter comune Astense ex una parte et dictum Comitem vel eius nuncios ex altera. Item die dominico tercio mensis Junij super pallatio communis Astensis Testes Maynfredus de Sybona, Boconus nuncius, Robaldus Ottinus, Rasonus Asinarius in pleno consilio statuerunt voluerunt et ordinaverunt credendarij, Salvis omnibus tractatibus pactis et conventionibus pacis habite cum ipso Comite vel eius nuncijs de voluntate Comitis, Qui tale scriptum porexit communi Astensi, quod dominus Guilelmus Scarampus custodiat castrum Revelli et habeat et habere debeat salarium duodecim custodum, quod salarium est duodecim denariorum pro cliente quolibet atque die, vel secundum quod melius poterunt et ei visum fuerit in numero guardiarum et expensarum, quod castrum Villefranche custodire debeat Jacobus Bertramus et debet habere salarium duodecim clientum vel secundum quod melius poterit et ei visum fuerit in numero guardiarum et in expensis, Quod castrum Caburri debet custodire Baldonus de Sanctoiohanne et debet habere salarium duodecim clientum vel secundum quod melius poterit et ei visum fuerit in numero guardiarum et in expensis, Quod castrum Cumbaviane debeat custodire Johannes de Solario et debet habere salarium decem custodum vel secundum quod melius poterit et ei visum fuerit in numero guardiarum et expensarum, quod castrum Cabureti debeat custodire Rofinus Rotarius et debet habere salarium decem custodum vel secundum quod melius poterit et ei visum fuerit in numero guardiarum et expensarum. Et sic petit idem Comes, et est eius voluntas quod dicti castellani iurent ad sancta dei evangelia dicta castra integre reddere et restituere sine mora Comiti predicto vel eius nuncio, quod si contingeret quod dictus Comes non liberaretur ab Ast pro eundo in Franciam sicut tractatum est quam cito tradiderit castra predicta et fecerit securitates Jacobus de Careto et ostagia dederit sicut est ordinatum, Et rursum quam cito expedierit negocium in Francia et alibi prout tractatum est inter ipsum Comitem et Astenses debeant eodem modo sibi reddi et restitui dicta castra et omnes securitates filij et ostagia absolvantur. Item tenentur eidem reddere Astenses castrum Revelli in cambium Carmagnole, idest quam cito eis tradere poterit Carmagnolam, de quo Castellanus qui ibi fuerit, teneatur. Et notificat idem Comes quod ex nunc statuit suum nuncium dominum Restangnum de Rupecula ad recipiendum nomine ipsius Comitis castrum Revelli quam cito contingerit ipsum castrum restitui pro cambio Carmagnole vel alio modo sicut superius dictum est, Castrum Revelli debet restitui nomine Comitis domino Restangno vel eius nuncio si castrum Carmagnole datum fuerit, vel negocium fuerit expeditum ut supra dictum est. Item dicti castellani iurent et promittant, quod castra et loca predicta custodient et salvabunt pro communi Astensi, et ea restituent et dabunt in forcia communis Astensis ad voluntatem potestatis et comunis Astensis, si Comes predictus non attenderit et observaverit et attendi et observare fecerit omnia et singula que tractata sunt cum eo vel eius nuncijs pro communi Astensi, ut in tractatu pacis continetur. Et ex nunc dicti castellani iurent et promittant ipsa castra et loca habere et tenere nomine communis Astensis et pro ipso communi. Item vult Comes quod Castellani teneantur dare forciam nuncijs ipsius Comitis et Castellanorum qui erunt in ipsis castris ad participandum fructus et redditus ipsorum castrorum, Salvo eo quod ipsis castellanis

primo solvatur de ipsis fructibus et redditibus de eo quod habere debuerint pro custodia et expensis ipsorum castrorum.

Et ego petrus Sylvanus notarius pallatinus hanc cartam traditam et abreviatam per manum Jacobi de Nanteis notarij iussu ipsius sic scripsi.

906. *De renovatione et reformatione treuguarum alias factarum inter dictum dominum Thomam Comitem ex una parte et Comune Ast ex altera, facta per dominam Beatricem relictam quondam ipsius domini Comitis inter ipsas partes.* 1268. 29 Aprilis.

In nomine domini nostri Yhesu Christi amen. Anno nativitatis eius Millesimo ducentesimo sexagesimo octavo Indictione undecima die dominico vigesimonono mensis Aprilis. Hec est reformatio confirmatio et renovatio treuguarum nuper ordinata et facta inter dominam Beatricem Comitissam relictam domini Thome de Sabaudia Comitis quondam pro se ipsa et filijs suis et pro dominis de Sabaudia et pro universis et singulis de Comitatu Sabaudie et de parte ipsius Comitatus ex una parte et dominos Jordanum de Ralvengo et Bartholomeum Thoracium sindicos procuratores et ambaxiatores communis et hominum civitatis Astensis ut apparet per cartam factam manu Georgij Barberij notarij Astensis eodem anno et Indictione eadem, die dominico vigesimosecundo instantis mensis Aprilis pro dicto communi et hominibus civitatis Astensis et districtus, et pro omnibus et singulis de parte ipsius communis, specialiter Taurinensibus et plocaschensibus ex altera, Sequendo formam aliarum treuguarum olim factarum inter dominum Jacobum dei gratia tunc Abbatem Secusie nomine Comitatus Sabaudie ex una parte, et dominos Johannem de Solario, Rufinum Ypolitum et Guilelmum Maruchum et Guilelmum de platea sindicos et ambaxiatores communis Astensis et omnium de parte sua et specialiter Plozaschentium ex altera cum adiunctis et additionibus de novo factis et firmatis inter predictam dominam Comitissam et prenominatos ambaxiatores Astenses nomine partium predictarum, Forma quarum treuguarum olim factarum talis erat, ut constat per cartam abreviatam et scriptam per Thomam Bovetum notarium in anno domini MCCLXI° die lune tercio mensis Aprilis, In qua abreviatura sic continetur et legitur. Hec est reformatio treuguarum factarum inter dominum Jacobum dei gratia abbatem Secusie nomine comitatus Sabaudie ex una parte, et dominum Johannem de Solario, Ruffinum Ypolitum, Guilelmum Maruchum et Guilelmum de platea sindicos et ambaxiatores communis Astensis nomine ipsius communis et omnium de parte sua et specialiter Taurinensium et plocaschentium ex altera, facta per ipsum dominum Jacobum nomine Comitatus et dominum Johannem de Solario et Jacobum Monachum sindicos et procuratores et actores communis Astensis specialiter constitutos ut patet per instrumentum etc. que continentur, In primis statuerunt et ordinaverunt inter sese adinvicem dicte partes quod dicta treugua de novo reformetur et rata et firma permaneat usque ad terminum stabilitum, secundum quod in instrumento seu instrumentis predictarum treuguarum continetur, Et quod omnia damna hinc inde infra dictas treuguas data per aliquam ipsarum partium vel per aliquos ipsorum, vel moventes seu reducentes in aliquo loco seu locis partium supradictarum emendentur et restituantur secundum quod arbitratum et pronunciatum fuerit per duos arbitros per dictas partes constitutos et communiter electos infra mensem unum

postquam dicti arbitri fuerunt arbitrati, Qui arbitri possint recipere probationes super damnis datis sine aliqua iuris solemnitate, Et super hjs difinire et pronunciare iuris ordine servato et non servato sine libello et litis contestatione, presentibus partibus vel absentibus, citatis et non citatis, die feriata vel non feriata, secundum quod eis melius videbitur expedire habendo super hoc consilium a quibuscumque voluerint. Hoc addito inter partes quod quelibet pars teneatur denunciare omnibus de parte sua, quod si voluerint dictam treuguam servare et stabilitam tenere secundum quod in forma treugue continetur, sint et permaneant in dicta treugua. Illis autem qui in dicta treugua recusaverint esse, dictum comune Astense et dictus dominus Abbas nomine Comitatus teneantur ad invicem facere guerram vivam vastare et dissipare et eos obsidere donec ad satisfactionem de damnis datis, et ad confirmationem de treuguis tenendis venerint partibus supradictis. Hoc expresso inter eos quod si aliqua terra, de parte Astensium videlicet Taurinenses vel aliquis de districtu Taurinj, videlicet Albinetus qui tenet bastitam Taurinj vel domini de plocascho vel aliqui qui teneant terram eorum Noluerint dictam treuguam servare et tenere, et castellanus Caburri vel alij qui sint de parte Astensium predictorum Noluerint dictam treuguam servare et tenere et damna data similiter restituere postquam eis denunciatum fuerit per iamdictum commune vel per alium nomine ipsius communis, quod dictum comune cum toto suo exfortio teneatur equitare super illum locum vel terram vel personam qui predicta attendere Noluerit et contra predicta venerit vel fecerit in totum vel in partem et ipsum penitus dissipare et guastare tam in avere quam in persona bona fide et sine fraude donec ad eorum voluntatem venerint de predictis, Eo salvo, quod si commune Astense requisierit dictum dominum Abbatem suo nomine et nomine Comitatus, ut ei prestet auxilium consilium vel iuvamen ad vindictam de suis malefactoribus faciendam et de inobedientibus, quod dictus dominus Abbas et sui gerentes in partibus pedemontis teneantur pro ipso communi equitare et guerram facere cum dicto communi contra predictos offensores et rebelles. Versa vice dictum comune Astense teneatur dicto domino Abbati nomine comitatus vel sui vices gerentibus in partibus pedemontis facere illud idem, totiens, quotiens inde fuerint requisiti ab ipso domino Abbate vel ab eius vices gerentibus in partibus pedemontis. Insuper quod quelibet pars teneatur denunciare vel denunciari facere illud quod supra dictum est omnibus de parte sua et responsionem predictorum una pars alteri hinc ad diem martis proximum post festum pasce futurum. Et si dominus Oddo de Fulcere et filij et Brayda et omnes alij qui faciunt residentiam in Comitatu, ita tamen quod omnes illi tam de una parte quam de alia, qui super hjs suam responsionem facere Noluerint vel responderint dictam treuguam nolle tenere vel salvare et damna data restituere siqua dederint, ab illa die martis in antea sint a predicto communi Astensi et a predicto domino Abbate nomine dictorum dominorum Comitum de Sabaudia penitus diffidatj, faciendo ei vel eis communiter vel separatim, sicut de ipsorum voluntate facere fuerit, vivam guerram donec ad satisfactionem venerint de predictis, nec eos recipere in treuguam vel in fidanciam una pars sine altera possit usque ad terminum dicte treugue. Qui procuratores dederunt potestatem dicto domino Abbati ut arbitrum ex parte comunis Astensis pro damnis datis cognoscendis et restituendis possit eligere. Qui dominus Abbas incontinenti elegit pro parte communis Astensis dominum Jacobum Monachum. Versa vice dictus dominus Abbas dedit potestatem

dictis sindicis et procuratoribus ut pro comitatu possint eligere arbitrum, Qui incontinenti elegerunt Hugonem Bertramum Castellanum Ripolarum, dantes dicti dominus Abbas et procuratores plenam potestatem dictis arbitris de predictis cognoscendis et difiniendis. Qui arbitri postquam eis denunciatum fuerit per jandictas partes teneantur cognoscere et difinire infra duos menses omnia damna data hinc inde. Et si predicti arbitri ad invicem sese concordare non possent, teneantur et possint eligere tercium infra triduum, postquam unus alterum requisiverit de tercio eligendo. Item ordinatum fuit inter predictas partes nominibus supradictis quod si contigerit predictum dominum Abbatem nomine Comitatus, vel gerentes vices dicti domini Abbatis vel comitatus in partibus pedemontis requirere potestatem Ast et comune Astense ut ei debeant dare consilium et iuvamen pro supradictis adimplendis, quod dictum comune teneatur ei vel eis dare consilium et iuvamen secundum quod ab eis fuerint requisiti infra decem dies post requisitionem factam. Versa vice dictus dominus Abbas pro iandictis dominis de Sabaudia pro terra et de terra citra montes promisit facere illud idem, non obstantibus pactis et conventionibus, que in treugua superius nominata continentur, ita quod nichilominus pacta et conventiones que in predicta treugua continentur rata maneant, nichil de ipsis pro ista reformatione removendo vel diminuendo, Sed in eo quod additum est per iandictum dominum Abbatem et predictos sindicos scilicet dominos Johannem dē Solario et Jacobum Monacum in reformatione dicte treugue predicti promiserunt attendere et observare et attendi et observari facere prout dictum est. Que omnia predicta et singula predictus dominus Abbas nomine Comitatus, et predicti procuratores nomine communis Astensis et suarum partium firmiter attendere et attendi facere promiserunt sub obligatione omnium bonorum dicti communis Astensis et bonorum omnium dicti Comitatus, et inde duo instrumenta partita per alfabetum predictus dominus Abbas et dicti procuratores fieri iusserunt michi notario infrascripto etc. Additiones vero et repetitiones nuper facte promisse et ordinate super confirmatione et renovatione dictarum treuguarum inter predictam dominam Comitissam et predictos sindicos et ambaxiatores communis Astensis pro partibus et nominibus suprascriptis sunt hee, primo super offensionibus et damnis datis hinc inde usque ad hodiernum diem a tempore treuguarum citra eligantur arbitri ab utraque parte, qui audiant et cognoscant super dictis offensionibus, et secundum quod per eos pronunciatum et cognitum fuerit, emendari debeant supradicta secundum formam treuguarum, qui arbitri incontinenti eligantur, et addatur tercius communalis, ita quod nisi duo fuerint in concordia, tercius non habeat vires, et absente tercio si noluerit, vel non poterit interesse, duo possint pronunciare et valeat quod pronunciaverint, ac si omnes in concordia pronunciassent, qui arbitri iurent bona fide predicta determinare quam citius poterint secundum formam instrumenti treuguarum. Item quod treugue secundum quod scripte sunt confirmentur de novo hoc addito quod supradicta domina Comitissa pro dominis de Sabaudia et pro parte comitatus et pro illis de parte ipsius comitatus Sabaudie promittat ipsas treuguas attendere et observare et firmas tenere et attendi et observari facere cum effectu et faciet et curabit quod predicte treugue non erunt contradicte vel contramandate per dominos de Sabaudia vel per aliquem vel aliquos de comitatu vel per ipsam comitissam ab hodie usque ad festum beati Michaelis proxime venturum et a sancto Michaele usque ad

unum annum et postea per unum mensem post contramandum communi vel hominibus civitatis Astensis vel districtus vel communi et hominibus civitatis Taurinj vel districtus vel alicui de parte ipsorum, sed potius faciet et curabit quod attendentur et observabuntur usque tunc et ultra semper per unum mensem de contramando. Item quod omnes presonerij qui capti sunt ab utraque parte a tempore treuguarum citra statim debeant expediri, Et quod Johannes Riba et Johannes Zucha et Gariliotus expediantur et eorum fideiussores et manulevatores et securitates, Et eos domina Comitissa et homines Montischalerij absolvant a carceribus et fideiussionibus seu obligationibus et manulevationibus per eos factis occasione eorum captionis. Item quod dicti arbitri non habeant potestatem vel vim pronunciandi vel cognoscendi vel faciendi aliquid super captionibus damnis et iniurijs factis ipsis presonerijs in ipsa captione vel ab eo tempore citra, si qua facta sunt, sed faciant ipsi presonerij et commune Montiscalerij pacem et finem, et domina Comitissa hominibus de Taurino de dictis damnis captionibus et iniurijs. Item quod omnes et singuli de Taurino vel districtu qui habent aliquas terras, vel possessiones vel redditus in comitatu possint eas godire et fructus earum percipere dum treugue durabunt, Creditores autem similiter debita sua in comitatu possint exigere et recuperare, et iudices seu castellani de Comitatu teneantur eis creditoribus de predictis debitis facere iusticie complementum durante treugua. Versa vice potestas Taurinj qui nunc est et pro temporibus fuerit teneatur facere illud idem hominibus Comitatus. Item quod domini et homines de plozascho et Collegij et Gruliaschi debeant esse in ipsa treugua ad modum et formam hominum de Taurino, dum tamen ipsi domini de plozascho faciant securitates convenientes de treuguis attendendis, Et quod commune et homines de Taurino et eorum securitates non teneantur si facerent vel venirent contra ipsas treuguas, si Taurinenses et eorum securitates non darent consilium auxilium vel favorem dominis de plozascho vel hominibus suis, seu coadiutoribus si venirent contra treuguam. Item quod illi de lucerna intelligantur et sint in predictis treuguis, et capti quos habent de terra Astensi, et res quas abstulit eis Guilelmus Manfredus quas nunc in presenti tenet expediantur incontinenti. De damnis vero et offensionibus quas fecit per se vel per alium Astensibus et terre Astensi, et de rebus quas petit dictus Guilelmus seu petere voluerit a communi Astensi, sibi dimitti in posse et territorio Summerippe de Boscho tam possessorio quam proprietario, et de fructibus inde perceptis cognoscant dicti arbitri summarie et absque juris solemnitate et strepitu iudicij, et quod inde pronunciaverint attendatur et emendetur secundum cognitionem dictorum arbitrorum. Item quod arbitri predicti audiant cognoscant et difiniant omnes questiones apud Revilliaschum exceptis questionibus, que tangerent homines Montischalerij, de quibus debeant audire cognoscere et determinare apud Trofarellum, et domina Comitissa procuret suum arbitrum transmittere ad predicta loca quotiens inde fuerit requisita, a potestate Astensi vel a potestate Taurinj, per se vel eorum nuncium vel alicuius eorum. Et similiter potestas Astensis et Comune, et potestas Taurinj et Comune et quilibet eorum teneantur mittere suum arbitrum quotiens per dominam Comitissam per se vel suos nuncios requisiti fuerint, ipsi vel alter eorum. Item quod domina Comitissa promittat et iuret predicta et singula attendere et attendi facere que continentur et continebuntur in treuguis et in predictis et

singulis predictorum, Et communia Rippollarum, Combaniane, pinayrolij, Villefranche, Vigoni et Caregnani, ac Montischalerij et Castellani ipsorum qui nunc sunt vel per tempora erunt si inde fuerint requisiti, Excepto castellano Rippolarum iurent et promittant treuguas firmas tenere, et dare auxilium et consilium ipsi domine Comitisse ut attendantur, et quod si aliqua universitas vel aliquis de universitate damnum daret vel faceret, contra treuguas, illud emendet, Et versa vice commune Astense et comune Taurinj promittant et iurent treuguam firmam tenere et attendere, et attendi facere pro eorum parte omnia et singula supradicta secundum quod in treuguis plenius continetur. Item quod dominus humbertus de Balma Castellanus Secusie et Avilliane promittat et iuret pro predicta domina Comitissa, quod ipsa attendet et observabit predicta, et quod ei dabit consilium et auxilium ut ipsa domina Comitissa, servet et attendat treuguam supradictam. Item quod presonerij de quibus superius dictum est, quod statim debeant expediri, Tunc statim expediantur, cum domina Comitissa promiserit, et iuraverit supradicta, et cum consilia locorum predictorum de parte Comitatus vel parlamenta et Castellani ipsorum locorum promiserint et iuraverint ut in suprascripto capitulo continetur, ipsis presonerijs solventibus expensas convenientes guardiarum et carcerum arbitrio et cognitione dominorum Jordani de Ralvengo et Bertholomei Thome. Unde sicut superius in omnibus et per omnia legitur suprascripta domina Comitissa pro se et filijs suis et pro dominis de Sabaudia et pro parte Comitatus et pro hominibus et pro illis de parte ipsius Comitatus Sabaudie promisit et iuravit ad sancta dei evangelia predictas treuguas et omnia ea et singula que superius scripta sunt attendere et observare et facere et curare quod attendantur et observentur et attendi et observari facere cum effectu secundum quod in capitulis dictarum treuguarum et in additionis factis de novo per omnia continentur. Insuper promisit sub eodem iuramento predicta domina Comitissa prenominatis sindicis et procuratoribus stipulantibus nomine dicti communis Astensis et suorum et omnium et singulorum quorum interest vel intererit quod sic faciet et curabit quod illi de Lucerna et specialiter Guilelmus manfredus et filij attendent et observabunt predictas treuguas et omnia et singula que superius scripta sunt et tractata, Et quod dictus Guilelmus manfredus stabit cognitioni et pronunciationi arbitrorum, et ea que per arbitros pronunciata fuerint attendet et observabit, et si dictus Guilelmus vel filij per sese vel per alium decetero damnum vel offensionem fecerint hominibus de Ast vel districtu, vel eorum terre infra tempus dictarum treuguarum ipsa domina Comitissa illud damnum et offensionem restituere tenetur et promisit, pro quibus omnibus et singulis attendendis obligavit pignori omnia sua bona predictis sindicis stipulantibus nominibus supradictis.Et versa vice prenominati dominus Jordanus de Ralvengo et Bertholomeus Thomas procuratores ambaxiatores et sindici comunis Astensis nomine et vice dicti communis Astensis promiserunt et iuraverunt ad sancta dei evangelia predictas treuguas et omnia et singula que superius scripta sunt attendere et observare, et facere et curare quod attendantur et observentur pro dicto communi et parte sua et attendi et observari facere cum effectu, secundum quod superius continetur. Insuper ibidem et incontinenti suprascripta domina Comitissa et predicti sindici comunis Astensis nominibus supradictis et pro se ipsis et partibus suprascriptis, elegerunt arbitros dominum Rufinum draconem iudicem de pinayrolio

pro parte Comitatus et dominum Thomam Mayaciam Judicem de Aste pro parte Astensi, tercium vero comunem elegerunt Jacobum de Gorzano filium domini Rufinj quondam. Ibidem et incontinenti dominus Humbertus de Balma Castellanus Secusie et Avilliane promisit et juravit pro ipsa domina Comitissa, et pro se ipso prout in suo capitulo continetur. Et insuper Aymo de lucerna iuravit predictas treuguas attendere et servare, et ut serventur dare operam efficacem. Et inde suprascripta domina Comitissa et prenominati ambaxiatores Astenses voluerunt et preceperunt fieri unum et plura instrumenta per me Jacobum Valbellam notarium, et per Boninum de Burgo de Pinayrolio notarium. Actum Avilliane in domo Johannis de Bezano. Interfuerunt testes, dominus decanus Abbas Clusinus, dominus Rufinus de Gylio, dominus Ysoardus Crottus, Filipus Strazatus de Ast, dominus Petrus Girardus Obediencierius Clusinus, dominus Tosettus prior Novalicij, dominus Albertus de Casellis, Philipus patronus, Ugo Bertramus, Ricardus de Berlio de Folonia, henrionus de Moncalerio notarius, petrus Castagnus et alij quam plures.

Et ego Jacobus Valbella notarius pallatinus interfui et mandato dicte domine Comitisse et ambaxiatorum Astensium sic scripsj.

907. *Quomodo dictus dominus Thomas de Sabaudia Comes ratificavit confederationem iuram et amiciciam die lune XVIII° Julij proxime preteriti inter suos procuratores nomine ipsius ex una parte, Et comune Ast ex altera.* 1278. 25 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, Indictione sexta die martis vigesimo quinto mensis octubris, In pleno consilio communis Astensis per campanam et nuncios more solito congregato, dominus Thomas Comes de Sabaudia ad postulationem domini Joannis de lucino potestatis astensis et dicti consilij nomine et vice communis Astensis ratificavit et approbavit confederationem iuram et amiciciam ac societatem initam et contractam inter dictum dominum Thomam seu procuratores et nuncios eius nomine ipsius domini Thome ex una parte et commune Astense ex altera cum pactis et conventionibus contentis seu comprehensis in ea, secundum quod in contractu ipsius confederationis plenius continetur, Et de qua confederatione pactis et conventionibus facta sunt publica instrumenta per Francischum de Benengo notarium et per Matheum piperium notarium et per henricum Scutinum notarium eiusdem tenoris ut dicitur, hoc eodem anno MCCLXXVIII°. Indictione VI^a die lune decimoctavo mensis Julij. Et ea omnia et singula que continentur in dictis Instrumentis sine aliqua additione vel diminutione attendere et observare bona fide, ibidem in eodem consilio promisit et tactis scripturis ad sancta dei evangelia corporaliter iuravit, et inde precepta sunt duo instrumenta eiusdem tenoris fieri unum pro communi Astensi, et aliud pro dicto domino Thoma. Actum Ast super voltis ecclesie sancti Secundi de Mercato, presentibus testibus domino decanno dei gratia abbate sancti Michaelis de Clusa, domino Buruvo eadem gratia abbate Secusie, domino Bertholomeo Asinario, domino Guilelmo Gardino Judice, domino henrico Alferio, domino Robaldo de Platea, domino Raymondo Asinario et alijs pluribus.

Et ego Berardus de platea notarius pallatinus interfui et presens instrumentum pro communi Astensi scripsi.

CLXXII. De Salucijs.

908. *De conventione facta inter dominum Maynfredum Marchionem Saluciarum seu de Salucio ex una parte et comune Ast ex altera, de sese vicissim adiuvando contra omnes personas, Salvis Imperatore et Marchione Montisferrati, debendo ipse Marchio de Salucio esse civis Astensis et facere exercitum pro dicto comuni et in eius venire succursum.* 1191. 28 Maij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo primo Indictione nona, die martis quinto kallendas Junij, presentia subscriptorum testium, Inter Astenses et dominum Manfredum Marchionem de Salucio pactum conventum et firmatum est, cuius tenor talis est. Nam dominus Manfredus Marchio de Salucio amodo debet salvare custodire adiuvare et defendere homines de Aste et universos homines de eorum virtute in personis et rebus per totam terram suam et per universum posse suum et alibi quo poterit bona fide et sine fraude, nec capiet nec capi faciet seu permittet per se vel per aliam personam in tota terra sua et toto posse suo aliquod pedagium vel tholoneum, guidonagium curaytam nec aliquod scufium ab aliquo cive Astensi nec ab aliquo homine de virtute Astensi, nisi vetus antiquum et consuetum pedagium, Item ut aliquis civis Astensis vel aliquis homo de virtute Astensi non capiatur ab aliqua persona, nec disturbetur in persona vel rebus in tota sua terra et posse suo pro aliquo cambio vel pro ulla occasione nisi fuerit principalis debitor vel fideiussor. Et si cives Astenses vel homines de virtute eorum invenerint suum inimicum aut debitorem vel fideiussorem suum in terra et posse ipsius Marchionis liceat eis illum ibi accipere, et quo voluerint ducere et tenere, et predictus Marchio illud facere et adiuvare debet per se et per suos homines omnimode bona fide et sine fraude. Item iandictus Marchio debet adiuvare homines de Aste de omnibus hominibus suis et de omni terra sua, contra omnes homines, Excepto quod non teneatur, hoc pacto equitare supra terram Bonefacij Marchionis Montisferrati et debet esse civis Astensis in perpetuum et domum propriam habere in urbe Astensi per totum tempus huius consolatus, quam deinceps non debet obligare nec a se per feudum vel alio titulo alienare. Item debet stare in civitate Astensi tempore guerre cum tribus militibus et se quarto et cum quatuor clientibus de caballo per tres menses in anno unoquoque dum guerra duraverit. Item predictus Marchio debet venire in exercitu Astensi cum decem militibus et decem archatoribus de caballo, quotiens hoc sibi mandaverint, et eum ad hoc invictaverint et ad expensas et pericula ipsius Marchionis. Item iandictus Marchio non debet dimittere nec relinquere Astenses in campo in exercitu nec in obsidione castri absque absolto consulum tunc existentium omnium vel maioris partis et eorum credentie per campanam congregate totius vel maioris partis. Item supradictus Marchio debet venire in succursum Astensium quotiens sibi mandaverint cum decem militibus et decem clientibus archatoribus cum equis a prima die in antea stando ad expensas et pericula Astensis communis. Item iandictus Marchio debet salvare et restituere Ottolino Sacardo omnes denarios quos habuit ex sui redemptione, et totum illud quod debet dare Astensibus civibus de quo confessus fuerit ad illum terminum sicut infrascripti consules dixerint, et de alijs debitis, unde discordia fuerit, facere

rationem ante Astenses consules sicut civis Astensis, et debet absolvere omnes Astenses, quos captos tenet. Insuper predictus Manfredus Marchio debet reddere Solerium in manibus Astensium consulum eo modo ut illud tantum teneant et possideant donec illum concordaverint cum castellanis ad evidentiam utriusque partis bona fide si poterunt, et si ipsos iusto modo concordare non poterunt, predictus Marchio debet inde cognoscere rationem ante consules, Et insuper debet reddere castellanis de Manciano de Sarmatorio et de Montefalcono universum feudum et alodium si ipsi illud tenebant et possidebant uno mense ante quam guerra inciperetur, Ita tamen quod si predictus Marchio, illos de feudo appellare voluerit, ipsi castellani debeant inde stare in curia ipsius Marchionis, Et si de alodio, inde stare debet et cognoscere rationem utraque pars sub examine Astensium consulum, eo salvo quod sit in electione predictorum castellanorum si voluerint ipsum Marchionem appellare de maleficijs, quod ipse possit eos appellare de feudo et de alodio ut supra legitur. Alioquin ipsi castellani perpetuo teneant et possideant et feudum et alodium eorum quiete et sine omni contradictione ipsius Marchionis et heredum eius. Et hec omnia sicut superius legitur supradictus Manfredus Marchio iuravit propria manu sacrosanctis tactis evangelijs bona fide et omni dolo remoto et fraude perpetuo firma tenere attendere et observare si deus illum adiuvet et illa sancta dei evangelia. Adinvicem autem Astenses et homines de virtute Astensi debent salvare custodire iuvare et defendere iandictum Marchionem Manfredum et homines de tota terra sua et de toto posse suo, et adiuvare eum ad tenendum et defendendum universam terram quam tenet et possidet contra omnes homines, Salvo tamen Imperatore Romano Augusto, et salvis omnibus eorum sacramentis, Et ita ut supra legitur Astenses consules nomine totius communis Astensis, quorum nomina sunt Nicholaus Gardinus, Rollandus Crivellus, Jacobus Careocius, Ubertus layolius iuraverunt supra dei evangelia, quisque manu sua, Et consules iusticie quorum nomina sunt hec, Henricus Soldanus, Homodeus Trosellus et Girardus Giniorius, nec non et consules populi, quorum nomina sunt Jacobus palius, Girbaldus de porta, Berrardus Betramengus, et Arnaldus de platea, omnes preter Girardum fuerunt confessi Se iurasse supra dei evangelia similiter nomine comunis Astensis attendere et perpetuo observare bona fide et sine fraude, si deus illos adiuvet et sancta dei evangelia. Actum est in ecclesia sancte Marie de domo nova, ubi etiam sic ordinatum fuerat ab utraque parte, ut si Astenses et idem Marchio concordes in hoc pacto supradicto aliquod melioramentum facere voluerint, quod illud similiter utraque pars sub eodem iure iurando attendere et observare debent feliciter. Testes ad hoc vocati et rogati, Maynfredus de drua, Anselmus Merlus, Jacobus pacius, Bayamondus Caraocius, Maynfredus de Solario, Raymondus layolius, Jacobus Thomas, Jacobus Judex, Jacobus de Vivario, Gualla Boyanus, Opizo calcaneus, Scarampus, Rollandus Bergogninus, Petrus Cicia, Ubertus Judex, Bayamondus Judex et plures alij.

Ego Thomas notarius pallatinus interfui rogatus et scripsi.

909. *De additione et correctione facta per dictas partes concorditer super precedenti proxima conventione, in qua inter alia additum fuit quod ipse Marchio decetero det in comuni Astensi fodrum de libris CCC quotiens civitas Astensis ad fodrum pervenerit.* 1193. 3 Junij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo tercio, Indictione undecima die iovis tercio Intrante Junio. Quoniam dominus Jacobus Strictus potestas Astensis pro communi Astensi et Manfredus Marchio de Salutio, ut confessi fuerunt, iuraverunt, supra dei evangelia attendere et observare bona fide et sine fraude omnia conventa inter Astenses et predictum Marchionem olim habita, sicut continetur in instrumento inde composito per Thomam notarium, et attendere et observare omnia conventa et melioramenta que inter eos ordinata fuerint per dominum Jacobum Strictum potestatem Astensem et Guilelmum Abbatem de Stafarda, Anselmum priorem de domonova, Jacobum de vivario, Jacobum pacium et Anselmum Merlum sicut continetur in instrumento inde composito per Jacobum Boviculum notarium, Idcirco predicti Jacobus Strictus Astensis potestas, Guilelmus Abbas de Stafarda, Anselmus prior de domo nova, Jacobus pacius, Jacobus de Vivario et Anselmus Merlus Tale melioramentum et conventum inter Astenses et predictum Marchionem ordinaverunt atque fecerunt, Videlicet quod Astenses decetero teneantur salvare custodire adiuvare defendere et manutenere dominum Manfredum Marchionem de Salucio sicut alios cives Astenses, Et quod decetero ipse Marchio de facto dominorum de Manciano et dominorum de Sarmatorio et dominorum de Montefalcono non teneatur, et totum illud de facto Solerij et de Castellanis de pedemontibus tam feudatis quam alodijs eorum sibi restituendis quam de alijs rebus scriptum est, cassum et irritum perpetuo sit et nullius momenti. Item ordinaverunt ut a presenti die in antea, si Astenses per se vel cum ipso Marchione, aut ipse Marchio per se vel cum Astensibus aliquid acquisierit a Brayda superius, quod illud totum inter eos sit comune, ita quod Astenses habeant medietatem et iandictus Marchio aliam medietatem, Eo tamen salvo quod si pro hoc facte fuerint forte ab Astensibus vel ab ipso Marchione alique expense vel aliqua pecunia sine fraude solveretur, quod Astenses medietatem et iandictus Marchio medietatem solvere debeant, deducto et extracto tamen eo quod Astensis Episcopus habet in illis partibus. Item ordinaverunt ut prefatus Marchio restituat Saraceno de platea redemptionem quam ex eo habuit, ad illum terminum et sicut potestas Astensis dixerit, Et ut idem Marchio de facto Robaldi de Brayda, et de facto henrici de Brozascho maneat in precepto potestatis Astensis, sicut preceperit ipse potestas. Idem ordinaverunt ut decetero prefatus Marchio tribuat fodrum comuni Astensi in urbe Astensi semper cum civitas ad fodrum pervenerit, de extimatione librarum trecentarum. Item ordinaverunt et pro melioramento dixerunt ut deinceps semper Astensis potestas aut consules in introytu eorum regiminis iurare debeant supra dei evangelia conventa omnia habita inter Astenses et predictum Marchionem, ac ordinata sicut supra in cartulis inde compositis continetur bona fide omni malo ingenio sublato, et mali fraude remota attendere et observare, et quod hoc idem facient iurare alijs potestatibus et consulibus post eos sequentibus, et ipsi alijs

post illos intrantibus attendere et observare ita ut hoc perpetualiter fiat. Actum ast ad portam mercati in domo Guilelmi donneti, interfuerunt testes ad hoc vocati et rogati Ardicio de Riviliasco, Anselmus de Vignolio, Manfredus de Riviliascho, homodeus Trosellus, Henricus Soldanus, Nicholaus Gardinus, Guilelmus Gardinus, Rollandus Crivellus, Jacobus Mantogarcius Judex Jacobi Stricti potestatis Astensis, Maynfredus de Solario, Guilelmus donnetus et Jacobus notarius et plures alij.

Ego Thomas notarius pallatinus rogatus interfui et iussu predictorum Jacobi Stricti potestatis Astensis et predicti Marchionis atque predictorum Guilelmi Abbatis de Stafarda et Jacobi pacij, Jacobi de Vivario, Anselmi prioris de domo nova et Anselmi Merli sic scripsi.

910. *De pace facta inter dictum dominum Mainfredum Marchionem de Salucio ex una parte et comune Ast ex altera, In qua inter cetera sub certa forma inferius scripta fecit dicto comuni Ast fidelitatem de Salucio, Romanisio et Castelliono, Et debet esse civis Astensis sicut antea erat.* 1206. 17 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto, Indictione nona, In nomine domini nostri yhesu christi amen. Hec est forma pacis et concordie facte inter homines de Aste et dominum Manfredum Marchionem de Salucio tempore domini Lantelmi de landriano potestatis Astensis. Homines enim de Aste [1] faciunt pacem et finem ipsi domino Manfredo Marchioni de Salucio de omnibus damnis maleficijs et malefactis, que ipse dominus Manfredus per se vel per suos homines hominibus de Aste olim fecerat in here et [2] in personis de [3] hac guerra. Item debent eum investire de suo recto feudo in filios et in filias videlicet de Salucio et Romanisio et de Castelione, vel de alio [4] loco in locum Castellionis secundum quod Astensis curia [5] dixerit [1]. Et de hoc feudo taliter debent eum investire, et homines de Aste tributa et redditus seu census vel godias et albergarias, secundum quod soliti sunt habere, ut in cartis inde olim factis continetur. Item homines de Aste non debent facere aliquem locum novum a Brayda superius et a Stoarda superius, sicut vadit Santena usque ad collem de Argenteria, nec dare forciam nec virtutem nec consilium, nec auxilium ut fiat. Item si ipse Manfredus Marchio de Salucio conquestus fuerit de hominibus Cunei, vel homines Cunei de ipso Manfredo, quod ipsi de Cuneo fregissent ipsi Marchioni pacem quam cum eo fecerunt sicut scripta est et ordinata, vel quod ipse Marchio illam fregisset eis de Cuneo potestas vel consules in Aste per tempora existentes pro comuni debent hoc cognoscere et difinire et dicere ut restituatur damnum illi, cui cognoverint illam pacem fuisse fractam, Et totum hoc facere debent et dicere ut fiat infra quadraginta dies, postquam querimonia inde facta fuerit. Et si illi de Cuneo vel dictus Marchio, nollent, vel nollet restituere damnum infra prefatum terminum, secundum quod a potestate vel consulibus de Aste esset cognitum difinitum et dictum, homines de Aste debent illi, qui hoc facere nolent deficere. Dominus Manfredus de Salucio Marchio

[1—1] Haec instrumenti particula adhuc exstat in Fragm. Taur. Cod. Og. Alfer. folio CCCII. ex quo transcriptam edidere Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars. II. col. 361. N. 113, et Muletti *Storia di Saluzzo* cit. Vol. II. pag. 110, adscripto anno 1191. Fragmenti Taurinensis exempli cum nostro collati lectiones varias hic afferemus. — [2] *Avere vel.* — [3] *pro.* — [4] *aliquo.* — [5] *dixerit etc. Require in titulo marchionis saluciarum in folio ..... Et in libro veteri in folio* XVI.

debet facere pacem et finem domino Lantelmo de landriano potestati Astensi nomine communis de Aste, de omnibus damnis vastis et incendijs ac maleficijs seu malefactis, que homines de Aste per se vel per alium olim ei vel suis hominibus fecerunt in here et in personis pro hac guerra. Item debet eis facere fidelitatem de supradicto nominato feudo, talem qualem facit vasallus domino suo, Ita ut homines de Ast habeant tributa vel redditus seu census vel godias vel Albergarias predicti feudi communis de Ast ut superius dictum est. Et debet abrenunciare fidelitatibus militum et hominum, qui sunt in predicto feudo, et eas facere fieri communi de Aste. Et debet esse civis Astensis sicut erat, et ut in cartis inde factis continetur. Et debet iurare hanc pacem et concordiam firmam tenere in perpetuum. Item si quid in hac pace cum consilio potestatis vel consulum in Aste per tempora existentium et eorum credentie per campanam congregate totius vel maioris partis et predicti domini Maynfredi Marchionis de Salutio communiter aliquid additum vel diminutum fuerit, homines de Aste et ipse dominus Maynfredus observare debeant, ita quod de addito teneantur et de diminuto sint absoluti. Et sic ut supra legitur Maifredus de Salucio, juravit attendere et observare. Actum in Aste in mercato de domate in publica contione, Interfuerunt testes, dominus Guilelmus Marchio Montisferrati, dominus Ubertus de Coconato, Ardizio de Riviliascho, Maynfredus de drua, dominus Systus Maynfredus de Solario, Azo palius, Guilelmus Sylvatichus, petrus laurencius, Bayamondus Careocius, Robaldus Gardinus et multi alij. Et ibidem Astensis populus iuravit idem, per manum Jacobi Boviculj. Actum die martis sextodecimo intrantis Madij [1]. Eodem anno et eodem die et eodem loco et presentibus eisdem testibus dominus Lantelmus de landriano potestas Astensis nomine communis de Aste Investivit per quoddam lignum dominum Mayfredum Marchionem de Salutio in rectum feudum in filios et in filias de Romanisio, de Salucio et de [2] Castellione [1]. Item eodem anno, dominus Lantelmus de Landriano potestas Astensis ex parte communis de Aste juravit predictam pacem et concordiam observare et firmam tenere tempore sui regiminis. Item consules de iusticia et credendarij de Aste, quorum nomina subter leguntur, iuraverunt supra dei evangelia eandem pacem et concordiam perpetuo firmam tenere, Nomina quorum sunt hec, Mainfredus de Solario, Azo palius, Astenses consules de iusticia, henricus Soldanus, Bayamondus Careocius, Petrus laurencius, Mussus Trosellus Abbas de Sancto Juliano, Jacobus Robba, Jacobus de Otta, Astesianus Armannus, Petrus Rotarius, Obertus de Aste, Robaldus Nasellus, Lo. Sartorius, Olricus Josbertus, Jacobus Grognardus, Girardus Giniorius, Oliverius Malcapucius, Berrardus Benedictus, Anselmus de prato, petrus de Troya, Jacobus layolius, Bonusiohannes de platea, Berrardus Bigotus, Otto de quaranta, Siribonus de porta, Oglerius Colorius, Guilelmus Juvetus, Petrus de Moneta, petrus de Rupe, Albertus Crivellus, Rodulfus durnasus, Maynfredus Cassanus, Jacobus piperata, Petrus de Aratio, Gualla Bucanigra, Jacobus Cavazonus, Johannes Fantinus, Bonefacius Crivellus, Jacobus de Sanctoiohanne, Guilelmus

[1—1] Haec instrumenti particula adhuc exstat in Fragm. Taur. Cod. Og. Alfer. folio CCCII. ex quo transcriptam edidere Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars. II. col. 361. N. 113, et Muletti *Storia di Saluzzo* cit. Vol. II. pag. 110, adscripto anno 1191. Fragmenti Taurinensis exempli cum nostro collati lectiones varias hic afferemus. — [2] *Castellione etc. Require in titulo marchionis saluciarum in folio .... Et in libro veteri in folio* XVII.

Rotarius, Obertus oculusbovinus, Cagia, Nicholaus Gardinus, Guilelmus Sylvaticus, Berrardus Adurnus, Otto layolius, Rollandus Berrardengus, henricus Aytropus, Guilelmus Noroblus, Oddo vola, Albertus de porta, Bonafusus de Alerdo, Guilelmus Amicus, Obertus Sinistrarius, Jacobus Bergogninus, Bonanatus pelleta, Bellengerius laurencius, Guilelmus Sicardus, Rollandus Cazo et Jacobus de Stoarda omnes credendarij de Aste. Actum in Urbe Aste in ecclesia sancti Johannis de domate die mercurij sextodecimo kallendas Junij, Interfuerunt testes dominus Guilelmus Marchio Montisferrati, dominus Ubertus de Cochonato, Maynfredus de drua, Anselmus Merlus, dominus Systus et Jacobus de Vivario, Boninus de Sancto Systo et Otto Bassus. Ibidem dominus Ubertus de platea Astensis consul de iusticia et petrus Cicia, credendarius promiserunt ipsi Maynfredo Marchioni de Salucio predictam pacem et concordiam attendere et firmam tenere.

Ego Jacobus Vetulus sacri pallatij notarius ex mandato domini Lantelmi de Landriano potestatis Astensis, qui inde instrumenta fieri precepit plura, tria instrumenta in uno tenore sic scripsi.

[1] Eodem die et eodem loco et presentia eorumdem testium, dominus Maynfredus Marchio de Salutio [2] fecit fidelitatem comuni et hominibus de Aste, in hunc modum. Juro quod amodo ero fidelis, hominibus et communi Astensi de salucio et de Romanisio et de Castelliono [3], contra omnes homines salvo Imperatore. Item non vetabo Salucium nec Romanisium nec castelionum hominibus de Aste pro communi nec pro diviso, quin faciant inde pacem et guerram cuicunque voluerint, et ex eis guerram et pacem faciam si michi preceperint. Item adiuvabo homines de Aste tenere Salucium et Romanisium et Castellionum et totam aliam terram de qua sunt saxiti et investiti contra omnes homines, Et si eam perdiderint, adiuvabo eos ad illam recuperandam et recuperatam eos adiuvabo eam tenere contra omnes homines [4]. Item totam aliam terram quam acquisiverint et de qua saxiti fuerint et investiti cum ratione, adiuvabo eos tenere contra omnes homines. Et si eam perdiderint ad eam [5] recuperandam [1] eos adiuvabo, et recuperatam adiuvabo eos eam tenere salvis meis dominis de suo. Item non ero in consilio nec in facto ut homines de Aste perdant vitam vel membrum vel ut recipiant captionem contra eorum voluntatem, Et si scivero malum communis vel hominum de Aste, illud vetabo ne fiat si potero, et si non potero, quam citius potero per me vel per meum missum vel per meas literas eis denunciabo. Item si consules vel potestas vel homines de Aste, a me consilium petierint, dabo eis bona fide et sine fraude, Credentiam quam potestas vel consules de Aste michi dixerint, privatam tenebo, nec alicui eam manifestabo sine eorum absolto, donec pallam fuerit, Et siquid aliud continetur in fidelitate, quam gentilis vasallus facit de gentili feudo, suo gentili domino, illud observabo. Hec omnia antedicta observabo bona fide et sine fraude, salvis dominis de Suo, Si deus me adiuvet et sancta dei evangelia.

Ego Jacobus Vetulus notarius sacri pallatij interfui et scripsi.

[1-1] Haec instrumenti particula adhuc extat in Fragm. Taur. Cod. Og. Alfer. folio CCCII. ex quo transcriptam edidere Moriondus *Monum. Aquen.* cit. II. col. 361. N. 113, et Muletti *Storia di Saluzzo* cit. Vol. II. pag. 110, adscripto anno 1191. Fragmenti Taurinensis exempli cum nostro collati lectiones varias hic afferemus. — [2] *salucijs.* — [3] *casteglono.* — [4] *ad recuperandam* eam tenere. — [5] *recuperandam etc. Require in titulo marchionis suluciarum in folio .... Et in libro veteri in folio* XLVII.

911. *Quomodo dictus dominus Marchio presente domina Alasia avia sua promisit attendere concordiam et pacta factas inter dictum comune Ast ex una parte et dominum Marchionem Montisferrati nomine dicti Marchionis Saluciarum et Marchiones de Vasto et certos castellanos ex altera.* 1228. 12 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo octavo Indictione prima, die martis duodecimo intrantis decembris, Coram testibus infrascriptis, dominus Manfredus Marchio de Salucijs, presente et volente domina Alasia Avia sua promisit Millono Turrello et Guilelmo de donnamandra, sindicis et auctoribus et procuratoribus communis Astensis, ad hoc electis ut continetur in carta inde facta a Jacobo Belserio notario in anno domini MCC°XXVIII,° Indictione prima die dominico sexto kallendas decembris et domino percivallo de Auria potestati Astensi ibidem presentibus nomine et vice communis Astensis stipulantibus attendere observare et firmam tenere concordiam et pacta factas et habitas inter comune Astense ex una parte et Marchionem Montisferrati nomine ipsius domini Manfredi Marchionis Salutiarum et Marchiones de Vasto et castellanos ex altera. Et ex sua parte facere et complere quod in ea continetur in omnibus et per omnia, et non contravenire ullo modo. Actum in Romanisio, Testes dominus percivallus de plozascho, Fredericus de lavazanis, Albertus crivellus, Mascarus Scarampus, Ubertus de Gorzano et plures alij. Eodem die et loco et testibus dominus Guilelmo de Buscha Marchio promisit idem in omnibus et per omnia dicto domino percivallo potestati Astensi nomine communis Astensis stipulanti, et supra dei evangelia iuravit attendere et observare et non contravenire. Die sabbati decimo kallendas Januarij, in Cavalario in porticu Jacobi Merzarij, presentibus testibus Sisbaldo de Manzano, Alpherio et Jacobo Merzario, dominus Otto Boverius promisit et iuravit idem et eodem modo in omnibus et per omnia predictis Millono Turrello et Guilelmo de donnamandra nomine comunis Astensis recipientibus attendere et observare et non contravenire ullo modo. Item in anno domini Millesimo ducentesimo nono, Indictione secunda die iovis quinto kallendas Januarij, in Narzolis presentibus testibus dominis Blancheto de Manzano, Curado Grasso, Arnaldo de Anima et Jacobo de Plozo idem promiserunt et iuraverunt attendere et observare in omnibus et per omnia et nullo tempore contravenire, dictis Millono et Guilelmo de donnamandra nomine communis Astensis stipulantibus et recipientibus, dominus Guilelmus de Curato, Tysius de Caruto, Nicholaus de Sinfredo, Sismondus frater eius, henricus Turchus, Henricus Cignetus, Thomas de Meanis, Arnaldus de Montefalcono et Aycardus de Cayrascho.

Et de predictis Mussus Boviculus notarius cartam scripsit.

912. *De sindicatu facto per comune Ast in personis quorundam civium Astensium ad recipiendum a suprascriptis dominis Marchione Salutiarum et alijs nobilibus predictis (Marchiones de Vasto) promissiones predictas de dictis pactis et concordia observandis.* 1228. 26 Novembris.

Anno domini Millesimoducentesimovicesimooctavo Indictione Prima die dominico sexto kallendas decembris, presentia infrascriptorum testium dominus percivallus de Auria potestas Astensis voluntate et consilio credendariorum suorum ore

ad os interogatorum et scriptorum constituit et fecit Millonum Turrellum et Guilelmum de donnamandra sindicos auctores et procuratores comunis Astensis ad recipiendum promissionem et iuramentum a domino Manfredo Marchione de Salucijs de attendenda concordia et pactis factis et habitis inter comune Astense ex una parte et Marchionem Montisferrati nomine ipsius domini Maynfredj Marchionis Saluciarum, et Marchiones de Vasto et Castellanos, Et ad recipiendum promissiones iuramenti hominum ipsius Marchionis, Et ad recipiendum promissiones iuramenta et fidelitates dominorum de Manzano et de Sarmatorio et de Montefalcono, et hominum eorundem, Promittendo quod quicquid ipsi inde fecerint et receperint se ratum et firmum et comune Astense perpetuo habiturum, ac si ipse personaliter faceret et tractaret. Actum Aste in domo communis. Interfuerunt testes dominus henricus Recamus iudex potestatis et dominus Bernardus miles eius et dominus Egidius miles eius.

Jacobus Belserius notarius pallatinus iussu potestatis inde cartam fecit.

CLXXIII. De Monteferrato. Tractatus.

913. (*Wilielmus filius Bonifacij Marchionis Montisferrati dat et reddit comuni astensi instrumentum quod dominus Marchio de Buscha et Comes Laureti fecit Bonifacio Marchioni Montisferrati de dono quod ei fecerat de tota sua terra, datum* 1196. 3 novembris). 1206. 6 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo sexto Indictione nona die sabbati sexto intrantis Madij presentia infrascriptorum testium dominus Wilelmus filius domini Bonefacij Marchionis Montisferrati dedit et reddidit domino lantelmo de landriano potestati Astensi nomine communis Astensis recipienti instrumentum quod dominus Manfredus Marchio de Buscha et Comes laureti fecit domino Bonefacio Marchioni de Monteferrato de dono quod ei fecerat de tota sua terra secundum quod in istrumento inde composito Anno ab incarnatione domini nostri yhesu christi MCLXXXXVI Indictione XIIII quod fuit tercia die intrantis novembris per manum petri sacri pallatij notarij in terra dolianni continetur qui dominus lantelmus nomine communis Astensis dicto domino wilelmo Marchioni Montisferrati stipulanti promisit facere ei copiam ostendendi in iudicio prelibatum instrumentum quotiens ei necesse fuerit, Eo salvo quod ipse Wilelmus Marchio per se neque per aliam personam non possit se adiuvare ex illo instrumento respectu doni quod ipse dominus Wilelmus suo nomine et nomine patris sui domini Bonefacij fecerat pretitulato domino lantelmo de landriano potestati Astensi nomine et vice communis Astensis de laureto et comitatu laureti et pertinentijs contra commune de Aste neque contra aliam personam in aliquo tempore ullo modo. Similiter dominus lantelmus de landriano potestas Astensis nomine communis Astensis promissit prefato domino Marchioni Wilelmo Montisferrati stipulanti, quod ipse neque commune de Aste per se neque per aliam personam non iuvabit se de predicto instrumento contra ipsum Guilelmum Marchionem Montisferrati nec contra aliam personam in aliquo tempore ullo modo respectu alterius terre cuius sit mencio in suprascripto instrumento et de qua ipse dominus Wilelmus Marchio Montisferrati suo et patris sui nomine domino lantelmo potestati Astensi nomine communis de Aste donationem non fecerat. Et inde duo instrumenta uno tenore per alfabetum divisa fieri

preceperunt. Interfuerunt testes rogati Girardus ginorius, Petrus laurencius, Rollandus Cazo, Wilelmus Gardinus, Jacobus de yviario, Wilelmus Silvaticus, Ardizonus Bertramus, Raynerius Calcaneus, Wilelmus Ratio, Wilelmus Sicardus, Rollandus Sinistrarius, Ubertus pallius, Ubertus de Stoierda, dominus Gotofredus Comes de Blandrato, Ugerius Capitaneus de vallentia, Assaglitus de Sancto nazario, Raynerius Advocatus, Raynerius de grana, Albertus Truxius de Cremona, Nicolaus de foro, Robaldus de Corneglano, Antiquus de Quaranta et multi alij. Actum in quadam via publica sub castro Caliani feliciter.

Gandulfus de Fossato notarius scripsit.

914. *De concordia et conventione facta inter comune Ast ex una parte et dominum Bonefacium Marchionem Montisferrati ex altera de guerra per eos facienda contra Alexandrinos.* 1227. 19 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo septimo Indictione quintadecima die lune nonodecimo Aprilis In nomine domini nostri yhesu christi amen presentia infrascriptorum testium hec est forma concordie, que deo dante facta est ex una parte inter Guilelmum Cacayranum et Guilelmum Cassanum sindicos seu procuratores et actores communis astensis vice dicti communis Astensis, Et quod sint sindici seu procuratores apparet per cartam factam ab Uberto medico notario in anno domini MCCXXVII°. Indictione XV^a^ die sabbati XV.° kallendas Madij, et dominum Bonefacium Marchionem Montisferrati ex altera, In primis dictus dominus Bonefacius faciet guerram vivam ad ignem et sanguinem ad totum suum posse per se et homines suos et per totam terram suam bona fide, Excepta terra illa quam habet ultra Burmiam communi et hominibus de Alexandria et de posse et districtu Alexandrie. Item quod de predicta guerra dictus dominus Bonefacius non faciet pacem treuguam nec guerram recreutam absque consensu et voluntate communis de Aste data et commissa ab Astensi credentia tota vel maiore parte. Item ipse Marchio precipiet et tenebit in terra sua de Monteferrato et in terra sua quam habet ultra Tanagrum citra Burmiam centum milites munitos equis et armis militaribus a principio dicte guerre usque ad finem dum presens guerra durabit, qua finita si alia guerra vel guerre decetero verterentur inter dominum Bonefacium et commune de Aste ex una parte et commune de Alexandria ex altera precipiet et tenebit milites quos tenere poterit bona fide. Item dictus dominus Bonefacius dictam guerram incipiet per se et suos homines infra mensem unum postquam fuerit requisitus per potestatem Astensem vel ab alio pro communi Astensi faciendo dictis Alexandrinis et hominibus Alexandrie et hominibus districtus Alexandrie per se suos homines de tota terra predictam guerram ut dictum est supra et ad totum suum posse dum guerra duraverit. Item dictam guerram faciet dictis hominibus Alexandrie et hominibus de eius posse et districtu ut supra non obstante aliquo precepto quo decetero ei fieret ab aliquo denegando et vetando per se et homines suos dictis Alexandrinis stratas et mercata, et ne aliquis illuc deferat aliquam mercandiam. Item finita predicta guerra si commune et homines Alexandrie incipient communi et hominibus Astensibus vel si commune de Aste communi et hominibus Alexandrie guerram incipiet cum consilio et voluntate dicti domini Bonefacij vel alterius pro eo, ipse dominus Bonefacius per se et homines suos et de tota terra sua incipiet guerram vivam ad

ignem et sanguinem et ad totum posse ut supra in predictis omnibus capitulis continetur communi et hominibus Alexandrie. Item dictus dominus Bonefacius ad totum suum posse bona fide et sine fraude faciet fieri guerram dictis Alexandrinis ab omnibus suis hominibus et locis quos ad dictam guerram faciendam inducere poterit dando ad hoc faciendum opem, operam et consilium bona fide et sine fraude, Excepta terra et hominibus quos habet ultra Burmiam, Ita quod de terra et hominibus suis preter quam de exceptata faciet guerram ut supra continetur in omnibus predictis capitulis. Item completa dicta concordia si Rectores civitatum lombardie vellent cogere dictum dominum Bonefacium vel ei dicere quod veniret ad pacem cum Alexandrinis de presenti guerra eam facere possit, tali modo quod dictus Marchio se possit ponere si voluerit in dictis Rectoribus dantibus et facientibus convenientem et legalem ac decentem pacem inter commune de Aste et commune Alexandrie nec aliter dictam pacem facere possit, nec se ponere in dictis Rectoribus, quod capitulum locum habeat si Januenses confirmaverint et voluerint illud quod continetur in septimo capitulo conventionis et concordie Januensium et Astensium et Marchionis, quod sic incipit. Item quod non faciet pacem etc. ab illo verbo eo tamen salvo usque in fine illius capituli, Alioquin demum finita presenti guerra in alia sequenti locum habeat. Item si guerra inciperet vel fieret inter dictum dominum Bonefacium et commune de Aste ex una parte et commune Alexandrie ex altera si ea durante Imperator intraverit lombardiam non teneatur dictus dominus Bonefacius communi Alexandrie guerram facere dum ipse Imperator in lombardia steterit, nec dictis Alexandrinis guerram incipere existente imperatore in lombardia, nisi se cum Imperatore concordaverit vel alius pro eo aut cum alio pro eo, qua concordia facta dicto communi Alexandrie guerram facere teneatur in omnibus et per omnia prout supra in omnibus predictis capitulis continetur. Et postquam imperator exiverit de lombardia ad predicta omnia facienda teneatur sicut in omnibus predictis capitulis continetur. Item si contigerit, quod deus avertat quod commune de Aste vel alius pro ipso communi diceret vel dicere vellet quod dictus dominus Bonefacius vel alius pro eo venisset vel fecisset in aliquo vel in pluribus contra formam dicte concordie commune Aste et dictus Marchio teneantur eligere unum vel duos communes amicos infra mensem unum postquam hoc diceretur a dicto communi vel ab alio pro communi qui amicus vel amici infra unum alium mensem debeant cognoscere veritatem, et pronunciare et illud quod pronunciaverint attendatur infra unum alium mensem post pronunciationem, dicta concordia nichilominus firma et in suo statu perdurante. Et hoc fiat totiens quotiens hoc evenerit vel diceretur a communi vel ab alio pro communi durante semper concordia quicquid contingat vel eveniat. Item potestas teneatur facere poni ab emendatoribus capituli speciale capitulum quo continetur, quod potestas et consules per tempora in regimine civitatis existentes teneantur predicta attendere et observare et firma tenere in perpetuum, Et Astenses iurabunt quod ipsum capitulum numquam tolletur nec mutabitur de capitulo communis Astensis. Item si contingeret quod Astenses et Januenses pacem facerent sine Marchione, teneantur Astenses de novo guerram facere, et eam bona fide et sine fraude facere ad ignem et sanguinem ut in superioribus capitulis continetur, post dies quindecim connumerandos a die pacis, et infra illos xv. dies teneantur terram ipsius Marchionis defendere bona fide eorum posse, et arma et equos

tenere quos nunc habent. Item si occasione predicte guerre aliqua guerra inciperetur dicto Marchioni vel communi Astensi quod teneantur ad invicem bona fide de illa guerra se iuvare. Omnia predicta promisit et iuravit dictus dominus Bonefacius suprascriptis sindicis nomine et vice communis Astensis in omnibus et per omnia decetero in perpetuum attendere complere et observare et firma tenere et in aliquo predictorum non contravenire modo aliquo sub aliquo ingenio Et hoc idem faciet promittere et iurare omnibus castellanis suis, et militibus de Monteferrato et omnibus militibus suis et castellanis de terra quam habet ultra Tanagrum, citra Burmiam et qui per tempora fuerint castellani et omnibus castellanis seu Marchionibus qui tenent feudum ab eo in predictis terris, et omnibus alijs hominibus convenientibus ad hoc qui sunt vel fuerint in predictis terris, jurando et iurare faciendo predictis decetero in perpetuum ut supra de tercio in tercium annum nisi remanserit absolto potestatis vel consulum qui per tempora fuerint dato et concesso ab Astensi credentia tota vel maiori parte. Et omnes infrascripti iuraverunt et promiserunt dictis sindicis nomine communis Astensis dare dicto Marchioni forciam et virtutem consilium et auxilium ut predicta omnia conpleat attendat et observet in omnibus et per omnia videlicet Manfredus de Cavaglata, Ferarius de Valentia, Ubertus de Revello, Conradus de Caliano, et Guilelmus Follus de Caliano et Ansaldus de lanerio, ac Enricus de Incisa. Et versa vice dicti Guilelmus Cacayranus, et Gulielmus Cassanus sindici et procuratores communis Astensis nomine et vice communis Astensis ad sancta dei evangelia iuraverunt et promiserunt dicto domino Bonefacio attendere et observare omnia ea que superius continentur in perpetuum in omnibus et per omnia prout dictus dominus Bonefacius promisit et iuravit, ita quod eodem modo et eadem forma commune Astense teneatur versus dictum dominum Bonefacium, quemadmodum ipse tenebitur versus dictum commune. Actum in ecclesia sancte Marie de Fringo. Interfuerunt testes Pellegrinus notarius, henricus de Serra notarius Janue, dominus paganus de Rocheta et dominus Jordanus de Aglano.

Et Maynfredus Carena notarius inde cartam fecit.

915. *De Validacione dictarum conventionis et concordie cum pena X^M marcharum argenti.* 1227. 21 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo septimo Indictione quintadecima die veneris duodecimo kallendas Junij coram testibus infrascriptis dominus Bonefacius Marchio Montisferrati promisit domino Barocio de Burgo potestati Astensi et Guilelmo Cacayrano et Guilelmo Cassano sindicis procuratoribus seu actoribus communis Astensis sicut continetur in instrumento facto ab Uberto medico notario in anno domini MCCXXVII° Indictione XV. die Sabati quintodecimo Madij nomine et vice communis Astensis stipulantibus attendere complere et observare et firma tenere decetero in perpetuum omnia ea que continentur in concordia seu conventione facta inter ipsum dominum Bonefacium Marchionem ex una parte et commune de Aste sive syndicos ipsius communis nomine illius communis ab altera que concordia et conventio continetur in instrumento facto per manum Maynfredi Carene notarij in anno domini MCCXXVII° Indictione XV.ª die nonodecimo intrantis Aprilis, et in alio instrumento eiusdem tenoris facto a Jordano Pellegrino notario Anno domini MCCXXVII° Indictione et die predictis. Que omnia si dictus dominus Bonefacius Marchio non

attenderet fecerit et observaverit in omnibus et per omnia prout in dicta concordia et conventione continetur promisit dicto Barocio et dictis sindicis et procuratoribus seu actoribus nomine et vice dicti communis stipulantibus et recipientibus dare et solvere dicto communi pro pena et nomine pene decemmillia Marcharum argenti rato manente pacto et omnibus hjs que in dicta concordia et conventione continentur ratis et firmis permanentibus, hoc acto et nominatim expresso inter dictum dominum Bonefacium ex una parte et dictum potestatem procuratores et sindicos predictos nomine communis Astensis ex alia, Quod si commune de Aste vel alius pro ipso communi dixerit vel dicere voluerit dictum Bonefacium Marchionem predictam concordiam et conventionem et ea omnia que continentur in dicta conventione et concordia in aliquo vel in pluribus non observasse vel contravenisse, tunc dictus dominus Bonefacius et commune de Aste vel alius pro communi teneantur et debeant et promiserunt bona fide et sine fraude eligere unum duos communes amicos si inde concordaverint, Alioquin dictus dominus Bonefacius pro sua parte unum eligere debeat et teneatur et commune de Aste vel alius pro communi alterum, que electio ut supra continetur fieri debeat infra mensem unum postquam hoc diceretur a communi Astensi vel ab alio pro communi, Qui electi infra unum mensem alium debeant cognoscere veritatem de hjs que dicerentur non observata et de eis infra dictum mensem pronunciare cum consilio unius vel plurium iudicum, Et quod pronunciaverint promisit dictus dominus Bonefacius dictis Barocio et sindicis nomine dicti communis attendere et observare usque ad alium mensem, quod si non fecerit compleverit et attenderit et observaverit ut pronunciatum fuerit, tunc demum pena predicta decemmillia Marcharum argenti sit commissa, dicta concordia in suo statu perdurante. Et hoc fieri debeat totiens quotiens hoc evenerit vel diceretur a communi Astensi vel ab alio pro communi durante semper concordia quicquid contingat vel eveniat. Pro quibus omnibus attendendis faciendis observandis, et complendis, dictus Bonefacius Marchio dictis Barocio et sindicis nomine communis Astensis pignori obligavit totum illud quod ipse vel alius pro eo habet tenet et possidet vel quasi possidet in locis, castris, villis hominibus territorijs et iurisdictionibus infrascriptis scilicet in Sancto stephano, in Montebersario, in Malamorte, in Curticellis, in felizano, in Caliano, in Rippa, in Cunego et totum illud quod ipse Marchio vel alius pro eo habet tenet et possidet vel quasi possidet in Coxano et hominibus dicti loci et posse et in Rupecula de Castano et hominibus et posse iure fidelitatis vel alio modo, Et totum illud quod dominus Raymondus de Buscha a dicto Marchione tenet. Item totum illud quod dominus Otto de Careto habet tenet et possidet vel alius pro eo in Curtemillia, Sanctazilia, primeto vel alibi ab ipso Marchione. Item omnia servitia et iura competentia ipsi Marchioni versus ipsos vasallos respectu feudorum superius nominatorum. Hec omnia dictus Marchio fecit promisit convenit et obligavit predicta ac iuravit voluntate et consensu domini Petri de ponzono, Raymondi de Buscha, Uberti de Revello, Jacobi de Grafangno, Butini de Montebarucio, Conradi de Caliano, Anselmi de Belmonte, Ansaldi de lanerio. Hoc insuper acto quod pena commissa ut supra liceat predicto communi vel alij pro communi ingredi possessionem et quasi possessionem predictorum omnium sua auctoritate et ea tenere et possidere et quasi popossidere quamdiu de predicta pena predicto communi integre fuerit satisfactum. Constituendo ex nunc

dictus Marchio se tenere et possidere et quasi possidere predicta omnia nomine predicti communis, usque dum de predictis dicto communi ad plenum fuerit satisfactum. Hec omnia suprascripta promisit et ad sancta dei evangelia iuravit dictus Marchio attendere observare conplere et firma tenere in perpetuum et nullo tempore contravenire. Actum in Ayralio sancte Marie mansionis templi de Aste. Interfuerunt testes, dominus Rufinus lupus, dominus Albricus de Rovoreto, dominus Oprandus Gabus, Magister Jordanus notarius, dominus Corrigia.

Et Manfredus Carena notarius cartam fecit.

916. *De promissione cum iuramento facta per dominum Guillelmum Marchionem Montisferrati de observando illud quod dicent et precipient potestas Mediolani et consules placentie maxime super treugua habenda cum Astensibus, et super pecunia sibi debita a papiensibus.* 1204. 28 Junij.

In nomine domini. Anno dominice incarnationis, Millesimo ducentesimo quarto, quarta die ante kallendas Jullij Indictione VII.ª iuxta fossatum loci de Vallenza infrascriptis testibus presentibus et multis alijs, dominus Guilelmus Montisferrati Marchio ad sancta dei evangelia iuravit quod bona fide et sine fraude aliqua, audiet attendet et observabit omne preceptum et tota quod et que ei facient potestas Mediolani et consules communis placencie qui modo sunt vel pro tempore fuerint per se vel suum missum, aut per eorum litteras sigillatas, Et audire vel nuncium seu ipsum potestatem et consules communis placencie recipere, Et precepta sua audire nullatenus evictabit. Et maxime pro treugua danda facienda et tenenda per se et suos homines et potestatem Astensem et illos de sua parte et pro solvenda pecunia quam papia, dare tenetur ex contractu, quem dominus Bonefacius pater eius fecit cum ipsis papiensibus quando ivit Veneciam, Et pro illo contractu, quem ipsemet fecit cum eis papie, pro quibus eis obsides dedit, Et pro ratione facienda de alijs debitis non liquidis, Et pro fine facienda per se et homines suos omnes et fieri facienda de omnibus iniurijs rapinis et damnis datis sibi vel hominibus suis factis vel datis a papiensibus vel aliquo alio de parte sua, Ex quo exercitus padum transivit, Et sic super tactis evangelijs promisit attendere. Et Rogerius de Gatto notarius commissarius domini Henrici Imperatoris et communis Mediolanni scriba interfuit, et rogatus ut in publicam formam redigeret ad scribendum dedit et scripsit, Item testes quos infrascriptus notarius scribere ignoravit scripsit videlicet Opizonem Amiconum, Raynerium Cottam et Rogerium Marinonum de Mediolanno.

Et Galdinus qui dicor de Sexto sacri pallatij notarius scripsi iussu Rogerij de Gatto.

917. *De protestatione facta per dictum dominum Marchionem de baylia quam predicti potestas et consules habebant in certis presonerijs, et de promissione per eum facta de non artando eos ad solutionem, Et de precepto per ipsos potestatem et consules ei facto de sic observando etc.* 1204. 10 Julij.

In nomine domini, Anno dominice incarnationis, Millesimo ducentesimo quarto decimo die mensis Julij, Indictione VIIª In civitate Alexandrie, presentibus Guilelmo de lazavegla et Balduyno de la turre et Raynerio de Granno et Guido de prora et

Jacobo petenario, et alijs pluribus, dominus Guilelmus Marchio Montisferrati dixit et protestatus fuit atque contentus et confessus, quod commune Mediolani et commune placentie habent et habere debent illam eandem potestatem et virtutem in presonerijs quos manulevari faciet ipsis absentibus quam nunc habent cum illis, qui in eorum presentia forent manulevati scilicet ipsis presentibus vel alijs rectoribus Mediolanni manulevati forent, Et quod ob id nullum fiat preiudicium ipsis communibus Mediolani et placencie, nec diminutio sui juris fiat, propterea promisit ibi domino Manfredo de ossa potestati Mediolani et Guido de Andito consuli plancencie a parte presoneriorum suorum quod aliquem de presonerijs suis non conveniet nec artabit seu appellabit appensionem redire vel in eius virtutem venire neque ad aliquam vel exactionem exigere vel solvere, nec etiam eorum manulevationes vel fideiussores infra dies octo ante terminum treugue seu treuguarum, que statute fuerint seu statuta per commune Mediolani et commune placencie. Quod postea statim fere presentibus dicto domino Marchione et approbante, et Alberto de Fontanna et petro Coliono et Uberto de Mandello atque Guidone de plora et pluribus alijs, predicti domini Manfredus de Osa potestas Mediolani et Guilelmus de Andito consul communis placencie, ex officio suo et potestate, quod super presonerijs habent pro communibus ipsarum civitatum statuerunt et preceperunt ut ille dominus Marchio Guilelmus sic attendat et observet et firmum et ratum habeat.

Et Rogerius de Gatto notarius et missus domini henrici Imperatoris ac communis Mediolani scriba interfuit, et rogatus ad scribendum dedit et scripsit, Et inde plura instrumenta uno tenore fieri rogata sunt.

Et Galdinus qui dicor de sexto sacri pallatij notarius scripsi iussu Rogerij de Gatto.

918. *De pace et concordia factis inter dominum Marchionem Montisferrati ex una parte et comune Ast ex altera In qua remisit dicto communi Ast Rochetam, et confessus fuit se tenere Felizanum in feudum a dicto comuni.* 1193. 11 Aprilis [1].

In nomine sancte et individue trinitatis, Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo tercio Indictione XI^a^ die dominico undecimo intrantis mensis Aprilis. Pax et concordia inter Bonefacium Marchionem Montisferrati et homines de Aste firmata est, Cuius tenor talis est, Imprimis dictus dominus Bonefacius fecit pacem et finem hominibus de Aste in manibus Jacobi stricti potestatis Astensis et omnibus hominibus de eorum parte per se et per omnes homines de sua parte, Et maxime hominibus de Alexandria, Episcopo Taurinj, Manfredo Marchioni de Buscha, domino Uberto Comiti de Cocanada, Marchionibus Encise, Illis de Rippalba de Castronovo, Illis de Montecucho, Illis de Montefia, Illis de Monte, Robaldo de Brayda et Rodulfo de Mondonno et omnibus eorum auxiliatoribus, ex omnibus maleficijs iniurijs et damnis factis sive commissis ab Astensibus et omnibus hominibus de eorum parte adversus

1 Fragmentum hujus instrumenti, transcriptum ut videtur ex lib. Og. Alfer. iam inseruerat F. A. Ab Ecclesia in *Descriz. del Piem.* pars. I. Cap. 39, ex quo postea edidit Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars. II. col. 364. N. 120.

ipsum Marchionem et omnes homines de sua parte a principio guerre usque nunc. Insuper prefatus Marchio Bonefacius Rochetam quam ipse Bonefacius dicebat esse suam et in ea jus habere predicto Jacobo Astensi potestati nomine communis Astensis remisit et insuper illi Jacobo stipulanti promisit quod deinceps Astenses nec suos inde non appellabit nec conveniet nec inquietabit nec per se nec per heredes suos nec per submissam personam, Et quod a tempore huius guerre incepte infra non fecit nec deinceps faciet illud propter quod Rocheta eis impediatur, aut eam amittant. Item promisit quod de discordia que vertitur inter ipsum et Marchiones de Encisa stabit in arbitrio Moroelli et Guilelmi de palodio per conveniam si utrique parti placuerit sin autem per rationem et ad certam diem et certum terminum, et si istos habere non possent per unum amicum ipsius Marchionis et per unum amicum illorum de Encisa, ut supra dictum est predicta discordia decidatur et finiatur. Insuper prefatus Bonefecius Marchio fuit confessus se tenere Felicianum in feudum a communi Astensi, et promisit quod faciet fieri fidelitatem hominibus de Aste ab hominibus illius loci salva fidelitate ipsius Marchionis predictorum hominum. Item supradictus Marchio et homines de Aste debent sibi ad invicem dimittere totum illud quod habebant in Montebersario et in Malamorte et alibi ita quod utraque pars teneat et possideat partem suam libere et sine aliqua alterius partis contradictione et molestia. Item homines de Aste et omnes homines de sua parte, et iandictus Marchio et omnes homines de sua parte, libere et sine ulla inquietatione revertantur ad suas possessiohones, quas tenebant tempore huius guerre incepte. Item prefatus Marchio Bonefacius promisit restituere Comiti Grasso feudum suum si illud voluerit recipere. Item illi de Castro novo debent facere fidelitatem ipsi Bonefacio Marchioni vel Comiti de Blandrato de feudo castrinovi. Item idem Marchio Bonefacius debet et promisit facere venire illos de Montilio et de Munisengo ad mercedem et preceptum hominum de Aste, sicut alia vice ordinatum fuit per Abbatem de locedio et per Guilelmum donetum. Item sepedictus Marchio Bonefacius promisit solvere hominibus de Aste omnia debita que debet dare hominibus de Aste, et universas redemptiones quas ipse Marchio aut aliquis de sua parte habuit de civibus Astensibus et de civibus Alexandrie a principio huius guerre usque nunc, et restituere totum illud quod ipse Marchio vel alius pro eo habuit de civibus Astensibus de rebus eorum, quas habebant in terra et posse ipsius Marchionis. In hunc modum convenit autem atque promisit dare eis denarios triginta duos ex quadraginta denarijs, quos idem Marchio accipiebat pro pedagio in strata sua supra homines de Aste, et solidos quatuor ex solidis sex, quos accipiebat de extraneis pro pedagio in eadem strata, quatenus ipsi Astenses teneant et possideant predictum pedagium ut supra legitur sine contradictione ipsius Marchionis et alterius persone pro eo, donec omnia predicta solvantur, Et predictis omnibus solutis deinceps homines Astenses debent habere quartam partem totius pedagij quod a dicto Marchione accipitur in predicta strata supra homines de Aste et supra extraneos et Marchio tres partes, quam stratam Astenses promiserunt scilicet dictus Jacobus potestas nomine communis Astensis predicto Marchioni stipulanti ipsum Marchionem adiuvare ad defendendum et manutenendum ab omni homine donec per eam stratam ire voluerint. Item idem Marchio debet et promisit facere solvere hominibus Astensibus hoc quod eis debetur ab hominibus suis, Et

si inde discordia fuerit, facere eis rationem infra XL dies a deposita querela per nuncium suum in Monteferrato. Ad invicem vero dictus Jacobus strictus potestas Astensis nomine Astensis communis per se et per omnes homines de sua parte fecit pacem et finem dicto Bonefacio Marchioni per se et per omnes homines de sua parte. Et precipue hominibus de Alba et Comiti de Blandrato et Marchioni de Salutio et omnibus suis adiuctoribus de omnibus maleficijs iniurijs et damnis factis ab ipso Marchione et hominibus de sua parte adversus homines de Aste et homines de sua parte, salvis predictis debitis et redemptionibus factis sive comissis. Item prefatus Jacobus Strictus debet et promisit dicto Marchioni a parte communis Astensis facere solvere hoc quod ab Astensibus debetur hominibus suis, Et si inde discordia fuerit promisit facere eis rationem a deposita querimonia infra XL dies in Aste per nuncium suum. Quam pacem et concordiam ut supra legitur in integrum prefatus Bonefacius Marchio et Jacobus Strictus potestas Astensis pro communi Astensi iuraverunt supra dei evangelia quisque manu propria bona fide et sine fraude attendere et observare si deus illos adiuvet ad illa sancta evangelia, Et quod quisque eorum faciet iurare tot homines sue partis, quot dominus Elymosina Astensis prepositus et Guilelmus donetus, qui hanc pacem ordinaverunt inter eos iusserint et preceperint, Et illis qui ex parte Marchionis iurare recusaverint predictus Marchio iuravit per sancta dei evangelia decetero non dare consilium nec auxilium ullo tempore nec per se nec per submissam personam. Actum inter Tongum et Frengum in pratis prope Rippam Verse. Interfuerunt testes ad hoc vocati et rogati, Dominus Robba potestas Alexandrie, Rollandus Balbus, Mar Droligius, Jacobus de Rohat, Gualla Rotarius, Mayfredus de Solario, Jacobus Bertardengus, Borrinus de Taurino, Bertramus de Montilio, Oddo de Grafagnano, Fulchinus de placencia et multi alij.

Et Thomas notarius interfuit rogatus iussu que domini Elymosine Astensis prepositi et Guilelmi doneti, huius pacis et concordie duas cartas per alphabetum divisas composuit et sic scripsit.

919. *De compositione inter dictum dominum Marchionem ex una parte et dictum comune Ast ex altera facta in forma sentencie per quosdam per dictas (partes) electos super pluribus hinc inde petitis etc. ut inferius continetur.* 1197. 11 Februarij [1].

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo septimo Indictione quintadecima quod fuit tercio Idus Februarij, In nomine patris et filij et Spiritus sancti, In perpetuum super lite et discordia sive controversia, que vertebatur inter dominum Bonefacium Marchionem Montisferrati, et consules Aste nomine communitatis, qui sunt Jacobus pallidus, Bayamondus Careocius, Raymondus layolius, Ratio de Asinarijs, petrus Cicia, Otto Monachus, Jacobus Thomas et Rodulfus durnaxius pro qua de mandato Serenissimi domini nostri domini Imperatoris erant ante Castellanum noni Thomas pro iusticia facienda. Nos videlicet Thomas predictus Castellanus et Maynfredus Marchio de Salucijs et Almosna dei gratia Astensis ecclesie prepositus et nobiles cives de

[1] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcripsit ediditque Ficker *Act. Imp. Sel.* cit. pag. 820. N. 1133. Lectiones varias hic afferemus.

Alba, scilicet Anselmus Merlus, et Thebaudus de Brayda et lanfrancus Niellus[1] atque pautrerius ab utraque parte electi ad concordiam faciendam pro qua predictus Marchio Bonefacius et Consules Astenses scilicet Jacobus Palius, Bayamondus Careocius sindici atque procuratores constituti conservanda iuraverunt stare nostro mandato, sic statuimus, sic ordinamus et sic conponimus ab utraque parte scilicet ab Astensibus et a Marchione contra omnem hominem firmiter, salva fidelitate Imperatoris observari, sicut infra scriptum habetur et continetur, discordia namque talis erat quia petebat predictus Marchio Montisferrati a consulibus Astensibus nomine civitatis, quartam partem civitatis Ast pro indiviso et feuda Sancte Marie, que emerant a Vassallis suis, que iacent iuxta flumen Verse. Item petebat castrum Rochete, castrum Montisalti, castrum Viglani, castrum Curtecumarij, castrum Malemortis, conquerebatur de pace fracta. Consules vero Astenses petebant a prefato Marchione Montisferrati ex parte civitatis castrum Feliciani, castrum Vignalis, terram que fuit Marchionis Ardizonis et filiorum, que iacet etiam citra padum et ultra padum, Conquerebantur de Marchione de Mille libris argenti pro pena, Conquerebantur de parte quam habebant in Montebersario et de castro laureti et eius Comitatus. Item de pecunia quam debebat hominibus de Aste et de redemptionibus eorum qui capti fuerant que omnia dictus Marchio Bonefacius reddere promiserat. De hjs omnibus que Marchio Bonefacius Montisferrati petebat et petit sic statuimus et sic componimus et sic fieri precipimus, Civitatis quartam et feuda et alienata Astenses cives sicut tenent, teneant salva Marchionis Montisferrati iusticia, Castrum Rochete et castrum Montisalti sicut tenent, teneant, salva similiter dicti Marchionis Montisferrati iusticia, de Castro Viglani dicimus qui tenent a Marchione Bonefacio ei serviant et sicut tenent teneant, qui tenent pro civitate civitati serviant et respondeant, cives de civitate qui habent in castello cum villa libere sicut tenent teneatur, et castrum in quo statu nunc est perseveret, de castro malemortis et castro Montisbersarij sic statuimus ut Marchio Montisferrati et qui tenent a Marchione et civitas et qui tenent a civitate, velut consortes teneant et possideant, et alter alteri scilicet cives Astenses Marchioni, et Marchio civibus Astensibus ad invicem subserviant, de sediminibus castrorum et villarum dicimus ut si questio orta est vel oritur per antiquiores homines de locis et veraciores terminetur, de castro Curtiscomarij dicimus et ordinamus, Ut neque a Marchione neque a civitate munitio sive castellum fiat qui tenent a Marchione de dominicatu suo et redditibus suis, fodrum non solvant civitati, homines vero eorum qui tenent a Marchione cum alijs hominibus Curtiscomarij sint de posse et districtu civitatis, de hjs vero que petebant sic ordinamus et petunt consules Astenses ex parte civitatis, a Marchione Montisferrati sic statuimus sic ordinamus, Castrum Feliciani confitetur Bonefacius Marchio Montisferrati tenere pro feudo a civitate, Et ideo homines de Feliciano sive populus eiusdem loci faciant fidelitatem civitati salva fidelitate Marchionis sicut in pace Marchionis Guilelmi et eorum pace olim statutum fuit, Et de castro Vignalis et de terra Marchionis, sicut Marchio Bonefacius tenet, teneat, Salva civitatis iusticia, de castro laureti et eius comitatu, cum venerit ad dominicatum Marchionis Montisferrati, Astenses eum possint convenire si voluerint, et Marchio inde eis respondere

[1] *Mellus.*

teneatur, Pecunia nanque creditorum et redemptiones civium qui capti fuerunt sic solvantur, sicuti in predicta pace Marchionis Bonefacij et Jacobi stricti potestatis Ast ordinatum fuit, videlicet in pedagio Montisbarucij, de pedagio vero dicimus ut restituat quod accepit infra duos annos ad certum terminum videlicet ad proximum festum futurum sancti laurencij quartam partem, et ad festum proxime purificationis beate Marie aliam quartam partem, postea vero a festo proximo sancti laurencij, usque in ultimum annum aliam quartam partem, et a festo proximo purificationis usque in unum annum aliam quartam partem, Ita ut totum illud quod de pedagio accepit tunc sit restitutum, Soluta vero pecunia creditorum et aliorum hominum quarta pedagij Montisbarucij pars Astensium civium sit. Granum et omnia alia que Marchio Montisferrati abstulit civibus civitatis Ast a tempore quo compromissum fuit in Thomam Castellanum Noni, Marchio Bonefacius restituat, Si ante conpromissum aliqua accepit restituat similiter, vel cum hjs quibus abstulit amicabiliter conveniat. Item statuimus ut consules civitatis Aste Marchionem Bonefacium Montisferrati in civem recipiant et domum in civitate habeat pro qua teneatur ipsum Marchionem et eius heredes et eius terram contra omnem hominem defendere, Et amodo de missionibus quas facient Astenses de statu civitatis cum fodrum in civitate acceperit et a civibus Marchio Bonefacius solvat et teneatur solvere fodrum eis, de Mille libris. Item statuimus ut si Marchio predictus ab hjs qui longe, et ab hjs qui prope pulsatus[1] sive iniuriatus fuerit ipse per se et suos primum iusticiam et satisfactionem querat, et si per se et suos habere non poterit cum consilio civitatis iniuriam vindicet donec rehabeat sua. Et cives teneantur de civitate Aste et de locis et possessionibus quos tenent usque in finem suis missionibus eum iuvare, si vero Marchio Montisferrati absque eorum consilio guerram inierit, non teneantur hoc onus subire. Illud idem de prefato Marchione versus civitatem dicimus quod Marchio de persona et tota terra sua, et de locis et de possessionibus quas tenet, similiter teneatur civitatem suis missionibus iuvare. Item statuimus ut Marchio Montisferrati, consules civitatis nomine civitatis in habitatores sue terre recipiat pro qua habitatione teneatur defendere contra omnem hominem, eos nomine civitatis et civitatem et totam terram civitatis, salva fidelitate Imperatoris. Item statuimus de controversijs que oriuntur et oriri possent a civibus Astensibus versus homines Montisferrati et ab hominibus Montisferrati versus cives Astenses, ut cives Astenses a Marchione et eius nuncijs iusticiam recipiant, et homines Montisferrati ab Astensibus consulibus et eorum nuncijs iusticiam similiter recipiant, vel persone ab utraque parte eligantur a quibus controversie decidantur infra certum tempus. Predicta omnia superius scripta precipimus ab utraque parte scilicet a Marchione Montisferrati et ab Astensibus in perpetuum observari, si vero Marchio vel consules nomine civitatis Aste predictam concordiam et pacem non observaverint unus adversus alterum contra omnem hominem salva fidelitate Imperatoris predicta omnia irrita sint et evacuentur. Et donec pacem statutam alter alteri servaverit in predictis Marchio Montisferrati non conveniat civitatem nec civitas Marchionem, Et de quinto in quintum anum pactum istud iuramento renovetur et confirmetur. Actum in Alba in ecclesia sancti laurencij ubi fuerunt plures testes Ubertus Comes de Blandrato,

[1] *Pulsatur.*

Maynfredus Marchio de Buscha [1], Guilelmus Marchio de Boscho, Martinus de Revello, Jordanus de Aliano, Manfredus de drua, Anselmus Bonipetri de Alba, drochus palius et Rogerius Cayrosius, lotherius, Jacobus de Vivario [2] de Aste, Ubertus de platis, Bayamondus de platis et petrus Becharius.

Et Guilelmus Cogmine notarius de primeto fuit, et iussu domini Thome Noni opidani Maynfredi Marchionis de Salucijs et Almosne gratia dei Astensis ecclesie prepositi et Albensium virorum, videlicet Anselmi Merli et Tebaldi de Brayda et pautrerij atque lanfranchi hoc instrumentum scripsit.

920. *De precepto per quosdam commissarios facto Marchioni Montisferrati et illis de parte sua et Comuni Ast et illis de parte sua quod se invicem non offendant.* 1204. 9 Junij [3].

Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo quarto die veneris nono mensis Julij Indictione septima, In territorio loci de Masio prope Rivum de bobus in prato quod dicitur de Cogozolio presentibus Bignoto de Cimenascho [4], Raynerio de Curte, Rufino Georgio et Guilelmo Mazono de papia et domino Onrico de Cimilliano potestate Alexandrie et Petro Canefo et Rufino Tauto de Alexandria et Jacobino de Vimercato et Motta de Merate de Mediolano et quam pluribus alijs militibus et peditibus, Cum iurassent ad sancta dei evangelia dominus Guillelmus Marchio Montisferrati et dominus Maynfredus Marchio de Buscha qui lancea dicitur et Balduynus de laturre potestas Aquexane et Rubeus de Monteacuto et Albertus de lavicia consules castellanorum de Astese, et Guilelmus pellatus potestas Albe sicut per publica existunt instrumenta atque dominus Maynfredus Marchio de Salucia, qui et punaxius dicitur, ex una parte, stare et obedire omnibus preceptis, que eis facerent potestates Mediolani et consules communis placentie vel unus eorum in concordia aliorum pro communibus illarum civitatum pro treugua danda tenenda et facienda per se et homines ac subditos suos omnes et pro presonerijs dandis secundum ipsorum precepta ex una parte, Ex altera Oliverius Avianus potestas Astensis pro communi illius civitatis simili modo per omnia dominus Maynfredus de Osa potestas Mediolani voluntate et parabola ibi publice data, domini Guilelmi de Andito consulis communis Placencie et in concordia Alberti de Fontana ambaxiatoris placencie et Uberti de Mandello et Petri Collioni ambaxiatorum Mediolani ibi presentium precepit per sacramentum istis domino Guilelmo Marchioni Montisferrati et domino Manfredo de Buscha qui et lancea dicitur et Balduyno de laturre potestati Aquesanne et Rubbo de Monteacuto consuli castellanorum de Astese et Guillelmo pellato potestati Albe ipsis presentibus, et ut dominus Manfredus Marchio de Salucia, qui et punaxius dicitur licet ibi presens non esset, Et cui iam antea et hoc idem per eundem dominum Maynfredum de Osa potestatem Mediolani parabola predicti domini Guillelmi de Andito consulis Placencie preceptum fuerat ex una parte, Ex altera predicto Oliverio potestati de Astio ut aliquo modo per se vel homines suos seu aliquos de sua parte, non debeant alteram partem offendere in rebus nec in personis eundo stando vel redeundo hinc ad kallendas

[1] *Buscho.* — [2] *Vicario.*

[3] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcripsit ediditque Ficker *Act. Imp. Sel.* cit. p. 621 N. 911. — [4] *Cunenascho.*

Septembris, sed quilibet securus et indemnis eundo stando et redeundo usque ad predictum terminum stare debeat, Et ut ille dominus Guilelmus Marchio Montisferrati et alij omnes predicti de sua parte hinc ad festum domine sancte Marie de Medio Augusto sint in civitate Alexandrie, et illi de parte Astij in civitate Astio, pro audiendis alijs preceptis que eis facere voluerint Rectores predictarum civitatum Mediolani et placencie de predictis factis. Preterea precepit ut aliquis notarius de hoc nullum faciat instrumentum preter Rogerium de Gatto scribam communis Mediolani, et si fierent quod nullius sint momenti.

Et Rogerius de Gatto notarius et missus domini Henrici Imperatoris interfuit, et rogatus ut in publicam formam redigeret ad scribendum dedit et scripsit, et interlineavit[1] amanus ut supra Et inde plura instrumenta uno tenore fieri rogata sunt.

Et laurentius Ferarius notarius sacri pallatij parabola et iussu Rogerij de Gatto scribe communis Mediolani scripsit.

921. *De precepto facto dicto domino Marchioni et comuni Valentie quod finem faciant comuni papie de omnibus iniurijs et damnis eis illatis per papienses.* 1204. 11 Julij.

In nomine domini. Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo quarto Indictione septima undecimo die mensis Julij in territorio loci de Mugarono inter Vallexam et Mugaronum presentibus infrascriptis testibus et pluribus alijs, dominus Maynfredus de Osa potestas Mediolani in concordia et parabola ibi publice data, domini Guilelmi de Andito consulis communis Placencie, precepit per sacramentum quo pro inde eis tenebatur domino Guilelmo Marchioni Montisferrati ut per se et homines suos omnes et similiter Miranno Rubeo et pellegrino de Mercato consulibus de Vallenza qui ibi erant per parabolam aliorum consulum eiusdem loci sibi data coram me infrascripto Rogerio de Gatto notario atque predictis dominis Manfredo et Guilelmo et Alberto de Fontana et Uberto de Mandello et Petro Colliono ut per se et homines sive commune illius loci facere deberent communi et specialibus personis de Papia et omnibus de sua parte finem et pacem et pactum de non petendo de omnibus iniurijs et maleficijs et damnis sibi datis vel factis ab illis papiensibus vel ab aliquo de sua parte a die illo infra, quo exercitus papie transivit padum. Quare ibi statim recepto ab eis precepto illo predictus dominus Guilelmus Marchio Montisferrati pro se et hominibus suis omnibus, et predicti consules pro se communi et specialibus personis illius loci consilio et voluntate consilij illius loci sicut ibi protestati fuerunt atque parabola aliorum consulum sociorum eorum sibi data ut supra, Finem et pacem et pactum de non petendo fecerunt Bignioto zimenascho consuli communis Papie ibi presenti ad partem et utilitatem communis et specialium personarum de papia et omnium de sua parte de omnibus iniurijs maleficijs et damnis sibi ab ipsis papiensibus vel alio de sua parte datis vel factis, a die illo infra quo exercitus papie padum transivit ita quod a modo in antea ullo unquam tempore non liceat ipsi domino Guilelmo Marchioni vel hominibus suis aut alicui de sua parte, neque communi vel specialibus personis Vallencie sive alicui de sua parte agere vel

[1] Add. *et.*

causari contra predictos papienses vel aliquem de eorum parte de predictis damnis datis vel iniurijs seu maleficijs, sed ex inde omni tempore in hac pace fine et pacto taciti et contenti permanere debeant, Et inde plures cartule uno tenore fieri rogate sunt. Interfuerunt testes ibi Ubertus de Mandello, Petrus Colionus et Boccassius Brema et Albertus de Moecia de Mediolanno et Albertus de Fontanna de placencia et alia maxima multitudo militum et peditum.

Et Rogerius de Gatto notarius et missus domini henrici Imperatoris hanc cartulam tradidit et scripsit.

922. *De promissione facta per dominum Marchionem Montisferrati et comune Ast de observando pacem et concordiam inter eos factam sub pena librarum IIM Et de confirmatione predicte pacis facta Imperiali auctoritate.* 1193, 13 Aprilis [1].

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo tercio Indictione undecima die martis tercio decimo intrantis Aprilis, presentia domini Tome Noni Castellani et nuncij domini Henrici Romanorum imperatoris et semper Augusti dominus Bonefacius Marchio Montisferrati et dominus Jacobus Strictus potestas Astensis nomine Astensis communis promiserunt sibi ad invicem stipulantibus et sub pena librarum duorum millium per stipulatum ab utraque parte alteri parti promissa pacem et concordiam inter ipsum Marchionem et Astenses sicut continetur in instrumento inde conposito factam tenere firmam et nullo tempore contravenire nec per se nec per submissam personam. Insuper prefatus dominus Thomas auctoritate imperatoris et sua predictam penam ut supra legitur et predictam pacem et concordiam inter ipsum Marchionem et Astenses factam ut in instrumento inde composito continetur, Confirmavit et corroboravit. Actum in Nono apud ecclesiam sancte Marie, interfuerunt testes dominus Jacobus Mantegacius Judex dicti Jacobi stricti potestatis Astensis, Guido de sanctonazario, Scarampus, Ubertus layolius, Ubertus Comes de Cocanada, Rufinus de Gorgiano et Nicholaus de Plozascho.

Et Thomas notarius hanc cartam scripsit.

923. *De promissione facta per dominum Bonefacium Marchionem Montisferrati de habendo firmas treuguas et quicquid fecerit dominus Guillelmus eius filius cum civitatibus Ast et Alexandrie et alijs.* 1202. 9 Augusti.

Anno domini Millesimo ducentesimo secundo Indictione quinta die veneris nono mensis Augusti In pallatio Marchionis Montisferrati in civitate Papie hedificato dominus Bonefacius Montisferrati Marchio promisit domino Guilelmo filio suo se firmas habiturum et tenere firmas pacem et treuguas, quas fecerit et firmaverit cum aliqua civitate vel persona et maxime cum Alexandria et Aste, Atque guaglerias et obligationes similiter habebit et tenebit firmas, quas fecerit pro sua terra defendenda. Et quicquid fecerit cum socero suo domino Bonefacio de Cravexana et cum domino Manfredo de Saluzo et cum patruis suis Marchionibus de Boscho et cum suis hominibus

[1] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcripsit Victor von Kraus, et editum est in *Act. Imp. Sel.* cit. pag. 612. N. 899.

firmum denique habebit et tenebit. Interfuerunt dominus Guilelmus de Boscho, Raynerius de Vallenza, Assalitus de Sanctonazario et Ubercanis de Bassignana testes.

Et Bonusiohannes sacri pallatij notarius hanc cartam de mandato dicti domini Bonefacij scripsit.

924. *De iuramento facto per illos de Valencia de observando pacem et concordiam factam inter dominum Guillelmum Marchionem Montisferrati ex una parte et comune Ast ex altera.* 1207. 11 Maij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septimo Indictione decima die veneris undecimo intrantis Madij, presentia infrascriptorum testium Consules et credendarij de Vallentia quorum nomina leguntur inferius Juraverunt supra sancta dei evangelia pacem et concordiam factam inter dominum Guillelmum Marchionem Montisferrati et comune de Aste Ex eorum parte attendere et firmam tenere et dare forciam et virtutem consilium et auxilium predicto Marchioni ut in perpetuum attendatur et firma teneatur. Nomina predictorum sunt hec Boianus consul, Ubertus Cathanicus consul, Nicholaus Rubeus, Albricus de Aycardis, Otto Caiacius, Conradus, Rufinus Rubeus, Bernardus Besacia, Ferrarinus Fallus, Rubaldus Valterius, Bernardus de Ottone, Sinfredus Comacius, Rufinus Sagimus, donadeus de Boscho, Bonusiohannes Bordellus, Ogerius de Marchis, Bernardus Bonus, Rufinus Grassus, Vassalus de preamario, Oddo Fallus, lanfranchus de Monoravario, Bellonus de lomello, Mussus de Ferario, Otto de Cantonata, Alexius Catanicus. Facta fuerunt hec sacramenta, in ecclesia sancte Marie de Vallentia, Interfuerunt testes Comes Grassus, Rollandus Cazo de Aste et Rufinus Manicella, Et ego Otto notarius pallatinus interfui, et precepto predictorum consulum et credendariorum hanc cartam scripsi. Item isti infrascripti iuraverunt ut supra, Rufinus Catanicus, Calzabastus, Jacobus de Salvo, Guido Sagimen, Rofinus de lomello, Otto de Vassallo, Petrus de Ficco, Ubertus Ferarius, Niger Caprafollis, pocius de Aycardis, Albertus de Valdrico, Guilelmus Moglanaca, poltronellus de dodo, Morandus Tramalus, Girardus Gallus, henricus de Caresonio, Rufinus Tabualus, Petrus Bognius, Michellus de Gardono, Achilus, Bernardus Tavellaschus, Ogerius Valdonus, Anselmus de Alexandro, Jacobus Maur, Cunibertus de Petrosaino, Gosbertus de Aycardis, Robaldus de Betras, Anselmus done Floris, Fulcus Caresonius, Petrus Anzanus, Bertramus Apianus, petrus de piro, Gualterius Binellus, Petrus de Sartirana, Bernardus Oculus de Becho, henricus de Rufino de Gorra, Petrus de Fanto, Rufinus Scribanus, Millus Callegarius, Obertus de Sulianna, henricus Borgognus, Albricus de Aycardis, Obertus Asianus, Rofinus de Marchis, Anselmus zoppus, Guido de parvo, Capud de alio, Tealdus Robaldus de luo, Obertus Rozerius, Gandulfinus, Ogerius de Teberghis, Ballionus de Vasallis, Peregrinus consul, petrus de lomello, Morandus Stanchus, Anselmus Mannus, Bernardus Stanchus, Romanus, Rufinus Columbus, Rufinus de Blanchis, Anselmus de Inclitibus, Ottollinus de Georgio, Rubeus. Item isti iuraverunt ut supra Mediolani, Petrus bonus Bordellus, Petrus de Valla, poncius de Teberga, Bertramus de Aycardis, Aycardus de Aycardis, Rofinus de Tetrocastello, Rofinus de Coxa, Rofinus Becharius, Ogerius de Girardo magistro, Guilelmus Abrazaterra, homodeus de henrico magno, Rofinus de lomello, Anselmus de Archa, Valterius Vacius, Rufinus Monacarius, Rufinus de Bonorufino.

Et ego Otto notarius pallatinus predictis sacramentis interfui et ea nomine communis Astensis recepi, et precepto eorum qui iuraverunt scripsi.

925. *De iuramento facto per dominum Marchionem Montisferrati de observandis preceptis faciendis per consules comunis papie et societatis sancti Syri super discordijs vigentibus inter se et certos alios ex una parte et Comune Ast.* 1205. 5 Julij.

Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo quinto, die dominico quinto mensis Julij Indictione Octava in curia Monasterij sancti Michaelis de Boschis In nomine domine amen, dominus Guilelmus Marchio Montisferrati sua spontanea voluntate convenit et iuravit attendere et observare omnia precepta que sibi fecerint duo consules communis papie et dominus Petrus de Anzanno et dominus Armanus Toezius consules societatis sancti Syri confessoris eiusdem civitatis et dominus Rogerius Capitaneus et dominus Raynerius Vicecomes et dominus Alexius Judex et dominus Fallus, de omnibus discordijs, quas predictus Marchio habet cum communi de Ast a concordia facta inter dominum Bonefacium patrem istius Marchionis et Astenses, a facto Castelli Adalami infra, Et similiter iuravit pro lanza et pro Castellanis de Astisio et pro castellanis de aquexana et pro Albensibus et pro omnibus Marchionibus qui sunt ultra Tanagrum, Et de omnibus discordijs quas habent Astenses cum predictis omnibus Marchionibus et Castellanis et Albensibus scilicet de treugua tenenda et pace facienda et observanda et de ratione facienda et observanda et de termino et terminis observandis et presonerijs et obsidibus dandis et alijs securitatibus, quas predicte potestates petierint ab ipso Marchione. Et quod faciet iurare tot et tales quales predicte potestates petierint et preceperint. Isti sunt qui iuraverunt predictam concordiam tenere firmam a predicto Marchione et quod tenebunt a se firmam scilicet donadeus de Mercato, Bonusiohannes Bordellus, Vassalus de prealmacio, Otto Taurinus, Guilelmus Vicecomes consul Vallentie, Ubertus Capitaneus, dominus Apricius Vicecomes, et Boianus Bucha, et dominus Ferarinus de Castello, predictus Marchio et consules et omnes alij qui hanc cartam fieri preceperunt, ut supra, Interfuerunt dominus Assagitus de Sancto nazario, dominus Raynerius de Curte, dominus Maynfredus de Cavallato, dominus Nebulerius de Frascharolio, omnes inde testes Rogati. Sequenti die In ecclesia Sancte Marie de Vallentia in eodem anno Isti sunt alij consules et credendarij Vallentie, qui iuraverunt istam concordiam prout alij consules et credendarij Vallentie juraverunt, scilicet Rufinus Bascus, Guilelmus Sannus, Ogerius de Marchis, Bertramus de Aycardis, Millonus Bascus, Aymenzonus de Castellano, Jacobus Morus, Albertus de Valdrico, Petrus de piro, Realdus de Valle, Oddo Fallus, Niger capafolus, Bernardus de Judicibus, Petrus Novellus, Robaldus Orabona, Rufinus Judex, Anselmus Gallus, Bernardus Achilius, Sigibaldus de Bonorufino, Jacobus de Petro Fatito, Rufinus Saynus, Bernardus de Bexacia, Petrus de Fico, Rufinus de Rigolina, Bernardus Oculus bechi, poncius de Aycardis, Bernardus de Bono, Bonusdominus Bucha, Otto Corus, Guido de Rotrua, donadeus Caballus, Peracius de Johannardo, Maynfredus de Conrado, Otto de Cantonata, Morandus Stanchus, Anselmus de Teberga, Patronellus dedo, Vivianus de Gina, Bernardus Stanchus, Nicholaus notarius, Johannes Cicade, Rufinus de Bombello, Con radus de Guimerio, Achiles notarius, Rufinus de

perucio, Albricus de Bertramo, Petrus bonus Bordellus, Albertus de Aycardis, Bernardus de Gina, Guilelmus Tercius, Guilelmus Columbus, Ferarius de Bonorufino, Johannes Falconus, danesius pellatus, lanfrancus de Montecravello. Unde predicti omnes qui hanc cartam fieri preceperunt ut supra. Interfuerunt dominus Gualla Avocatus, dominus Raynerius de Curte, dominus Otto Marchio de Boscho, dominus Nebolonus de Frascharolio rogati inde testes. Unde due carte uno tenore sunt scripte. Eodem die Isti de Sancto Salvatore, juraverunt de ista concordia prout alij predicti iuraverunt scilicet dominus Rufinus de Cazullino, dominus Rufinus de acatapanno, Ugo de Cazullino, Jacobus Abbas. Interfuerunt dominus Jacobus Clericus, Nicholaus Clericus et Otto Barberius testes.

926. *De pace concordia et unione factis inter comune Ast ex una parte et dominum Guielmum Marchionem Montisferrati ex altera cum certis pactis et inter cetera quod dictus Marchio faciat fidelitatem dicto comuni de Caliano Felizano et de alijs feudis que tenet a dicto Comuni.* 1260. 24 Marcij.

In nomine domini amen Anno eiusdem Millesimo ducentesimo sexagesimo Indictione tercia die mercurij Vicesimo quarto mensis Marcij, In tali concordia sunt commune Astense et Marchio Montisferrati videlicet quod ipse Marchio pro se et suis hominibus et vasallis ex una parte faciet pacem et guerram contra omnes homines universitates et loca pro communi astensi tam intus jurisdictionem communis Astensis quam extra, Salvo communi papie et civibus papiensibus, et salvis Comitibus Sabaudie, quibus ipse dare possit ad defendendum terram suam et non ad aliud usque in militibus vigintiquinque et usque in peditibus ducentis, et salvo marchione salutiarum cui ipse dare possit auxilium ad defendendum terram suam, contra commune Astense excepto in feudo communis Ast, In quo feudo Marchio Montisferrati non possit ei dare auxilium nec iuvamen contra commune Astense, si Marchio Saluciarum nollet facere communi Ast de illo feudo, quod facere debet et tenetur et salvis Vassallis et hominibus ipsius Marchionis. Et versa vice commune Astense pro se et civibus suis et Vasallis promisit facere pacem et guerram tam intus jurisdictionem eius quam extra pro dicto Marchione contra omnes homines universitates et loca, salvo communi papie et civibus papiensibus qui faciunt iusticiam et rationem pro comuni papie, alij vero qui non faciunt iusticiam pro communi papie, sint in dispositione et voluntate communis papie tam pro communi Ast quam pro dicto Marchione, Et domino Aymerico de Crusinaria, et civibus Astensibus et Vasallis. Hoc acto quod si aliquis Vasallorum dicti Marchionis offensam faceret communi Astensi, seu eius terre, quod dictus Marchio teneatur ei facere guerram ad voluntatem communis Astensis si dictus vasallus nollet restituere dictam offensam infra duos menses, Et versa vice commune Ast pro dicto Marchione. Item quod dictus Marchio aliquid in perpetuum non acquiret quod teneatur in feudum a communi Astensi vel ab eius Vasallis seu civibus, nec in Cario nisi esset de voluntate communis Astensis, Et versa vice commune Ast non acquiret aliquid quod teneatur in feudum ab ipso Marchione nec ab eius Vasallis, nec ab illis de Montecucho nec ab illis de Bayato, nec a dominis de Montilio nec de Munisengo nisi cum voluntate ipsius Marchionis. Item quod carte cambiorum solvantur secundum quod communi

Astensi placuerit et Marchioni Montisferrati et interim cambia cessent. Item quod commune Astense non faciet aliquem locum novum in terra dicti Marchionis seu vasallorum suorum seu in territorio predictorum hospitiorum, Et si contingeret quod commune Astense faceret locum novum in poderio dicti communis quod non recipiet aliquem hominem dicti Marchionis nec supradictorum in ipso loco, Et versa vice dictus Marchio teneatur versus comune Ast. Item quod commune Astense dimittet Boze de Granna et nepotibus godire omnes terras suas quas habent in Grana et omnes suos redditus capere vel solvere precium quod extimatum esset per communales amicos, Et si alique terre vel redditus ipsius Boze vel nepotum vendite essent vel alienate per commune Astense, quod eis restituantur, et quod ulterius non solvant inde fodrum. Item quod quilibet homo qui fuerit de terra Montisferrati vel dictorum hospitiorum, qui stat vel venerit in terra communis Astensis possit reverti ad domum suam in Monteferrato salvo eo quod Marchio vel alius dominus eius non debeat ei facere aliquod malum, eo quod venerit in terram Astensem, sed debeant ei restitui sue possessiones si voluerint ad domum suam reverti usque ad sanctum Michaelem, Et commune Ast debeat parcere dominis ipsorum, omne malum quod eis fecerant eo quod recesserant, a domibus ipsorum, et ipsos dominos de omni banno communis Astensis extrahere, Et quod commune Astense non debeat recipere dictos homines in aliquo loco, quem faceret de novo nec alios de terra Marchionis sive sint cives Astenses sive non, nec etiam aliquos homines de predictis quatuor hospitijs. Supradicta autem pacta facta sunt eo modo quod propter hec dictus Marchio non videatur remittere iura si qua habet in locis que tenet commune Ast. Eo salvo et expressim acto, quod dictus Marchio non possit aliquid petere a dicto communi nec exigere eo quod diceret se habere aliquod ius in locis que tenet commune Astense sive aliquis pro dicto communi usque ad terminum quem dicent concorditer dominus Martinus de Revello et Gandulfus Ottinus et si non possent esse concordes commune papie sit pro tercio, Et versa vice salvum sit jus ipsius communis versus ipsum Marchionem. Predicta autem facta sunt salvis treuguis factis per comune Astense cum aliquibus et salvis treuguis factis per dictum Marchionem et salvis rationibus creditorum utriusque partis, ita quod ipsis creditoribus non fiat aliquod preiudicium per predicta pacta, Et de predictis fiat securitas per commune papie per utranque partem, Et de predictis fiat speciale capitulum in Ast firmiter attendendis. Item si contentio aliqua oriretur de predictis inter predictas partes quod arbitri eligantur per ipsas partes qui ipsas discordias debeant concordare. Item quod dictus Marchio teneatur facere fidelitatem communi Astensi de Caliano et Felizano et de alijs feudis que tenet seu tenere debet a communi Astensi et quod iura ipsius Marchionis et ipsius communis sint conservata in locis communibus, que omnia et singula supradicta dominus Rogerius Georgius potestas Astensis, et sapientes infrascripti existentes cum eo, nomina quorum sunt hec domini Thomas de Beccarijs, Jacobus Pelleta, Johannes de solario, Rufinus Gutuarius, Petrus Garetus et Gandulfus Ottinus habentes bayliam et plenam facultatem et auctoritatem cum eodem potestate a communi Ast tractandi et faciendi pacem et concordiam pro ipso communi cum omnibus et singulis personis, habentibus discordiam cum ipso communi ut patet per cartam factam a Petro Silvano notario in anno domini MCCLX Indictione tercia die mercurij

decimo mensis Marcij, Nomine et vice communis Astensis et pro ipso communi ex una parte, Et dominus Guilelmus Marchio Montisferrati cum dominis Raynerio de Castegnolis, Martino de Revello, Conrado de Camagna, Jacobo de Sancto Sebastiano, Conrado de hencisa, Nigro de Caliano, domino Baudesario Judice predicti Marchionis et Guidone de Montilio consiliarijs Marchionis superius memorati pro se et suis hominibus et Vasallis ex altera, promiserunt ad invicem attendere et observare et firma tenere in perpetuum et tactis sacrosanctis evangelijs iuraverunt. Et inde dicti potestas et sapientes Astenses pro communi Astensi, et dictus Marchio pro se et parte sua fieri iusserunt unum et plura instrumenta unius et eiusdem tenoris quorum hoc est factum pro communi Astensi. Actum in castro Grisani prope ecclesiam beati Michaelis. Interfuerunt testes Robaldus Faxolius, Guilelmus Gardinus, Gilius de Caliano et Maynfredus Spalla de Caliano.

Et ego Berardus de Cazalupa notarius pallatinus interfui et precepto dictorum potestatis et sapientum sic scripsi.

927. *De pace tractata inter comune Ast pro se et suis ex una parte et certos vicarios Montisferrati pro domino Johanne Marchione Montisferrati et suis ex altera cum pena Mille Marcharum argenti, in qua inter cetera dari debent comuni Astensi loca Tongi et Curticellarum sive Casurcij, Et in qua dicti Vicarij quitaverunt comune territorium et districtum Albe ab omni iure quod in eis habebat dictus Marchio. Et in ea etiam continetur quomodo nobiles de Cochonato tenentur solvere comuni Ast taleas et alia onera pro locis Casolti et Cerealij. Et de ratificatione dicti tractatus et pacis facta nomine dicti domini Marchionis.* 1292. 12 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo nonagesimo secundo Indictione quinta, In nomine domini nostri yhesu christi amen et beate marie semper virginis et tocius curie celestis die iovis duodecimo mensis jullij, presentia testium infrascriptorum, dominus Ubertus de Cochonato, Bonefacius de Tylio, Nicholinus Bastardus et Jacobus de Gabiano Vicarij Montisferrati et gerentes vices Illustris viri domini Johannis Marchionis Montisferrati voluntate consilio et consensu dominorum Jacobi de ozano, Bonefacij de Castelleto et Guillelmi de serralonga ibidem presentium, nomine et vice dicti domini Marchionis et totius terre subdite dicto domino Marchioni et omnium Vasallorum ipsius domini Marchionis quantum est pro feudis que tenent ab ipso domino Marchione et omnium juratorum et de parte ipsius domini Marchionis ex una parte, Et domini Marengus Cazo et pelleta de pelletis sindici et procuratores dominorum Guilelmi de lambertinis potestatis, Iacomacij Bossij Capitanei populi, Ogerij Alferij, Guilelmi Cazo, Philippi de Plathea et Raymondini Falleti quatuor Sapientum civitatis Astensis et communis et hominum civitatis eiusdem nomine et vice communis Astensis et totius terre et posse et districtus Astensis et Episcopatus et terre Episcopatus Astensis et nomine et vice omnium et singulorum vasallorum communis Astensis quantum est pro feudis que tenent a dicto ommuni et nomine et vice omnium et singulorum iuratorum et de parte communis Astensis Et specialiter nomine et vice infrascriptorum amicorum et iuratorum communis Astensis,

qui pacem et concordiam infrascriptam ratificare et approbare voluerint ex alia parte fecerunt bonam pacem et firmam concordiam deo adiuvante perpetuo duraturam de omnibus guerris et discordijs odijs et malivolencijs, que hinc retro usque ad presentem diem essent vel fuissent inter predictas partes vel aliquem seu aliquos de predictis partibus facientes ad invicem eorum nominibus et predictis, pacem finem quietationem remissionem et omnimodam liberationem et absolutionem de omnibus et singulis offensionibus et iniurijs realibus et personalibus damnis et guastis incendijs et ruynis insultibus et percussionibus homicidijs rebus ablatis, datis vel factis illatis vel ablatis hinc inde vel per unam partem alteri parti seu alicui de alia parte vel per aliquem seu aliquos de una parte alteri parti seu alij vel alijs de alia parte liberantes et absolventes sese ad invicem et quemlibet seu quoslibet de dictis partibus ab omnibus et singulis hijs que una pars ab alia vel in rebus alterius partis vel aliquis seu aliqui de una parte ab alia parte vel in rebus ipsius vel ab alio seu alijs de illa parte vel in rebus ipsorum posset petere vel exigere occasione aliquarum iniurarum offensionum realium vel personalium damnorum vel guastorum incendiorum ruynarum insultuum vel percussionum homicidiorum rerum ablationum et cuiuscunque alterius facti sub pactis et condictionibus infrascriptis facta fuit et est pax et concordia supradicta, Primo quia dicti Vicarij cum consilio et consensu predictorum sapientum de Monteferrato remittere debent et ex nunc omni modo et jure quo melius potuerunt auctoritate qua fungebantur nomine et vice dicti domini Marchionis remiserunt et ex causa predicte pacis et concordie dederunt cesserunt atque mandaverunt dictis dominis Marengo et pellete omnia iura et omnes actiones eidem domino Marchioni conpetentia et conpetentes in castro et villa et hominibus et mero et mixto imperio et jurisdictione Felizani et omnibus alijs iuribus et actionibus quibuscumque, eidem competentibus in Felizano vel posse et in castro villa et hominibus et mero et mixto imperio Et jurisdicione Vignalis, et in terris et possessionibus et domibus et vineis et fictis et drictis et banno et successione et in fodro et talya et in mollandinis et furnis, et in aquatico et pasquatico et in venatione, et in ius patronatus ecclesiarum, et in pedagijs et cuyraijs, et in omnibus alijs iuribus rationibus et actionibus eidem domino Marchioni competentibus in Vignali vel posse, Et in castro et villa dominio et hominibus mero et mixto imperio et Jurisdictione castegnolarum de Monteferrato, Et in castro et villa dominis et hominibus mero et mixto imperio et iurisdictione Caliani, Et in castro et villa et mero et mixto Imperio dominis et hominibus et iurisdictione castrorum Celeri et Cunegi et in Rippa et posse Rippe, Et in castro et villa porcilliani, Et in castro villa et hominibus Castrinovi de Rivalba, et in Castro villa et hominibus lovenciti, Et in castro villa et hominibus dominis et hominibus Sancti stephani de Cossano, Et in castro et villa dominis et hominibus Hencisie, et in omnibus castris et villis atque terris dominorum predictorum de Hencisia, et in Monteacuto et Sancto stephano de Astisio si qua iura habebat in eis, Et generaliter in omnibus alijs et singulis castris villis vel locis communis Astensis seu que vel quas commune Astense tenet vel possidet tenere vel possidere videtur habet vel habere videtur, Ita quod hec generalis clausula pro inde valeat et operetur ac si omnia predicta castra ville et loca que commune Astense habet tenet vel possidet et tenere possidere vel habere videtur essent specificata et omnia iura et

omnes actiones eidem domino Marchioni conpetentes et conpetentia in mero et mixto imperio et iurisdictione aquatico pasquatico venatione et piscatione in mollandinis et furnis in pedagijs et in curayis et maletoltis in fodris et collectis in banno penis et successionibus in iuribus patronatus ecclesiarum decimis et primicijs fictis et drictis, Rosijs et carigijs hominibus feudatis et non feudatis et quibuscunque alijs debituris, iuribus rationibus et pertinentijs dictorum castrorum et cuiuslibet eorum et dictarum villarum et cuiuslibet earum tam contra communia et universitates dictorum castrorum et cuiuslibet eorum et dictarum villarum et cuiuslibet earum quam contra quamlibet singularem personam dictorum castrorum et cuiuslibet eorum et dictarum villarum et cuiuslibet earum. Et insuper dicti Vicarij auctoritate predicta nomine dicti domini Marchionis dederunt et concesserunt ex causa predicta dictis dominis Marengo et pellete recipientibus nomine et vice communis Astensis domos et hedificia et sedimina terras possessiones vineas prata gerbos et nemora et omnes alias res quas dictus dominus Marchio habet vel habere videtur tenet vel possidet tenere vel possidere videtur, vel que ipse habebat tenebat vel possidebat a duobus annis citra in predictis castris et villis vel aliquo eorum nichil in se nomine dicti domini Marchionis seu in dictum Marchionem penitus retinentes, sed in ipsos Marengum et pelletam nomine communis Astensis recipientes totaliter transferentes, tali modo quod decetero commune Astense omnia et singula predicta castra et loca et omnes et singulas predictas villas tam specificatas superius quam non specificatas, et tam specificata quam non specificata habeat teneat et quiete possideat et ex eis quicquid voluerit faciat, de predictis iuribus et actionibus utatur et uti possit in iudicio et extra habendo tenendo et possidendo et vendicando si a possessione caderet, agendo et defendendo excipiendo et replicando, Et generaliter modis omnibus quibuscumque contra quascumque personas et res, et in quibuscumque rebus quemadmodum dicti Vicarij nomine dicti domini Marchionis seu dictus dominus Marchio facere poterat seu posse facere videbatur ante presentem contractum, et si presens contractus factus non fuisset. In quibus iuribus et actionibus atque rebus dicti Vicarij nomine et vice dicti domini Marchionis et auctoritate qua fungebantur constituerunt dictos Marengum et Pelletam nomine et vice communis Astensis procuratores ut in rem suam. Preterea dicti Vicarij nomine et vice dicti domini Marchionis et auctoritate qua fungebantur et voluntate consilio et consensu predictorum Sapientum de Monteferrato solemni stipulatione interveniente promiserunt dictis Marengo et pellete stipulantibus et recipientibus nomine et vice communis Astensis pro restitutione et emenda damnorum et guastorum factorum communi Astensi et illis de posse et districtu Astensi, et pro predicta pace et concordia facienda et attendenda, dare tradere et expedire communi Astensi cras per totam diem castrum et villam et homines Tongi Et a die dominico proxime venturo usque ad octo dies tunc proxime sequentes castrum et villam et homines Corticellarum de Aquexana cum omni mero et mixto Imperio et jurisdictione cum hominibus feudatis et non feudatis cum aquatico et pasquatico, venatione et piscatione mollandinis et furnis pedagijs et curayis fodris et taleis, bannis penis et successionibus fictis drictis rosijs caregijs, iuribus patronatus ecclesiarum decimis et primicijs et quibuscunque alijs debituris, iuribus rationibus et actionibus eidem domino Marchioni competentibus in predictis castris villis et hominibus vel occasione ipsorum tam contra communia quam contra singulares personas

predictorum castrorum et cuiuslibet eorum et cum omnibus pertinencijs dictorum castrorum et villarum et omnes domos et hedificia terras et possessiones sedimina et prata vineas gerbos et nemora et quidquid dictus dominus Marchio habet vel habere videtur tenet vel possidet vel quasi possidet et tenere vel possidere et quasi possidere videtur in predictis castris villis et hominibus Tongi et corticellarum, Et ex nunc dicti Vicarij ex causa seu causis predictis auctoritate qua fungebantur nomine et vice dicti domini Marchionis dederunt et concesserunt cesserunt atque mandaverunt predictis Marengo et pellete recipientibus nomine et vice communis Astensis castra et villas et homines Tongi et Corticellarum et omnes domos sedimina et hedificia terras et possessiones prata et vineas gerbos et nemora et quicquid dictus dominus Marchio habet vel habere videtur in predictis castris et villis Tongi et corticellarum vel posse eorum vel alicuius eorum et omnia iura et actiones omnes eidem domino Marchioni competentia et competentes in predictis castris villis et hominibus Tongi et corticellarum et in mero et mixto imperio et jurisdictione et hominibus feudatis et non feudatis, aquatico et pasquatico et venatione et piscatione et aquis et aquarum decursibus molandinis et furnis et in pedagijs et curaijs et in fodris et taleis, bannis penis et successionibus fictis et drictis tercijs, quartis et quintis rosijs et caregijs iuribus patronatus ecclesiarum decimis et primicijs et quibuscumque alijs debituris iuribus rationibus et actionibus eidem domino Marchioni conpetentibus in predictis castris et villis et posse eorum et hominibus vel occasionibus ipsorum tam contra communia quam contra singulares personas predictorum castrorum et villarum et cuiuslibet eorum, Tali modo quod commune Astense decetero predicta omnia et singula habeat teneat et possideat et quasi possideat, Et ex eis quicquid voluerit faciat non obstante contradictione dicti domini Marchionis et cuiuslibet alterius persone, Et de predictis iuribus et actionibus ita utatur et uti possit in iudicio et extra et modis omnibus quibuscumque tam contra communia predictorum castrorum quam contra singulares personas et in quibuscumque rebus, Quemadmodum dictus dominus Marchio seu dicti vicarij nomine ipsius ante presentem contractum facere poterant vel posse facere videbantur. In quibus iuribus et actionibus dicti Vicarij auctoritate qua fungebantur nomine et vice dicti domini Marchionis constituerunt dictos Marengum et pelletam nomine et vice communis Astensis procuratores ut in rem suam, Tali etiam modo quod commune Astense possit sua auctoritate capere apprehendere et ingredi corporalem possessionem predictorum castrorum, quotienscumque voluerit ad suam liberam voluntatem, Ad quam apprehendendam dicti Vicarij predicto nomine constituerunt dictos Marengum et pelletam nomine et vice communis Astensis procuratores ut in rem suam propriam. Hoc acto inter predictos contrahentes specialiter et expresse et ex certa scientia, quod si castrum et villa Corticellarum cum hominibus et iuribus supradictis, et possessio corporalis et vacua ipsius castri et ville expeditum et tradita non fuerit communi Astensi a die dominica proxime ventura usque ad octo dies tunc proxime subsequentes, quod tunc dicti Vicarij nomine et vice dicti domini Marchionis teneantur et debeant dare communi Astensi et dare et tradere promiserunt dictis Marengo et pellete stipulantibus nomine dicti communis infra octo dies, post dictos octo dies infra quos castrum et villa Corticellarum debent expediri et eius vacua possessio tradi communi Astensi In cambio sive scontro seu in locum

Corticellarum, tantum de terra dicti domini Marchionis, seu de illa quam tenet et possidet seu alius pro eo, quantum dixerint pronunciaverint providerint et decreverint vel arbitrati fuerint infra predictos ultimos octo dies domini Ubertus de Cochonato et Bonifacius de Tylio, Marengus Cazo et pelleta de pelletis, Et predicta pronunciatio et decretum sive arbitramentum fieri debeat infra predictos ultimos octo dies, nisi terminus voluntate predictorum quatuor vel maioris partis eorum vel communis Astensis fuerit prorogatus, Et si predicti quatuor sapientes sive arbitratores de dicta pronunciatione provisione et arbitramento sese concordare vel convenire non possent, vel ad pronunciandum dicendum vel arbitrandum ipsi vel aliquis eorum ab alio vel alijs requisiti venire contempnerent seu non venirent, tunc in casibus supradictis et quolibet eorum dicti Vicarij nomine et vice dicti domini Marchionis teneantur et debeant dare et tradere communi Astensi et dare et tradere promiserunt dictis Marengo et pellete stipulantibus nomine dicti communis in cambio sive scontro seu in locum Corticellarum tantum de terra domini Marchionis seu de illa quam tenet et possidet ipse dominus Marchio vel alius pro eo quantum dixerint pronunciaverint decreverint vel arbitrati fuerint infra illum terminum quem dixerint vel arbitrati fuerint predicti dominus Ubertus de Cochonato, Bonefacius de Tilio, Marengus Cazo et pelleta de pelletis et domini Philippus Scarampus, Andreas Garetus et Francischus de Montilio vel maior pars ipsorum. Hoc acto quod si predicti domini Ubertus et Bonefacius vel alter ipsorum ad dicendum et pronunciandum providendum et arbitrandum requisiti vel moniti ab aliquo de predictis Marengo, pelleta et domino Philippo, domino Andrea et Francischo ad locum eis assignatum super dicto cambio sive scontro dando et tradendo communi Astensi, venire nollent vel non possent, quod tunc alij vel maior pars ipsorum possint dicere et pronunciare providere decernere et arbitrari quicquid voluerint super dicto cambio sive scontro dando et tradendo communi Astensi in locum Corticellarum, et super termino infra quem dictum cambium sive scontrum dari vel tradi debeat communi Astensi, et quod per eos vel maiorem partem ipsorum etiam aliquo vel aliquibus ex eis absente vel absentibus pronunciatum dictum provisum decretum vel arbitratum fuerit, valeat et teneat et firmum sit, et fiat et observetur et effectui demandetur per inde ac si per omnes predictos provisores et arbitratores, dictum et pronunciatum decretum provisum vel arbitratum fuisset quia sic actum est inter predictos contrahentes in principio huius contractus et in medio et fine, hoc acto specialiter et expresse in dicta pace et concordia, et sub tali condictione facta est et fuit pax et concordia supradicta, si dicti Vicarij attenderint et observaverint et fecerint et compleverint et dederint et tradiderint communi Astensi omnia et singula supradicta, Et si non dederint et tradiderint vel predicta non observaverint, quod tunc intelligatur defecisse condictio sub qua facta est et fuit pax et concordia supradicta, Et omnia sint in eo statu in quo erant ante pacem et concordiam supradictam, Ita quod ipsa pax et concordia pro infecta penitus habeatur nisi aliter tacite vel expresse in predictis de voluntate partium ageretur. Eo tamen salvo et specialiter intellecto atque acto inter predictos contrahentes quod in casu vel casibus quo vel quibus deficeret condictio sub qua facta est et fuit pax et concordia supradicta, seu dicta pax et concordia pro infecta deberet haberi, quod tunc

nichilominus data et concessa remissa cessa et mandata superius per dictos Vicarios nomine dicti domini Marchionis communi Astensi seu dictis Marengo et pellete nomine et vice communis Astensis pleno iure remaneant communi Astensi et sint communis Astensis, Ita quod in perpetuum dicti Vicarij vel aliqua persona nomine dicti domini Marchionis seu dictus dominus Marchio vel heredes seu successores ipsius nullum jus possit petere exigere vel habere in predictis rebus iuribus et actionibus supra predictos vicarios nomine dicti domini Marchionis datis concessis remissis cessis vel mandatis communi Astensi seu dictis Marengo et pellete nomine et vice communis Astensis quia sic actum est inter predictos contrahentes in contractu presenti ex certa scientia sponte specialiter et expresse. Et versa vice dicti Marengus et pelleta, nomine et vice communis Astensis pro predicta pace et concordia et pro restitutione et emenda damnorum et guastorum factorum per commune Astense illis de Monteferrato remiserunt et dederunt cesserunt atque mandaverunt dictis Vicarijs recipientibus nomine et vice dicti domini Marchionis omnia jura et omnes actiones dicto communi Astensi conpetentia et conpetentes in castris et villis vel hominibus dicti domini Marchionis et que et quas dictus dominus Marchio habet tenet vel possidet et habere tenere vel possidere videtur nichil in se nomine dicti communis vel in dictum commune penitus retinentes sed in ipsos vicarios nomine dicti domini Marchionis recipientes totaliter transferentes, Ipsis Marengo et Pelleta nomine et vice communis Astensis constituentibus dictos Vicarios nomine et vice dicti domini Marchionis procuratores ut in Rem suam, Tali modo quod commune Astense in predictis castris villis vel locis dicti domini Marchionis nullum ius postulet vel requirat, Eo salvo quod per predicta vel aliquod predictorum nullum preiudicium generetur communi Astensi in remissis datis cessis et concessis atque mandatis per dictos vicarios communi Astensi seu dictis Marengo et Pellete nomine dicti communis prout superius continetur. Et quod ad predicta vel aliquod predictorum predicta remissio datio cessio atque mandatum quam fecerunt predicti Marengus et pelleta nomine et vice communis Astensis dictis vicarijs recipientibus nomine dicti domini Marchionis nullatenus se extendant. Quam dationem, remissionem concessionem cessionem atque mandatum fecerunt dicti Marengus et pelleta nomine et vice communis Astensis sub conditione, si dicti Vicarij observaverint compleverint et fecerint communi Astensi et versus Commune Astense omnia et singula que observare facere conplere convenerunt et promiserunt predictis Marengo et pellete stipulantibus et recipientibus nomine et vice communis Astensis, Et sub alia conditione si dictus dominus Marchio ratificaverit et approbaverit fecerit et compleverit omnia et singula supradicta et infrascripta communi Astensi et versus commune Astense usque ad festum omnium sanctorum proxime venturum. Preterea dicti Vicarij auctoritate qua fungebantur nomine et vice dicti domini Marchionis quitaverunt et remiserunt dictis Marengo et pellete et michi notario infrascripto recipientibus nomine et vice communis Albe omnia iura dominij et segnorerij et meri et mixti imperij et jurisdictionis et fidelitatis et Vasallorum et hominum et omnia alia iura quecumque et omnes actiones et rationes eidem domino Marchioni ex aliqua causa vel aliquo iure vel modo competentia et competentes in civitate Albe, et in hominibus dicte civitatis et in terra iandicte civitatis Albe et in hominibus dicte terre liberantes et absolventes nomine et vice dicti

domini Marchionis et omni iure et modo quo melius potuerunt dictos Marengum et pelletam et me notarium recipientes nomine et vice communis Albe dictam civitatem et totam terram ipsius ab omni iure dominij et segnoriti meri et misti Imperij et jurisdictionis et fidelitatum vasallorum et hominum sacramentorum promissionum contractuum et obligationum quarumlibet ab omnibus juribus et actionibus et rationibus eidem domino Marchioni competentibus in civitate Albe, et in hominibus dicte civitatis vel in terra Albensi vel in rebus hominum dicte terre. Promittentes dictis Marengo et Pellete stipulantibus nomine et vice communis Astensis, cuius interest, quod infrasripta non fiant, et michi notario infrascripto stipulantibus et recipientibus nomine et vice communis et hominum Albe et omnium quorum interest vel intererit quod in perpetuum dictus dominus Marchio et heredes ipsius nullum jus postulabunt neque requirent in civitate Albe et hominibus, vel in terra Albensi occasione alicuius sacramenti fidelitatis vel occasione alicuius promissionis contractus vel obligationis hinc retro facte vel cellebrati per commune et homines Albe cum patre quondam dicti domini Marchionis vel alia occasione quacumque, Et in perpetuum idem dominus Marchio vel heredes ipsius jus aliquod non accipient vel acquirent in civitate Albe vel in hominibus vel in terra civitatis iandicte. Et quod ligam iuram societatem conspirationem, confederationem sacramentum vel aliam quamcumque obligationem non faciet idem dominus Marchio, vel heredes ipsius per se vel per alium cum communi et hominibus Albe vel cum aliqua terra iandicte civitatis. Item actum est inter predictos contrahentes, quod super facto carceratorum hinc inde detentorum, et super finibus Villarum utriusque partis confinium sive consortum determinandis et distinguendis, Et super dando viam communi et hominibus de Vignali posse vadere ad civitatem Astensem, et super bladis et victualibus hominum civitatis Astensis et districtus, que nascerentur in terra subdita dicto domino Marchioni, et super bladis et victualibus hominum subditorum dicto domino Marchioni, que nascerentur in terra Astensi vel aliquo modo subdita civitati Astensi, Et super quadam pecunie summa, pro qua quidam cives Astenses, vel dominus Albertinus Marchio de Rocheta obligati esse dicuntur communi Montisbarucij vel aliquibus de Montebarucio occasione illorum de Ast, qui capti fuerunt apud Montembarucium eo tempore quo dominus Comes Sabaudie erat apud Montembarucium. Et super debitis et cambijs hinc inde debitis et concessis per utranque partem et quelibet de dictis partibus observetur et fiat, et etiam compleatur quicquid dicti domini Ubertus et Bonefacius Marengus et Pelleta dixerint et pronunciaverint providerint et decreverint vel fuerint arbitrati, vel eis Nolentibus, vel non potentibus concordare vel convenire vel eis vel aliquo eorum ad dicendum et pronunciandum ac arbitrandum interesse nolentibus vel non potentibus prout predicti quatuor et domini Philippus Scarampus et Andreas Garretus et Francischus de Montilio vel maior pars ipsorum dixerint pronunciaverint providerint decreverint vel fuerint arbitrati, Tali modo quod quicquid per maiorem partem predictorum in predictis vel circa predicta dictum fuerit vel provisum pronunciatum vel etiam arbitratum valeat et teneat et firmum sit et observetur et fiat ac etiam compleatur, non obstante eo quod aliquis seu aliqui ex eis ad pronunciandum dicendum et providendum ac arbitrandum interesse Noluerint vel non venerint, dum tamen per illos vel aliquem ex eis ad pronunciandum dicendum

providendum et arbitrandum super hoc moniti fuerint vel etiam requisiti pro inde ac si per omnes in concordia dictum vel pronunciatum provisum vel arbitratum esset, salvo et specialiter acto inter predictos contrahentes, quod super debitis et de debitis que dominus Guilelmus Marchio Montisferrati quondam vel dominus Bonefacius pater ipsius quondam dare tenebatur et debebat ut dicitur dominis Manfredo Pellete, Roberto Girbaldo, dominico et Johanni et domino Manueli pellete filio domini Bayamondi quondam et heredibus Albertini pellete quondam, et Frederico pellete filijs dicti domini Bayamondi quondam, Marengo Cazo et fratribus et domino Filippo Scarampo fiat observetur et conpleatur per dictos vicarios et per dictum dominum Marchionem prout predicti domini Ubertus et Bonefacius, Marengus et pelleta dixerint et pronunciaverint providerint et decreverint vel fuerint arbitrati vel eis non potentibus vel nolentibus sese concordare vel convenire, vel eis vel aliquo eorum ad dicendum pronunciandum vel arbitrandum Nolentibus vel non potentibus interesse prout Francischus de Montilio dixerit et pronunciaverit providerit vel decreverit seu fuerit arbitratus. Ita quod dicto et pronunciationi provisioni decreto vel arbitramento per utranque partem stetur omnino. Item actum est quod banniti de Vignali et de Butigleria in electione communis Astensis possint redire et stare in Vignali et in Butigleria vel habere usufructum omnium bonorum suorum stando extra Vignale et extra Butigleriam, vel vendere bona sua stando similiter extra Vignale et extra Butigleriam ita quod sit in electione communis Astensis facere unum de predictis articulis, illud quod magis communi Astensi placuerit. Que omnia et singula supradicta predicte partes sibi ad invicem nominibus quibus supra solemni stipulatione interveniente promiserunt in perpetuum rata et firma habere et tenere et attendere et observare et nullo tempore contrafacere vel venire et nullo modo infringere vel violare revocare vel retractare aliqua occasione iure vel modo sub pena Mille Marcharum argenti, quam penam pars non observans parti observanti dare et solvere promisit totiens quotiens predicta omnia et singula non fuerint observata vel contra predicta vel aliquod predictorum factum vel ventum fuerit vel predicta pax et concordia fuerit violata et pena soluta rato manente pacto. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis dicte partes nominibus quibus supra omnia bona dicti domini Marchionis et communis astensis sibi ad invicem pignori obligaverunt, Renunciando in omnibus et singulis supradictis exceptioni doli et in factum condictioni et exceptioni sine causa vel ex iniusta causa et generaliter omni et cuilibet alij exceptioni defensioni et juri. Insuper predicti domini Ubertus Bonefacius, Nicholinus Jacobus de Gabiano, Jacobus de Ozano, Bonefacius de Castelleto et Guilelmus de Serralonga promiserunt dictis Marengo et pellete stipulantibus et recipientibus nomine et vice communis Astensis se facturos et curaturos bona fide et sine fraude toto eorum posse, quod predictus dominus Marchio Montisferrati usque ad festum omnium sanctorum proxime venturum solenniter et legitime et cum iuramento ad dictatum juris peritorum civitatis Astensis ratificabit et approbabit omnia et singula supradicta et de novo remittet dabit et concedet atque mandabit comuni Astensi omnia et singula supradicta que per predictos Vicarios remissa sunt et concessa data cessa atque mandata communi Astensi seu dictis Marengo et Pellete nomine et vice communis Astensis recipientibus. Et pacem et finem et quietationem et liberationem et absolutionem faciet

de omnibus juribus et actionibus sibi conpetentibus in aliquibus villis castris vel locis communis Astensis, seu que commune Astense teneat vel possideat et tenere vel possidere videatur, Et in Alba et in hominibus Albe et in terra Albensi, Et quod omnia ea et singula que continentur in presenti contractu de novo contrahet et celebrabit et faciet usque ad dictum festum omnium sanctorum proxime venturum solemniter et legitime et cum iuramento ad dictatum juris peritorum civitatis Astensis. Que omnia et singula si non fecerit vel non observaverit dominus Marchio supradictus usque ad festum omnium sanctorum, predicta pax et concordia et omnia et singula supra promissa data remissa vel concessa cessa vel mandata pro parte communis Astensis dictis Vicarijs nomine dicti domini Marchionis pro infecta et infectis penitus habeantur, quia sub tali condictione facta est et fuit pax et concordia supradicta, si dictus dominus Marchio usque ad festum omnium sanctorum proxime venturum ratificabit et approbabit omnia et singula supradicta, Et de novo fecerit et remiserit communi Astensi usque ad festum omnium sanctorum proxime venturum omnia et singula que superius continentur que condictio non extat sed deficiat non extitisse sed defecisse intelligatur et reputetur dicta condictio, si per dictum dominum Marchionem usque ad festum omnium sanctorum omnia et singula supradicta non fuerint observata. Eo salvo et specialiter intellecto atque pacto speciali apposito in contractu presenti quod Astenses et illi de parte sua qui predicta ratificare voluerint teneantur et debeant attendere et observare pacem et concordiam supradictam dominis Uberto de Cochonato et illis de domo sua pro se et terra eorum et dominis Bonefacio de Tylio, Jacob de Gabiano et Jacobo de Ozanno, Bonefacio de Castelleto et Guilelmo de Serralonga et alijs Vasallis dicti domini Marchionis, qui predictam pacem et concordiam attendere et observare voluerint et cartam de attendendo et observando dictam pacem et concordiam cum promissione et sacramento communi Astensi fecerint. Actum etiam fuit inter predictos contrahentes, quod omnes et singuli castellani Montisferrati et de terra subdita dicto domino Marchioni et omnia communia et omnes universitates villarum et locorum subiectarum et subiectorum dicto domino Marchioni promittant et iurent attendere et observare et nullo modo infringere vel violare pacem et concordiam supradictam ad voluntatem communis Astensis. Et versa vice dicti Marèngus et pelleta nomine et vice communis Astensis promiserunt dictis vicarijs stipulantibus et recipientibus nomine et vice dicti domini Marchionis, quod commune et homines Carij legitime et soleniter postquam dictus dominus Marchio ratificaverit et approbaverit omnia et singula supradicta ratificabunt et approbabunt similiter omnia et singula supradicta, Et de novo nomine et vice communis astensis remittent dabunt atque concedent cedent atque mandabunt dicto domino Marchioni omnia et singula supradicta que per predictos Marengum et pelletam nomine et vice comunis Astensis remissa sunt data et concessa, cessa atque mandata dictis Vicarijs nomine dicti domini Marchionis, et pacem et finem et quitationem et liberationem et absolutionem facient de omnibus juribus et actionibus dicto communi Astensi competentibus in aliquibus castris villis vel locis dicti domini Marchionis vel subditis dicto domino Marchioni, seu que ipse dominus Marchio per se vel per alium tenet vel possidet et tenere vel possidere videtur, et per omnia ea omnia et singula que continentur in presenti contractu de novo contrahent et celebrabunt et facient nomine et vice communis Astensis

solemniter et legitime et cum iuramento ad dictatum juris peritorum semper et quandocumque dictus dominus Marchio ratificaverit approbaverit fecerit et compleverit omnia et singula supradicta, postquam commune astense ex parte dicti domini Marchionis fuerit requisitum. Quibus omnibus completis et factis vel dicto domino Uberto de Cochonato et illis de domo sua volentibus attendere et observare dictam pacem et cartam facientibus communi astensi cum promissione et iuramento de attendendo et observando pacem et concordiam supradictam commune Astense teneatur et debeat dimittere et restituere pacifice et quiete illis de Cochonato, quorum erant Casalotum et Cereallum sicut nunc sunt cum omnibus terris et possessionibus pratis et vineis gerbis et nemoribus que et quas illi de Cochonato tenebant in dictis locis Casaloti et Cerreali sicut eas tenebant et possidebant antequam guerra esset incepta. Ita tamen quod predicti de Cochonato pro predictis Casaloto et Cerrealo et terris et possessionibus et rebus predictis solvant fodra et taleas et scuffias et condictiones faciant et omnia alia munera subeant et agnoscant in civitate astensi sicut faciebant solvebant et agnoscebant ante quam guerra presens esset incepta. Et ad maiorem firmitatem omnium predictorum jandicti domini Ubertus et Bonefacius, Nicholinus Jacobus de Gabianno et Jacobus de Ozanno, Bonefacius de Castelleto et Guilelmus de Serralonga pro parte dicti domini Marchionis et suorum, et dicti domini Marengus et Pelleta pro parte communis Astensis et suorum delato eis et cuilibet eorum sacramento a me notario infrascripto corporaliter tactis scripturis ad sancta dei evangelia iuraverunt predicta omnia et singula attendere et observare et rata et firma habere et tenere in perpetuum, et nullo tempore contrafacere vel venire et nullo modo infringere vel violare revocare vel retractare aliqua occasione iure vel modo et facere et curare bona fide et sine fraude et toto eorum posse quod omnia et singula supradicta ratificabuntur et approbabuntur et fient et complebuntur infra terminos constitutos per dictum dominum Marchionem versus commune astense et per commune Astense et commune Carij versus dictum dominum Marchionem. Nomina amicorum et iuratorum et illorum de parte communis Astensis qui predictam pacem et concordiam ratificare voluerint postquam condictiones sub quibus facta est dicta pax fuerint adimplete sunt hec, In primis Venerabilis pater dominus O. sancte mediolanensis Archiepiscopus pro se et tota terra ecclesie Mediolanensis et commune Mediolani cum toto comitatu suo territorio et districtu. Item dominus Episcopus Astensis pro se et tota terra Astensis ecclesie. Item Illustris Vir dominus Amedeus Comes Sabaudie et Marchio in ytalia pro se et tota terra, quam tenet citra montes. Item commune Carij cum toto eorum territorio et districtu, et pro tota terra quam tenet et pro vasallis et habitatoribus eorum. Item domini Manuel et Anthonius Comites de Blandrato pro se et hominibus suis et tota eorum terra. Item commune et homines Albe cum toto eorum territorio et districtu quod et quem tenent. Item commune et homines Savilliani cum toto eorum territorio et districtu. Item commune et homines Fossani cum toto eorum territorio et districtu. Item commune et homines Montisregalis cum toto eorum territorio et districtu. Item commune et homines Claraschi cum toto eorum territorio et districtu. Item domini Incisie pro sese et hominibus eorum et tota eorum terra. Item commune et homines Janue cum toto eorum territorio et districtu. Item communia et homines Cremone, Brixie, Placencie, Papie, Vercellarum, Novarie et Terdone cum

toto territorio et districtu dictarum civitatum et cuiuslibet earum, Nomina vero Vasallorum communis Astensis sunt hec, In primis Nobiles viri domini Oddonus et Ughetus et Albertus de Careto pro sese et tota terra quam tenent a communi astensi. Item domini de Rocheta pro sese et hominibus suis et tota terra quam tenent. Item domini de Corsembrado pro sese et hominibus suis et terra quam tenent, a communi Astensi. Actum in posse Montiscalvi in prato plebis Montiscalvi subter salexetum, Testes interfuerunt, dominus Francischus de Cochonato, leonardus de Solario et Joannes pelleta. Et de predictis omnibus et quolibet articulo et capitulo contento et scripto in pace prescripta, precepta sunt fieri publica instrumenta unum et plura pro dicto communi Astensi, et pro dictis de Monteferato, et pro omnibus et singulis et ad postulationem omnium et singulorum de ipsis habere volentium instrumentum per me Maynfredum de Canonica notarium. Item eodem anno et Indictione die Veneris terciodecimo mensis Junij. Actum in posse Tongi subter travacham domini potestatis Astensis, testibus Alexandrino Malbecho, Petro Morando et Ghigino de Gregorio, quorum presentia dominus Guilelmus de Lambertinis potestas, Jacomacius de Bossis Capitaneus populi, Ogerius Alferius, Guielmus Cazo, Philippus de platea, Raymondinus Falletus quatuor sapientes civitatis Astensis auctoritate licencia et baylia generali eis concessa per ducentos sapientes civitatis Astensis habentes bayliam et auctoritatem a generali consilio iandicte civitatis super omnibus factis et negocijs communis Astensis, certificati de predicta pace et concordia et de omnibus et singulis hjs que in instrumento dicte pacis et concordie continentur ad instantiam et requisitionem dictorum domini Uberti de Cochonato, Bonefacij de Tylio et Jacobi de Gabianno ibidem presentium ratificaverunt et approbaverunt nomine et vice communis Astensis pacem et concordiam supradictam et omnia ea et singula que in instrumento dicte pacis et concordie continentur. Et insuper remiserunt concesserunt dederunt cesserunt atque mandaverunt et quietationem fecerunt predictis Vicarijs recipientibus nomine et vice dicti Marchionis omnia jura et omnes actiones communi Astensi competentia et competentes et de omnibus juribus et actionibus communi astensi competentibus in aliquibus castris villis vel locis dicti domini Marchionis vel subditis dicto domino Marchioni, et omnia et singula que continentur in dicto instrumento pacis et concordie et dictam pacem et concordiam attendere et observare et nullo tempore infringere vel violare sub pena in dicta pace contenta totiens committenda et exigenda quotiens fuerit contrafactum vel predicta omnia et singula non fuerint observata, et pena soluta, rato manente pacto dictis dominis Uberto et Bonefacio et Jacobo stipulantibus et recipientibus nomine et vice dicti domini Marchionis solenniter promiserunt et tactis scripturis corporaliter ad sancta dei evangelia iuraverunt sub condictione et condictionibus in dicto instrumento pacis et concordie contenta et contentis, Et sub condictione et condictionibus si per dictos Vicarios et dictum dominum Marchionem observata fuerint et conpleta ea que secundum formam dicte pacis et concordie et instrumenti dicte pacis et concordie per dictos Vicarios et per dictum dominum Marchionem observata fuerint et completa. Et sub predictis condictionibus et non aliter fecerunt dicti domini potestas Capitaneus et quatuor sapientes nomine et vice communis Astensis ratificationem et approbationem, remissionem et quietationem dationem et concessionem cessionem atque mandatum et promissionem predictam et predictas atque etiam juramentum. Item eodem anno et indictione, die martis XXIIII°

Junij apud Ulisengum retro ecclesiam, Testibus Anthonio Armanno, Roberto et dominico de pelletis, domini Marengus Cazo, Pelleta de pelletis Monuerunt et requisiverunt, dominos Ubertum de Cochonato, Bonefacium de Tilio, et eis denunciaverunt, quod ipsi die Veneris proxime ventura debeant esse et interesse apud Alfianum pro dicendo et pronunciando providendo et decernendo et arbitrando cambium sive scontrum quod dari debet communi astensi loco castri et ville curticellarum quod castrum et que villa dari tradi et expediri debebant communi astensi infra certum terminum iam elapsum secundum formam pacis et concordie facte inter illos de Monteferato ex una parte et commune Astense ex alia, de qua pace et concordia factum est Instrumentum per me notarium infrascriptum hoc eodem anno et Indictione die iovis duodecimo mensis Junij, Cum castrum et villa Curticellarum communi astensi datum et traditum et expeditum non fuerit, secundum quod dari tradi et expediri debebat secundum formam pacis et concordie predicte, Cum dicti Marengus et pelleta cum predictis dominis Uberto et Bonefacio de Cambio sive scontro dando communi Astensi in loco Curticellarum magnum hodie habuerunt colloquium et tractatum et sese non potuerunt adhuc super hoc convenire sive etiam concordare. Item eodem anno et Indictione die veneris decimo septimo mensis Junij, Actum apud Alfianum in campis dicti loci testibus Roberto et dominico de Pelletis et Antonino Armanno. Cum domini Ubertus de Cochonato, Bonefacius de Tilio, Marengus Cazo et Pelleta de pelletis magnum habuissent hodie colloquium et tractatum super dicendo et pronunciando providendo et decernendo et arbitrando cambium sive scontrum quod dari debet communi Astensi loco Castri Corticellarum infra certum terminum iam elapsum et datum non fuit secundum formam pacis et concordie facte inter illos de Monteferrato et commune astense de qua pace et concordia apparet pubblicum instrumentum factum per me notarium infrascriptum hoc eodem anno et indictione die iovis duodecimo mensis Junij, Ecce quod dicti Marengus et pelleta presentibus dictis dominis Uberto et Bonefacio in presentia mei notarij infrascripti et infrascriptorum testium dixerunt et protestati fuerunt atque asseruerunt quod de dicto cambio sive scontro dando communi astensi in loco Corticellarum sese concordare vel convenire non possunt cum dictis dominis Uberto et Bonefacio, Et inde preceperunt fieri publicum instrumentum, Quapropter incontinenti in loco predicto et presentibus testibus predictis, dicti domini Marengus et pelleta, Filippus Scarampus, Andreas Garetus et Francischus de Montilio monuerunt et requisiverunt dictos dominos Ubertum et Bonefacium, et eis denunciaverunt quod ipsi cras ante nonam sint et interesse debeant apud plebem de Corsembraudo pro dicendo pronunciando providendo, decernendo et arbitrando cambium sive scontrum quod dari debet communi astensi in loco Corticellarum secundum formam pacis et concordie supradicte, Alioquin dicti Marengus, Pelleta, Philippus, Andreas et Francischus dicent et pronunciabunt providebunt decernent et declarabunt et arbitrabuntur secundum tenorem pacis et concordie supradicte nisi terminus supradictus voluntate communis astensis esset prorogatus. Item eodem anno et indictione die sabbati Vigesimo octavo mensis junij apud plebem Corsembraudi, Testibus presentibus, dominis Johanne, Jacobo Bertoloto, dominis Corsembraudi, domini Ubertus de Coconato pro se et domino Bonefacio de Tylio et Marengus Cazo et pelleta de pelletis pro sese nomine et vice communis Astensis, cuius sindici sunt et procuratores ad faciendum

infrascripta sicut patet per publicum instrumentum scriptum per Petrum Morandum notarium hoc eodem anno et indictione et die prorogaverunt de communi consensu et voluntate predictorum trium, terminum dicendi et pronunciandi providendi et decernendi ac arbitrandi cambium sive scontrum quod dari debet communi Astensi in loco Corticellarum usque ad diem Veneris proxime venturam per totam diem. Ita quod omnia et singula possint dici et pronunciari provideri decerni et arbitrari fieri et compleri super predicto cambio sive scontro, dando communi Astensi usque ad predictam diem Veneris, et omnia fieri et compleri super predicto cambio sive scontro sicut dici pronunciari provideri decerni et arbitrari poterat et fieri et compleri usque ad presentem diem. Item eodem anno et Indictione die Veneris quarto Julij, Actum est in Viridario sive orto fratrum predicatorum de Ast, Testibus fratre Germanno de Gorzanno priore fratrum predicatorum, domino Guilelmo de Caprilio preposito ecclesie sancti Secundi de ast et Martino de Bozolino. Cum pluries habitum fuerit colloquium et tractatus inter dominos Ubertum de Cochonato et Bonefacium de Tylio et Marengum Cazo et pelletam de pelletis, Et postmodum inter dictum dominum Ubertum suo nomine et nomine dicti domini Bonefacij cuius est procurator sicut patet per instrumentum scriptum per Segnorinum de Vignali notarium hoc eodem anno et indictione, die lune ultimo Junij, Et dictos dominos Marengum et Pelletam, ac etiam dominos Andream Garretum, Philippum Scarampum et Francischum de Montilio super dando communi Astensi cambio sive scontro loco corticellarum quod dari debet communi Astensi ex forma pacis et concordie facte inter dictos dominos Ubertum et Bonefacium et alios de Monteferrato ex una parte et commune astense ex alia, de qua pace et concordia factum est instrumentum per me notarium hoc eodem anno et Indictione die iovis duodecimo Junij, Et super hoc dicti domini Ubertus et Bonefacius, Marengus et pelleta sese non potuerint concordare vel convenire sicut ipsi Marengus et pelleta dixerunt et protestati fuerunt in presentia mei notarij et testium predictorum, Ecce quod dicti domini Philippus, Andreas, Marengus, Pelleta et Francischus presente dicto domino Uberto de Cochonato pro se et domino Bonefacio de Tylio, cuius est procurator, non tamen suo vel predicto nomine consenciente, dixerunt pronunciaverunt et arbitrati fuerunt, decreverunt et providerunt quod in cambio sive scontro et loco Corticellarum detur et dari debeat et tradi vacua possessio per dictos Vicarios nomine dicti domini Marchionis communi Astensi infra octo dies proxime venturos Castri et Ville Casurcij et ipsum Castrum et villam Casurcij cum omnibus hominibus et vasallis feudatis et non feudatis feudis et iuribus feudorum et Vasallorum, et cum aquatico et pasquatico venatione et piscatione pedagijs et curaijs, furnis et mollandinis mero et mixto imperio et iurisdictione omnimoda, fictis et drictis tercijs quartis, quintis, fodro et banno et successione, jure succedendi et acconzamentis talijs et collectis, scuffijs et exactionibus quibuscumque decimis et primicijs iuribus patronatus ecclesiarum et cum omnibus domibus et hedificijs terris et possessionibus pratis vineis gerbis et nemoribus et omnibus alijs rebus et bonis, que dictus dominus Marchio habet vel habere videtur tenet vel possidet, habere tenere vel possidere videtur per se vel per alium in predicto castro et villa vel posse et cum omnibus pertinencijs dicti castri et ville, et cum omnibus iuribus et actionibus dicto domino Marchioni competentibus in predictis castro et villa et hominibus et mero et mixto imperio et

iuribus et rebus supradictis et contra quascumque personas dicti castri et ville et posse et in quibuscumque rebus dicti castri ville et posse, ita quod nichil remaneat dicto domino Marchioni in predicto castro et villa et hominibus sive posse vel iuribus et actionibus et rebus supradictis sed totum in commune Astense totaliter transferratur. Hoc acto quod si dicti Vicarij infra mensem unum proxime subsequentem post predictos octo dies proxime venturos dare tradere et expedire voluerint communi astensi castrum et villam et homines Corticellarum prout dare tradere et expedire debent ex forma pacis et concordie supradicte, quod tunc commune Astense teneatur et debeat dictis Vicarijs nomine dicti domini Marchionis reddere et restituere et expedire castrum et villam et homines Casurcij cum omnibus pertinentijs suis et rebus et iuribus et actionibus supradictis, Ita quod nichil remaneat dicto communi Astensi Sed in dictos Vicarios nomine dicti domini Marchionis totaliter transferratur. Et ego Manuel Bovetus notarius pallatinus predicta instrumenta abreviata per Maynfredum de Canonica notarium extraxi de eius prothocolo et precepto et voluntate ipsius scripsi.

Et ego Maynfredus de Canonica notarius pallatinus predicta instrumenta omnia abreviavi et dictus Manuel mei precepto et voluntate scripsit et ad maiorem firmitatem et cautelam signum et nomen meum apposui.

Et ego Guilelmus de Passatore notarius pallatinus predicta instrumenta exemplavi, et in libro isto apposui nichil addens vel minuens preter forte literam punctum vel sillabam, tamen partium significatione retenta, Et sicut in ipso continebatur, sic et in isto novo plenius continetur exemplo, Et ad maiorem firmitatem et cautelam meum nomen et signum apposui, et me subscripsi.

928. *De inducijs seu treuguis factis inter dominum Johannem Marchionem Montisferrati pro se et suis ex una parte, et comune Ast pro se et suis ex altera usque ad quinque annos et inde pro contramando usque ad unum annum utraque parte suos participes declarando.* 1293. 26 Decembris.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem Millesimo ducentesimo nonagesimo tercio Indictione sexta die Veneris Vigesimosexto mensis decembris, Cum gravis guerra et discordia hinc retro fuerit inter bone memorie Illustrem Virum dominum Guilelmum Marchionem Montisferrati quondam, et post eum fuerit et sit inter Illustrem eius filium dominum Johannem Marchionem Montisferrati et gentem suam et vasallos et subditos suos et amicos et iuratos suos infrascriptos et terram suam et posse et territorium suum ex una parte, et commune Astense et gentem terram et vasallos et subditos dicti communis et amicos et iuratos infrascriptos dicti communis ex alia parte, dictus dominus Johannes Marchio Montisferrati, suo nomine et nomine vasallorum et subditorum suorum et tocius terre et gentis sue et poderij et districtus sui, et nomine et vice amicorum et iuratorum suorum infrascriptorum, Qui amici et iurati infrascripti ratificare et approbare voluerint infra terminum inferius ordinatum ex una parte, et discreti viri domini Andreas Garetus doctor legum, Guilelmus Brunus iuris peritus, Thomas Rotarius et Facinus Ysnardus ambaxiatores sindici et procuratores communis Astensis de quorum sindicatu et procura constat per publicum instrumentum scriptum per me Symonem Sarachum notarium in anno domini MCCLXXXXII.° Indictione quinta die dominico ultimo mensis Novembris nomine et vice communis

Astensis et omnium et singulorum Vasallorum dicti communis et totius terre poderij et districtus dicti communis Astensis et nomine et vice omnium et singulorum amicorum et iuratorum infrascriptorum dicti communis qui predicta ratificare et approbare voluerint infra terminum inferius ordinatum ex alia parte eorum nominibus et predictorum, de predictis guerra et discordia et odijs et malevolencijs existentibus inter dictas partes et de omnibus et singulis offensionibus iniurijs et damnis datis et factis sive illatis hinc inde fecerunt ad invicem inter sese bonas et firmas inducias sive treuguas duraturas usque ad quinque annos proxime venturos, et deinde pro contramando usque ad unum annum sequentem qui annus de contramando solummodo incipiat postquam per dictum dominum Marchionem vel eius nuncios dicte treugue sive inducie contramandante fuerint consilio et potestati vel capitaneo civitatis Astensis vel locum alicuius eorum tenenti vel alterius eorum, si amborum Potestatis et Capitanei copia haberi non posset, vel per commune Astense seu eius nuncios dicto domino Marchioni vel eius vicem gerentibus vel gerenti in aliquo loco vel terra Montisferrati. Tali modo et forma quod toto tempore dictarum treuguarum et induciarum et anni de contramando predicti una pars alij vel alium seu alios de alia parte, vel aliquis de una parte aliam partem vel alium seu alios de alia parte realiter vel personaliter non offendat, nec offendi permittat, nec offendi consentiat per partem suam vel aliquem sive aliquos de sua parte, sed ipse offensiones inter dictas partes et quamlibet de dictis partibus cesset omnino, et ipsas offensiones unaqueque ipsarum partium per illos de parte sua prohibeat fieri omnimodo, Tali etiam modo quod unaqueque predictarum partium et quilibet de dictis partibus aliam partem vel alium seu alios de alia parte in iudicio vel extra vel alibi ubicumque vere vel simulate palam vel oculte aliquo iure causa vel modo non conveniat nec appellet nec agravet nec turbet nec inquietet vel aliquo modo molestet occasione aliquarum offensionum vel damnorum datorum vel iniuriarum preteritarum vel preteritorum, nec occasione aliquorum castrorum, Villarum locorum, terrarum vel iurium occupatorum vel occupatarum per aliquam de dictis partibus vel aliquem seu aliquos de dictis partibus. Ita quod in rebus castris, villis vel locis vel iuribus alterius partis vel alicuius de altera parte vel occupatis vel detentis vel quasi detentis per aliam partem vel alium seu alios de alia parte durantibus predictis treuguis et inducijs et anno de contramando predicto nullum poderium vel dominium nullam iurisdictionem, nullam possessionem, nullum omnino jus vel aliquid aliud accipiat capiat, occupet vel detineat postulet vel requirat, Et quod accipientibus occupantibus vel detinentibus postulantibus vel requirentibus aliquod ius in eis non consenciet ullo modo si fuerint de parte sua vel in treugua positi pro parte sua, hoc acto inter predictas partes eorum nominibus et predictorum quod si tempore dictarum treuguarum sive induciarum vel anni de contramando predicti aliqua offensio vel iniuria vel damnum fieret vel daretur per unam partem alteri parti vel alicui seu aliquibus de alia parte, vel per aliquem seu aliquos de una parte alteri parti, seu alicui vel aliquibus de altera parte, quod propter hoc dicte treugue vel inducie non sint rupte seu etiam violate, Sed de predictis offensionibus iniurijs atque damnis fiat restitutio et emenda iudicio arbitrorum seu arbitratorum infrascriptorum, Qui de predictis offensionibus iniurijs atque damnis debeant cognoscere et difinire infra quindecim dies postquam inde fuerint requisiti summarie et sine forma cause et ubi eis videbitur, Et si

de loco vel de pronunciando convenire non possent, vel aliquis de predictis arbitris vel arbitrorum ad cognoscendum et pronunciandum venire esse vel pronunciare contempneret, pronunciationi et difinitioni tercij arbitri et arbitratoris infrascripti stetur omnino, Qui tercius arbiter et arbitrator infra quindecim dies postquam fuerit requisitus de predictis damnis iniurijs et offensis et restitutionibus et emendis faciendis debeat cognoscere et pronunciare summarie sine forma cause prout ei secundum iusticiam videbitur expedire. Item actum est inter predictas partes specialiter et expresse quod generale consilium civitatis Astensis et omnes et singuli eius amici et iurati infrascripti infra octo dies postquam de hoc fuerint requisiti per dictum dominum Marchionem vel eius nuncium per sese vel eorum sindicos seu procuratores ad hoc legittime constitutos teneantur et debeant cum promissione et iuramento ad instantiam dicti domini Marchionis vel eius nunciorum ratificare et approbare omnia et singula suprascripta et infrascripta, Quodque dictum commune Astense faciat et curet quod vasalli sui et communia castrorum locorum seu villarum dicti communis et omnes eius amici seu iurati infrascripti ratificabunt et approbabunt infra octo dies postquam de hoc fuerint requisiti vel requisita prout superius continetur omnia suprascripta et infrascripta et si aliquis de infrascriptis iuratis et amicis comunis Astensis predicta et infrascripta ratificare Noluerit infra octo dies postquam de hoc fuerit requisitus vel fuerint requisiti per ipsum dominum Marchionem vel eius nuncium, Ille vel illi qui predictam ratificationem facere noluerint infra predictum tempus non sint nec esse intelligantur in treugua supradicta pro parte predictorum Astensium, nulla pena propterea committenda contra dictum commune Astense si aliquis de Vasallis iuratis vel amicis communis Astensis predictam ratificationem facere nollet et ei qui predictam ratificationem facere Noluerit dictum commune vel alij eandem ratificationem facientes pro parte dicti communis nullum auxilium consilium et favorem prestare debeat contra ipsum dominum Marchionem et partem suam, Eo salvo et acto quod si ante predictam ratificationem aliquis de infrascriptis amicis vel iuratis communis Astensis aliquam offensionem faceret dicto domino Marchioni vel genti sue quod propter hoc treugua vel inducie supradicte non intelligantur nec sint rupte vel in aliquo violate, sed de predictis offensionibus et iniurijs fiat restitutio et emenda iudicio arbitrorum in omnibus et per omnia prout superius continetur, Quam restitutionem et emendam, si offendens facere nollet offenso secundum pronunciationem et iudicium arbitrorum ex nunc intelligatur et sit extra treuguas et inducias supradictas, et impune et licite per dictum Dominum Marchionem et suos possit offendi. Et versa vice actum est inter predictas partes eorum nominibus specialiter et expresse quod dictus dominus Marchio faciat et curet quod Vasalli sui et communia castrorum locorum sive Ville Montisferrati et aliorum castrorum et locorum dicti domini Marchionis et omnes infrascripti eius amici infra octo dies postquam de hoc fuerint requisiti vel requisita per commune Astense vel eius nuncios per sese vel eorum sindicos seu procuratores ad hoc specialiter constitutos teneantur et debeant cum promissione et iuramento ad instantiam communis Astensis vel nuncij ipsius communis ratificare et approbare omnia et singula supradicta et infrascripta, et si aliquis de Vasallis vel communibus vel de infrascriptis iuratis et amicis dicti domini Marchionis predicta et infrascripta ratificare noluerit infra octos dies postquam de hoc

fuerit requisitus per predictum commune Astense vel nuncios ipsius communis ille vel illi qui predictam ratificationem facere noluerit vel noluerint infra predictum tempus non sint nec esse intelligantur in treugua supradicta pro parte dicti domini Marchionis nulla pena propterea committenda contra dictum dominum Marchionem si aliquis de vasallis iuratis vel amicis dicti domini Marchionis predictam ratificationem facere nollet. Et ei qui predictam ratificationem facere noluerit dictus dominus Marchio et alij eandem ratificationem facientes pro parte dicti domini Marchionis nullum auxilium consilium et favorem prestare debeat contra ipsum commune Astense et partem suam. Eo salvo et acto quod si ante predictam ratificationem aliquis de infrascriptis amicis et iuratis dicti domini Marchionis aliquam offensionem faceret dicto communi Astensi vel parti sue vel alicui vel aliquibus de parte eorum quod propter hoc treugue vel inducie suprascripte non intelligantur nec sint rupte seu in aliquo violate sed de predictis offensionibus et iniurijs fiat restitutio et emenda iudicio arbitrorum in omnibus et per omnia sicut superius continetur. Quam restitutionem et emendam si offendens facere nollet offenso secundum pronunciationem et iudicium arbitrorum ex nunc intelligatur et sit extra treuguas et inducias supradictas, et impune et licite per Astenses et suos possit offendi. Que omnia et singula dicte partes sibi ad invicem eorum nominibus et predictorum solemni stipulatione interveniente promiserunt rata et firma habere et tenere et attendere et observare facere et conplere et non contrafacere vel venire et nullo modo revocare vel retractare aliqua occasione iure vel modo sub pena decemmillium librarum bonorum denariorum Astensium, Quam penam pars non observans et contrafaciens dare et solvere promisit alteri parti totiens quotiens predicta omnia et singula non fuerint observata vel contra predicta vel aliquod predictorum aliquo modo factum vel ventum fuerit, et pena soluta, rato manente pacto et ratis et firmis manentibus omnibus et singulis supradictis. Et insuper restituere sibi ad invicem omne damnum expensas et interesse que pro inde facerent aliqua occasione vel modo, Et pro predictis omnibus et singulis attendendis et observandis dicte partes sibi ad invicem eorum nominibus et predictis omnia eorum bona sibi ad invicem pignori obligaverunt dictis partibus, Renunciando sibi ad invicem eorum nominibus et predictis in omnibus et singulis supradictis exceptioni doli et in factum, condictioni et exceptioni sine causa et ex iniusta causa, Et generaliter omni et cuilibet alij exceptioni defensioni et iuri, privilegio et legum et cuiuslibet iuris auxilio. Et quia dictus dominus Johannes Marchio Montisferrati minor erat vigintiquinque annis, maiorem tamen se asserit quatuordecim, et ad maiorem negocij firmitatem, et dicti ambaxiatores et sindici in animas potestatis et Capitanei ac consiliariorum sive credendariorum civitatis Astensis, et in animas suas corporaliter tactis scripturis delato eis sacramento per me notarium infrascriptum ad sancta dei evangelia iuraverunt omnia et singula supradicta rata et firma habere et tenere et attendere et observare facere et conplere et non contrafacere vel venire et nullo modo revocare vel retractare infringere vel violare aliqua occasione iure vel modo, Renunciando beneficio restitutionis in integrum sive minoris etatis et omni iuri. Nomina vero iuratorum et amicorum predicti domini Marchionis, si ratificare voluerint infra terminum ordinatum superius pro parte dicti domini Marchionis sunt ista, dominus Episcopus Vercellensis cum terra sua et omnibus suis, dominus Episcopus, civitas et homines

yporegie, Comites de Blandrato cum eorum hominibus, Comites de Valperga cum eorum hominibus, Comites de Sancto Martino cum eorum hominibus, domini de Coconato et de Reyate cum eorum hominibus, dominus Marchio Salucearum pro consanguineo et amico et feudo quod tenet ab eo, dominus Episcopus Astensis, pro terra quam tenet pro ipso, et ut amicus, dominus Emanuel de Cravesanna cum suis hominibus et terra, dominus Guilelmus Marchio Ceve cum terra sua, domini Conradus, henricus et Antonius de Careto Marchiones Sagone, domini Oddonus, Albertus et Ughetus Marchiones de Careto cum suis hominibus, domini Fredericus et henricus fratres de Rocheta cum suis hominibus et alij domini de Bubio, Marchiones de Ponzono cum terra sua, dominus Episcopus Aquensis cum terra sua, domini de Sanctostephano cum hominibus suis, Marchiones de Encisia, Comes Emanuel de Blandrato et nepos eius cum eorum terra et hominibus, Civitas Vercellarum, civitas Novarie, civitas Janue, civitas Terdone, civitas Papie predicta communia et predicti amici cum tota terra et hominibus et districtu eorum. Nomina vero iuratorum et amicorum communis Astensis si predicta ratificare voluerint infra terminum superius ordinatum pro parte communis Astensis sunt ista videlicet, dominus Comes Sabaudie cum terra et hominibus suis, commune Mediolani cum terra et hominibus suis, commune Janue cum terra et hominibus suis, commune Cremone cum terra et hominibus suis, Commune Placencie cum terra et hominibus suis, commune Brixie cum terra et hominibus suis, Commune Carij cum terra et hominibus suis, Commune Albe cum terra et hominibus suis, Commune Claraschi cum terra et hominibus suis, Commune Fossani cum terra et hominibus suis, Commune Savilliani cum terra et hominibus suis, Commune Montisregalis cum terra et hominibus suis, dominus Episcopus Astensis et terra ecclesie, Comes Manuel de Blandrato et nepos eius cum eorum terra et hominibus, dominus Episcopus Albensis et terra eius, dominus Marchio Salucearum pro feudo quod tenet a communi Astensi, Marchiones Ceve scilicet dominus Nannus et Guilelmus et alij Marchiones Ceve pro eo quod tenent a communi Astensi, Marchiones de Careto scilicet filij domini Jacobi et domini Maynfredi et alij Marchiones de Careto et Marchiones Encisie, commune Astense cum tota terra quam tenet, commune Terdone, Commune Papie, Commune Vercellarum, Commune Novarie domini de Sanctostephano de Coxano predicta communia et predicti amici cum tota terra et hominibus suis et districtu eorum, salvo et adiecto quod propter nominationem amicorum predictorum et iuratorum utriusque partis non generetur preiudicium alicui partium predictarum seu juri ipsius. Nomina vero arbitrorum seu arbitratorum sunt hec videlicet pro parte dicti domini Marchionis, dominus Bonefacius de Mezadio Comes de Valperga, et pro parte Astensium dominus Raymondus Cacayranus juris peritus, civis Astensis, Et pro tercio communi, Venerabilis pater, dominus Frater Jacobus de Varagine Archiepiscopus Januensis, de quibus omnibus et singulis suprascriptis predictus dominus Marchio et dicti Ambaxiatores petierunt et iusserunt tam per me Symonem Sarachum notarium infrascriptum quam per Bertrandum Miracula notarium publicum publica fieri instrumenta. Actum in Provincia in civitate Nicie in pallatio Regio eiusdem civitatis in presentia et testimonio Excellentissimi domini Karoli Secundi Jerusalem et Sicilie Regis, Venerabilis patris domini Petri Sistariensis Episcopi, dominorum Ludovici de lavernia, Alfanti de Solerijs Seneschalli

provincie, Mathei de Adria Regni Sicilie Thexaurarij, Bartholomei de Grossis maioris Judicis provincie, magistri Johannis de Vemarcio prepositi Folchalcherij et Regni Sicilie Thexaurarij, Johannis Lanfranchi militis, Guidonis de Tabia advocati et procuratoris phisci in Provincia, Ermengani de Ansoysio militis, Thome Seglati iuris civilis professoris et predicti Bertrandi Miracula notarij et rationum officialium provincie auditoris, Jacobi de Casteglono, Ameoti notarij domini Marchionis, Anthoninj Armanni notarij, Raymondini Rotarij et Andree de Gorzano Astensium testium vocatorum et rogatorum.

Et ego Symon Sarachus notarius pallatinus predictis omnibus interfui et rogatus hanc cartam sic feci et scripsi.

CLXXIV. De Careto.

929. *De conventione facta inter comune Ast ex una parte et dominum henricum Marchionem de Sagona ex altera, de se se invicem adiuvando et defendendo contra quoscumque, debendo dictus dominus henricus esse civis Astensis et dare fodrum in Ast de libris CC et facere pacem et guerram exercitum et succursum pro dicto comuni Astensi.* 1191. 12 Maij.

Anno domini Millesimocentesimo nonagesimo primo, Indictione nona die dominico duodecimo intrante Madio presentia infrascriptorum et multorum aliorum, Astenses consules de communi, quorum nomina sunt, Opizo de Vivario, Ubertus layolius, Rolandus Crivellus, Nicholaus Gardinus et Jacobus Careocius, et dominus henricus Marchio de Sagona filius quondam Marchionis henrici Vercij, tactis corporaliter sacrosanctis evangelijs juraverunt pacta et conventa inter eos habita, que scripta sunt et que cum eorum communi voluntate scriberentur, bonafide et sine fraude perpetuo observare, Et insuper Girardus Guiocius, Henricus Soldanus, homodeus Trosellus, consules de iusticia, Et Girbaldus de porta, Arnaldus de platea et Jacobus palius, consules populi, iuraverunt proprijs manibus supra dei evangelia bona fide dare forciam et virtutem predictis consulibus de communi ut omnia observent. Actum in urbe Ast in communi contione facta in Cortina sancti Secundi, Interfuerunt isti, Trencherius pilosus de Manzanno, Sismondus de Centallo, Ubertus de platea, Petrus Cicia, Bayalardus Berrardengus, Rollandus frater eius, Bayamondus Careocius, Scarampus, henricus durnasus, Rodulfus fratrer eius, Rollandus Bergogninus, Guillelmus de Frinco, Ardicio Bertramus, Guillelmus laurencius, Guaboyanus, Raymondus layolius, Robaldus Nasellus, Manfredus Cavazonus et multi alij, Et Jacobus Boviculus notarius inde cartam scripsit. Eo die in domo Communis, Salomon missus Astensium consulum vice totius credentie comunis et populi iuravit pro eis quod ipsi dabunt forciam et virtutem predictis consulibus de communi ut omnia supradicta observent si deus illos adiuvet et sancta dei evangelia. Hec sunt pacta et conventa que predicti consules de Ast et henricus Marchio inter se adinvicem in perpetuum iuraverunt observare ut supra legitur. In primis iuravit ipse Henricus Marchio quod ipse decetero erit civis Astensis, et quod emet in Urbe Aste domum de libris Centum, per totum hunc consulatum, nisi remanebit per parabolam omnium consulum vel credentie per campanam coadunate vel maioris partis eorum et credentie,

nec eam postea vendet nec dabit, nec alicui obligabit, nec in feudum dabit neque alienabit nisi absolto omnium vel maioris partis consulum et credentie per campanam congregate remanserit, Et semper cum civitas Astensis in se fodrum acceperit, ipse Marchio henricus dabit fodrum librarum ducentarum, Et si civitas Astensis guerram habuerit, ipse Henricus Marchio stabit in Urbe Aste per tres menses in anno cum duobus militibus se tercio, et cum tribus archatoribus de Caballo, suis perditis et suis expensis, Nec inde recedet nisi remanserit propter parabolam omnium consulum et credentie per campanam congregate vel maioris partis. Item quotiens Astenses consules per succursum ei mandaverint, ipse veniet in eorum succursum cum decem militibus et cum decem archatoribus cum equis, a prima nocte in antea manendo ad expensas et perditas comunis Astensis. Item si consules ei mandaverint ut veniat in eorum exercitu, ipse debet venire cum decem militibus et cum decem archatoribus cum equis suis expensis et suis perditis, nec eos relinquet in exercitu nec in obsidione castri sine licentia consulum omnium et credentie vel maioris partis. Item debet salvare et custodire adiuvare et defendere omnes homines de Aste in personis et rebus ab omni homine in tota sua terra et in toto suo posse et non accipiet in eis aliquod pedagium nec curaiam nec aliquod scufium nisi vetus et consuetum pedagium et in veteri strata nisi per parabolam omnium consulum et credentie vel maioris partis credentie, dico per campanam congregate. Item non permittet nec consenciet aliquem hominem de Aste pro aliquo damno vel debito in tota sua terra et in suo posse ab aliquo suo homine disturbari nec robari nisi fuerit fideiussor vel principalis debitor. Item permittet homines de Aste capere eorum inimicum in tota sua terra et in omni suo posse, et eos illum capere adiuvabit si ibi illum invenerint. Item si ipse henricus Marchio incipiet aliquam guerram cum aliquo cum consilio Astensium, non debet inde facere pacem sine consilio Astensium, nec treuguam ex ea guerra faciet, que duret ultra quindecim dies sine consilio Astensium. Hec omnia predictus henricus Marchio iuravit attendere bona fide, Salvo Odone de Careto, et Bonefacio de Caprexano et hominibus de Alba quibus non tenetur hoc pacto facere guerram pro Astensibus, Sed hjs exceptis omnia predicta debet observare, et omnes Astenses adiuvare in rebus et personis contra omnes homines, Et si ipse Marchio henricus et Astenses in hoc aliquod melioramentum communiter fecerint, ipse Marchio henricus illud observare iuravit, et ut hoc firmius credatur et inviolabiliter perpetuo conservetur, semper in capite quinque annorum, hoc sacramentum ab utraque parte reiteretur et fiat si pars parti requisierit, Et hoc totum ipse henricus Marchio bona fide attendere iuravit si deus illum adiuvet et sancta dei evangelia. Similiter omnes consules Astenses de communi iuraverunt hec que subterleguntur adversus ipsum Marchionem henricum bona fide observare pro communi Astensi, videlicet si contingeret ipsum henricum habere guerram quod tres milites Astenses cum tribus archatoribus de equo debent cum eo stare eorum perditis et expensis per tres menses in anno, nisi per parabolam ipsius Marchionis remanserit. Item quotiens ipse henricus Marchio mandaverit eis pro succursu, Astenses debent ei mittere decem milites et decem arcatores cum equis, qui a prima nocte inantea debent esse ad expensas et perditas ipsius Marchionis. Item si ipse henricus Marchio pro exercitu eis mandaverit Astenses debent venire in eius exercitu cum decem militibus et cum decem arcatoribus cum equis ad eorum

perditas et expensas, nec relinquent eum in exercitu nec obsidione castri nisi per eius parabolam remanserit. Item debent salvare et custodire adiuvare et defendere omnes homines predicti henrici Marchionis ab omni homine in tota eorum terra et in toto eorum posse bona fide, nec capere eis pedagium nec curayam nec aliquod scufium nisi vetus et consuetum pedagium et in veteri strata nisi parabola ipsius Marchionis remanserit. Item non permittent aliquem hominem ipsius Marchionis in tota eorum terra et in toto eorum posse ab aliquo cive Astensi disturbari nec robari nisi fuerit fideiussor vel principalis debitor. Et permittent ipsum Marchionem capere suum inimicum in tota terra Astensi, et ipsum adiuvabunt eum capere, si illum ibi invenerit. Item Astenses debent adiuvare ipsum Marchionem henricum tenere totam illam terram de qua est saxitus et investitus et de qua se saxierit vel investiverit cum ratione, Item si Astenses aliquam guerram cum consilio ipsius Marchionis inceperint non facient inde pacem sine consilio ipsius Marchionis Henrici nec treuguam ex illa guerra facient, que duret ultra xv. dies absque consilio ipsius Marchionis. Hec omnia Astenses consules de communi iuraverunt attendere bona fide nisi per parabolam ipsius Marchionis Henrici remanserit. Salvo domino Guillelmo de Ceva et salvis omnibus eorum sacramentis. Item si consules Astenses et ipse Marchio communiter in hoc aliquod melioramentum fecerint, dicti Astenses consules de communi illud observare iuraverunt, et ut firmius credatur et inviolabiliter perpetuo conservetur, semper in capite quinque annorum, hoc sacramentum ab utraque parte reiteretur et fiat, si pars parti requisierit. Et hoc totum Astenses consules de communi bona fide attendere iuraverunt si deus illos adiuvet et sancta dei evangelia. Anno domini MCLXXXXI Indictione nona die dominico duodecimo intrante Madio, hoc sacramentum factum fuit. Et Jacobus Boviculus notarius pallatinus precepto consulum et Marchionis Henrici hec omnia conventa inter eos habita ad memoriam retinendam ab utraque parte notavit et scripsit. Item omnes predicti consules una cum ipso Marchione Henrico in concordia fuerunt si ipse Marchio de terra de qua est saxitus vel investitus, et de qua se saxierit vel investiverit cum ratione, aliquid perdiderit quod debent eum adiuvare ad recuperandum bona fide et de sua terra tenentur eum adiuvare contra omnes homines ad tenendum.

930. *De iuramento fidelitatis facte comuni Ast per dominum Mayfredum filium quondam domini Odonis, Marchionis de Careto et de investitura in eum facta per dictum comune de suo recto feudo.* 1242. 10 Junij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, Indictione quintadecima die lune decimo intrantis Junij, coram testibus infrascriptis, dominus Manfredus filius quondam domini Odonis Marchionis de Careto iuravit fidelitatem Communi Astensi talem qualem gentilis vasallus facit domino suo, et ibidem ad presens dominus Guido Manteacius potestas Astensis nomine et vice communis et consilij credentie ipsum de suo recto feudo investivit. Actum Aste supra voltas de dom in pleno consilio, Testes dominus Bergundius de Sancto Michaele et dominus Rufinus teger iudices potestatis, Gandulfus Aycardengus et petrus Amianus clavarij communis, dominus leo de Ceva, Henricus de dominabus et petrus Turrellus.

Ego Mussus Boviculus notarius pallatinus interfui et scripsi.

931. *De commissione per dominum henricum Marchionem Sagone ex una parte et comune Ast ex altera facta in dominum Thomam de Sabaudia Comitem pro concordia inter ipsas partes facienda.* 1225. 1 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo quinto Indictione XIII.ª die lune in kallendis decembris in presentia testium de hjs fuerunt in concordia, dominus henricus Marchio de Sagona ex una parte et Jacobus de Jaffa, Robaldus Gardinus et Barlotus de Sancto iohanne ambaxiatores communis Astensis, vice et nomine dicti communis ex altera, videlicet quod ipsi dominus henricus Marchio et commune Astense attendent et observabunt bona fide et sine fraude quecumque omnia fuerint tractata et ordinata inter eos vel tractaverint et ordinaverint dominus Thomas comes Sabaudie, dominus Otto de Careto, dominus Ugo de Carreto, dominus Gratapalea et dominus petrus Becharius, de concordia eorum facienda, Promittendo ipse dominus Henricus et dicti ambaxiatores nomine communis Astensis ad invicem attendere et observare bona fide et sicut supra dicitur, jandictus Gratapalea precepto et voluntate iandicti domini Henrici et super animam ipsius Henrici iuravit attendere et observare bona fide et sine fraude, Et hoc idem prenominati ambaxiatores iuraverunt vice et nomine dicti communis attendere et observare bona fide et sine fraude, Tali vero pacto et tenore quod de predictis omnibus iandictus dominus Henricus nec commune ullo modo non teneatur in aliquo nisi prenominati omnes scilicet dominus Comes, dominus Otto de Careto, dominus Ugo, Gratapalea et petrus Becharius, in omnibus supradictis convenirent et concordes essent. Actum est hoc in Via castri Curtimilie, interfuerunt testes rogati et vocati dominus Calderia de Monesilio, dominus Otto de Monesilio, Petrus de Sancto Marzo et dominus Baldus de Turri.

Et ego Jordanus sacri pallatij notarius hjs interfui et rogatus hanc cartam scripsi.

CLXXV. De Dominis de Gorzano.

932. *De concordia facta inter dominum Rofinum de Gorzano ex una parte et Comune Ast ex altera, debendo ipse dominus Rufinus esse civis Astensis et facere pacem et guerram etc. et dare fodrum de libris CC. pro dicto comuni.* 1198. 9 Junij.

In nomine domini ad honorem eius et beate Marie semper virginis et beati Secundi martiris et omnium sanctorum et sanctarum, Talem concordiam fecit dominus Rufinus de Gorgiano cum domino Alberto de Fontanna potestate Astensi nomine comunis Astensis omni tempore duraturam, cuius tenor talis est videlicet quod dominus Rufinus de Gorzano per se et heredes suos decetero omni tempore debet esse civis Astensis et debet dare fodrum Aste quotienscumque civitas ad fodrum devenerit, de libris CC. sicut alij cives Astenses et facere omnes mores et consuetudines urbis Astensis pro libris CC. sicut quilibet civis Astensis faciet de suo posse sine equatione ulla, quam ipse Rufinus inde habere debeat a communi, Et debet emere domum in civitate Astensi de precio librarum quinqueginta usque ad proximum festum sancti Michaelis, quam postea ipse Rufinus vendere donare infeudare nec aliquo modo a se alienare donec emerit aliam domum de simili precio vel de maiori, Et debet

stare in Astensi civitate si comune Astense guerram haberet per duos menses in anno et facere inde guerram sicut alij cives Astenses, et inde non debet recedere absque parabola potestatis Astensis vel consulum per tempora existentium et credentie totius vel maioris partis, Et debet salvare custodire et defendere homines de Aste et de virtute Astensi per comune et per divisum, et quamlibet specialem personam de Aste et de virtute Astensi per se et per omnes homines suos in tota terra sua et toto posse suo et alibi quo poterit bona fide et sine fraude in rebus et in personis contra omnes homines et specialiter contra Marchiones Montisferrati, Et debet facere guerram cuicumque persone cum civitas Astensis guerram haberet et specialiter, Marchionibus Montisferrati si civitas Astensis cum eis guerram haberet, per se et per suos homines et domum ipsius Rufinj, Salva fidelitate dominorum suorum et salvis eius sacramentis extra posse ipsius Rufinj, Sed in suo posse et in sua terra per se et per suos homines teneatur salvare custodire et defendere homines de Aste et de virtute Astensi et quamlibet personam specialem de Aste et de virtute Astensi in rebus et personis bona fide, et sine fraude per commune et per divisum, contra omnes homines, quam concordiam et omnia predicta ut supra legitur iandictus Rufinus iuravit supra dei evangelia etiam promisit predicto Alberto de Fontana potestati Astensi ad partem et nomine communis Astensis stipulanti omni tempore attendere et observare per se et per heredes suos bona fide et sine fraude, et quod faciet iurare omnes homines de terra sua bona fide et sine fraude quod ipsi deinceps omni tempore salvabunt custodient et defendent homines de Aste et de virtute Astensi, per comune et per divisum et quamlibet specialem personam de Aste et de virtute Astensi in tota sua terra et in toto suo posse, et in terra et in toto posse ipsius Rufinj et alibi quo poterunt bona fide et sine fraude et in rebus et personis omni tempore contra omnes salva fidelitate ipsius Rufinj et salvis eorum sacramentis, extra terram et posse eorum et ipsius Rufinj. Actum est hoc anno domini Millesimo centesimo nonagesimo octavo Indictione prima, die martis nono die intrante Junio in ecclesia sancti Johannis de domate in publica credentia per campanam coadunata feliciter. Interfuerunt testes, Nicholaus Gardinus, Ubertus de platea, Jacobus de Vivario, magister petrus Becharius, Raymondus layolius, Bayamondus Careocius, et multi alij.

Et Thomas notarius scripsit.

933. *De concordia facta inter quosdam de Gorzano ex una parte et comune Ast ex altera debentibus ipsis esse civibus Astensibus et dare fodrum de libris XL. et facere pacem et guerram pro dicto comuni etc.* 1206.

In nomine domini nostri Yhesu Christi amen, Hec est forma pacis et concordie facte inter homines de Aste et dominos de Gorzano videlicet Manfredum Quatulam, Ubertum fratrem suum tempore regiminis domini Rufinj Georgij potestatis Astensis, dominus Manfredus Quatula et Ubertus frater eius fiant concives Astenses et homines de Aste reddendo eis domum, quam henriocius tenet, Et quod ipsi domini de Gorzano dabunt fodrum de illa domo de quadraginta libris, quando civitas venerit ad fodrum, ita tamen quod propter hoc citaynaschum nequeant compelli stare in civitate si Noluerint, neque possint distringi facere rationem sub potestate vel sub consulibus

A ste, nisi de contractu ab eis facto in civitate, Et debent adiuvare et defendere et servire commune de Aste ubique tanquam cives pro eorum posse, Salvis eorum dominis, Et debent facere exercitum iter et succursum de sua terra, hominibus de Aste, et pacem et guerram de civitate cum civitate salvis suis dominis, Eo excepto quod homines de Astisio vel de Alba remanerent in guerra cum hominibus de Aste, et homines de Aste facerent asaltum super homines de Alba vel super homines de Astisio, Manfredus et Ubertus quisque cum uno socio possit se intusmittere ad defendendum terram Albe et Astisij dum ista guerra durabit. Item debent salvare et defendere homines et terram de Aste, nisi Astenses predam facerent super homines de Alba et de Astisio, quia tunc salvare et reducere homines de Astisio et de Alba teneantur, reddendo predam hominibus de Astisio, Et si aliquis inimicus civitatis faceret assaltum vel cavalcatam super homines de Aste vel super terram ipsorum et ducerent inde predam, domini de Gorzano defendent et auferent illam predam bona fide et sine fraude et reddent hominibus de Aste, uti superius dicitur, salvis suis dominis, sic exprimitur, idest salvo Astensi Episcopo et Albensi Episcopo et Comite Uberto de Blandrato et Abbate Apostolorum, Abbatissa sancti Anastasij et dominis de Montibus. Item domini de Gorzano debent absolvere et reddere hominibus de Aste omnes captivos quos habent de Aste et de terra Astensi et de eorum amicis et auxiliatoribus in eorum terra et eorum manulevationes absolvere, et partem quam habent in alijs captis Astensibus et terra eorum et amicorum et auxiliatorum eorum debent prorsus absolvere et partem manulevationum similiter. Item domini de Gorzanno facient pacem et finem hominibus de Aste de omnibus maleficijs guastis et damnis datis et factis eis et eorum terre et hominibus ab Astensibus et eorum auxiliatoribus a principio istius guerre usque ad hunc diem, et eam debent iurare perpetuo tenere firmam. Si quis de terra dominorum de Gorzano in Aste vel in terra Astensi cum suo mobili stare venerit, non teneatur illud mobile facere reddere dominis, sed illud mobile et terre, quod et que in virtute dominorum remanserit, in eorum mercede remaneant. Item Ubertus de Ferrarjis et domini de prehoca, qui sunt homines dominorum de Gorzano debent stare in prehocha si voluerint sine aliqua forcia, quam ibi faciant, et facere laborare eorum terras si voluerint, Ita tamen si hoc facere voluerint quod debent iurare salvare et custodire et adiuvare et defendere homines de Aste et de virtute Astensi et eorum amicos et specialiter illos de Stella in personis et in avere omnimodis. Et si commune de Aste in aliquo tempore venerit ad concordiam cum Castellanis de facto Stelle, Id quod facient alijs castellanis de illo facto, facient dominis de Govono, et de preocha et dominis de Gorzano. Homines de Aste debent adiuvare et salvare et defendere dominos de Gorzano tanquam proprios cives, et eorum terram tanquam suorum civium. Item homines de Aste non accipient homines dominorum de Gorzano ad faciendum locum novum, neque stando in terra dominorum suorum. Item potestas de Aste debet reducere omne debitum uxurarium, quod homini de Gorzano debent in civitate ad mensuram trium denariorum pro libra, de capitali. Item homines de Aste debent dare dominis de Gorzano pro restitutione eorum damnorum libras ducentas Astenses usque ad octavam pasce sine tenore, quas dominus Maynfredus de Solario debet recipere, et eorum creditoribus, quibus ipsi domini voluerint persolvere eas. Item homines de Aste debent

absolvere et reddere dominis de Gorzano omnes eorum homines qui stant in eorum terra, quos tenent captos, et eorum manulevationes absolvere. Item Astenses facient pacem et finem dominis de Gorzano de omnibus maleficijs et guastis et damnis datis et factis eis et eorum hominihus et eorum terre a dominis de Gorzano et ab eorum auxiliatoribus et hominibus, a principio istius guerre usque ad hunc diem, et eam debent iurare perpetuo firmam tenere, hanc enim concordiam debent iurare domini de Gorzano perpetuo firmam tenere, et facere jurare eorum hominibus de eorum terra hanc concordiam perpetuo firmam tenere, similiter potestas de Aste jurabit hanc concordiam firmam tenere perpetuo, Et hoc idem faciet iurare credentiam de Aste, Et quod faciet iurare potestatem post eum intrantem hanc concordiam firmam tenere, ita quod teneatur facere illud idem iurare potestas vel consules post eum intrantem vel intrantes, Ita ut potestas vel consules de Aste omni anno sic iurent in introytu eorum regiminis in perpetuum, et potestas qui post hunc potestatem prius intrabit in Aste faciet poni in brevi sui sequiminis quod homines de Aste iurent hanc concordiam perpetuo firmam tenere. Tractata et ordinata fuit hec pax et concordia prout supra legitur et continetur tempore regiminis domini Rufinj Georgij potestatis Astensis, In anno domini Millesimo ducentesimo sexto, Indictione nona, Et secundum quod superius continetur, Jacobus Boviculus notarius pallatinus scripsit. Preterea eodem anno die lune III° kallendas februarij, In quodam Ierbo juxta Burburem in territorio et posse Celarum, presentia infrascriptorum, dominus Manfredus Qualea et dominus Ubertus de Gorzano filius quondam domini Rufinj de Gorzano et eorum parte Arnaldus de Gorzano, Jordanus Muxiglonus et Jacobus de Gualfenaria, juraverunt supra dei evangelia predictam pacem et concordiam sicut scripta est et ordinata antequam lecta et aperta esset attendere et observare bona fide et sine fraude in perpetuum. Insuper predicti domini de Gorzano, scilicet Maynfredus et Ubertus promiserunt prenominato Rufino Georgio potestati Astensi nomine communis de Aste stipulanti, et ipse dominus Rufinus pro communi de Aste promisit eidem Maynfredo et Uberto stipulantibus hanc pacem et concordiam firmam tenere et observare in perpetuum bona fide et sine fraude sicut ordinata et scripta erat. Interfuerunt isti magister Anselmus de Gorzano, Bonefacius de Montenatali, Guibertus de Sanctoiuliano, Jacobus de Villanova, Amedeus de Cumignano et plures alij, Et Jacobus Boviculus notarius cartam fecit. Eodem anno et mense die martis secundo kallendas februarij, In urbe Aste in domo communis, Isti de Aste quorum nomina subter leguntur iuraverunt Supra dei evangelia pacem et concordiam dominorum de Gorzanno, sicut scripta et ordinata erat attendere et observare bona fide et sine fraude in perpetuum, cuius pacis et concordie tenor superius legitur et continetur, petrus de Moneta, Homodeus Tursellus, Opizo falletus, Otto Morandus, Arnaldus de platea, petrus de Rupe, Guillelmus Rotarius, Ubertus de platea, Maynfredus Cavazonus, Berrardus Bertramus, Azo palius, Guillelmus Ratio, Rolandus Berardensis, Jacobus Mignanus, Bonus Anfusus de Alerdo, Ugerius Culorius, Guillelmus Amicus, Ubertus layolius, Obertus oculus bovinus, Robaldus Nasellus, Rodulfus Rotarius, Thomas notarius, Petrus Cicia, Anselmus de prato, Guillelmus laurencius, Jacobus de Sibona, Gualla Buchanigra, henricus Mazochus, Jacobus de donna Otta, Rufinus grognus, Guizardus Berardengus, Ulivus Malcapucius, Jacobus Cassanus,

Graffagnus Ottinus, Berrardus Bigotus, Jacobus de Sanctoiohanne, henriacius de Teglolis, Jacobus Malabrancha, Bonusiohannes de platea, Jacobus layolius, Bayamondus Careocius, Manfredus Cassanus, Allerinus, henricus Aytropus, Berrardus Benedictus, Guillelmus Veroblius, Bonefacius Crivellus, Jacobus poreta, Cunradus Calcaneus, Robaldus Faxolius, Ubertus Falletus, Opizo Albricus, Rollandus Ginionius, Guillelmus Circhavadus, Jacobus de Mandra, Jacobus Bergogninus, Berrardus Berrardengus, Petrus laurencius, Bayamundus Berrardengus, Aycardus de Insula, petrus palius, Jacobus Olrichus, Obertus de Aste, Albertus Crivellus, Otto Galea, Bonusiohannes Villanus, Bonusiohannes Careocius, Bergognus Falletus, Rollandus Nataboza, Rodulfus durnasius, Trosellus et henricus Soldanus, Quibus sacramentis prestitis predicta pax et concordia aperta et lecta fuit, Et ex ea dominus Rufinus Georgius potestas Astensis et predicti domini de Gorzano Maynfredus et Ubertus plures cartas fieri preceperunt, Et Jacobus Boviculus notarius cartam fecit. Item postea in eodem die et loco, predicti domini de Gorzano Maynfredus et Ubertus ad interogationem Rufini Georgij potestatis Astensis dixerunt quod illud capitulum quod in supradicta concordia continetur, dum guerra durabit, sic intelligitur scilicet quod ista guerra Albensium et Astisij finita, ipsi debent eos guerriare cum hominibus de Aste sicut alios inimicos Astenses, Et quod istud capitulum in quo continetur, salvis eorum dominis sic intelligebant, videlicet quod ipsi non debent ex precepto suorum dominorum Astensibus guerram facere nec salire supra eorum terram.

Et Jacobus Boviculus notarius inde cartam fecit.

934. *De alia conventione facta inter dictos de Gorzanno et comune Ast, In qua inter cetera dederunt dicto comuni pacem et guerram exercitum et cavalcatam succursum et reductum de Gorzanno, Castronovo, Canali, lavezolis, prehalormo et Valfenaria contra omnes homines, salvis suis dominis.* 1223. 3 Decembris.

Anno domini Millesimoducentesimovigesimotercio Indictione undecima die dominico tercio intrantis decembris, dominus Maynfredus Quatula, Ubertus et Rufinus de Gorzanno cives Astenses volentes augere quantitatem fodri, scilicet librarum XL. Et volentes habitare civitatem Astensem cum domino Girardo Manaria potestate Astensi taliter convenerunt et secundum formam infrascriptam adinvicem stipulati sunt, predicti vero Maynfredus Qualia, Ubertus et Rufinus fratres et sui descendentes promiserunt esse cives Astenses et habitare in Aste cum tota familia tanquam cives Astenses, et hoc in perpetuum, tali modo et forma quod nec ipsi nec sui descendentes possint repudiare citaynaticum vel habitaculum civitatis Astensis, et venient ad habitandum in Aste usque ad kallendas Madij vel ante si placuerit potestati et Sapientibus de Aste. Insuper promiserunt dare in domibus et in terris in Aste et eius territorio libras Quingintas, tali modo quod ipsas non possint vendere nec aliquo modo alienare vel pignori obligare nisi primitus emisset totidem possessiones in Aste et eius territorio et eiusdem valentie, et que eodem modo teneantur communi in fodro et in alijs, Et predicta emere promiserunt a die natalis domini proxime venientis usque ad annum. Preterea promiserunt dare fodrum de predictis possessionibus ad rationem librarum quingintarum sicut alij cives Astenses facient de suis possessionibus immobilibus scilicet de domibus et terris, Et si aliquid acquisierint in Aste vel in posse

Astensi promiserunt dare fodrum de illo secundum quod alij cives dabunt, pro reliqua vero eorum terra promiserunt dare fodrum de libris Mille sicut alij cives facient. Insuper dederunt in eorum terra et hominibus scilicet in Gorzano et castronovo in Canali et lavezolis in praharolmo pacem guerram exercitum itinera et succursum et cavalcatas et reductum, communi de Aste contra omnes homines, Et hoc salvis eorum dominis in suis feudis, tali modo, quod eorum domini non possint eis precipere quin predicta attendant communi de Aste, et quin predicta commune de Aste habeat in predicta terra, Et si preciperetur propterea non minus attendant predicta. In Valfenaria vero confirmaverunt pacem et guerram comuni de Aste exercitus et cavalcatas prout ea habebat commune de Aste ante quam dicti domini de Gorzano eam in feudum acciperent a Marchione de Salucijs. Et iterum communi de Aste dederunt pacem et guerram exercitus et cavalcatas itinera et succursum in loco Valfenarie contra omnes homines. De omnibus contractibus et maleficijs que vel quos decetero fecerint promiserunt facere rationem coram iudice vel potestate Astensi, sed de omnibus contractibus hactenus celebratis cum hominibus habitantibus in Aste aut in posse Astensi et non cum alijs, similiter promiserunt facere rationem coram iudice vel potestate Astensi. Verum si de aliqua terra quam modo habeant, que sit feudum appellarentur ab aliqua persona non possint compelli parere juri in Aste, sed tantummodo coram alijs dominis suis. Item promiserunt predicti domini facere rationem ipsi et non alius de suis hominibus, hominibus de Aste et eius posse ad illum terminum, ad quem fit ratio in civitate Aste per iudicem civitatis de Aste, et pro illa iudicatura que prestabitur in civitate Astensi. Item promiserunt servire communi Astensi tempore guerre cum sex dextrarijs, habendo equam, et emendam sicut alij cives Astenses. Preterea fecerunt pacem et finem omnibus hominibus de Govono, de Maglano et de prehoca de omnibus tractamentis factis temporibus istis et offensis et inquisitionibus, et quod non reddent eis ullo tempore malum guierdonum. Item ordinatum est quod commune Astense non teneatur dominis supradictis suprascriptam formam de eo quod acquirent a modo. Item ordinatum est quod ipsi domini non facient coniurationem aliquam vel conspirationem cum aliqua singulari persona vel universitate sine parabola communis Astensis. Et pro omnibus predictis attendendis complendis et observandis predicti Maynfredus, Ubertus et Rufinus obligaverunt pignori omnia bona que habent vel habebunt in Aste vel alibi. In quibus commune habeat regressum et possit intrare possessionem sua auctoritate ad suam voluntatem sine omni contradictione eorum et suorum heredum, si predicta omnia non attendent in totum. Insuper si predicti Maynfredus, Ubertus et Rufinus predictas libras quingintas non darent in possessionibus et domo usque ad terminum supradictum, Rollandus Cazo pro libris centum, Berrardus de Solario pro libris centum, Guillelmus Careocius pro libris centum, petrus laurencius pro libris quinqueginta, Thomas de Solario pro libris quinqueginta, Mascharus de Solario pro libris centum quilibet pro rata predictam quantitatem usque ad supradictum terminum in terris et domibus dare promiserunt. Inde omnia bona eorum dicto potestati nomine comunis pignori obligaverunt. Et qualiter supra legitur predicti Maynfredus Ubertus et Rufinus attendere et observare et stallum et habitaculum facere in Aste ad sancta dei evangelia iuraverunt. Insuper dominus

Girardus Manaria potestas Astensis nomine et vice communis Astensis et pro communi voluntate et consensu maioris partis credendariorum suorum per campanam congregatorum et secunde credentie et societatum rectorum et ore ad os interogatorum et scriptorum promisit predictis Maynfredo quatule, Uberto et Rufino quod comune de Aste nullam aliam exactionem preter predictam faciet ab ipsis dominis de Gorzano vel ab eorum heredibus et promisit eos salvare defendere et custodire tanquam alios cives de Aste habitantes in Aste, et dare eis forciam et virtutem et consilium et adiuctorium ad hoc ut suos homines teneant et suam terram cum omni honore et poderio prout modo tenent, salvis omnibus condictionibus concessis a predictis dominis de Gorzanno in eorum terra et eorum hominibus communi Astensi sicuti dictum est supra, tali forma quod comune de Aste non debet recipere nec possit aliquem hominem de eorum terra ad habitandum nec pro habitatore nec pro cive in aliquo loco vel stando supra eorum terra. Verum si aliquis ex eorum hominibus vellet venire ad habitandum in Aste, possit comune de Aste eum accipere, ita quod ille homo relinquat terram dominis supradictis de Gorzanno, et mobile quod esset ei saxitum. Item si aliquis homo vel terra seu locus extra posse de Aste eos offenderet, quod commune non posset eis facere fieri emendam, tunc possint se vendicare de eorum terra, sine licencia potestatis et sine comotio et pena, Hec omnia dictus potestas nomine comunis Astensis et precepto suorum credendariorum ad sancta dei evangelia attendere iuravit, Et promisit quod ponet vel poni faciet in brevi potestatis vel consilij, capitulum, quo teneatur potestas vel consules de Aste predicta observare, Et potestas vel consules teneantur ponere vel poni facere in brevi sui sequiminis, et suorum credendariorum capitulum tale quo teneantur omnes homines de Aste dare forciam et virtutem bona fide et sine fraude, quod omnia predicta dominis de Gorzanno observentur et attendantur in perpetuum, Et sic de anno in anno fiat appositio in brevibus ut dictum est, nec cassari possit dictum capitulum, nec in brevi potestatis aliquid possit apponi quod predicta infirmet, et si ibi esset appositum aliquo casu, nullius esset valoris. Actum Aste in canonica communis in publico consilio de campana. Interfuerunt testes dominus Marchisius Truxius Cremonensis, Obertus sinistrarius et Maynfredus Bertramus Clavarij comunis Astensis, Rollandus Cazo, Rufinus de Rippa, Jacobus Ginorius et alij quamplures, et inde duo et etiam plura instrumenta fieri preceperunt.

Et Filippus durcus notarius inde cartam fecit.

935. *De procuratorio facto per suprascriptos et alios de Gorzanno in personam domini Manuelis Gutuarij ad tractandum pacem et concordiam ipsorum de Gorzanno cum comuni Ast.* 1275. 5 Septembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto Indictione Tercia die iovis quinto mensis Septembris in presentia testium infrascriptorum, dominus Robertus, dominus Rodulfus, dominus Guillelmus, herro, Ubertus et Qualia eius nepotes filij domini Bonefacij de Gorzanno quondam, dominus Qualia filius domini Rufini de Gorzanno quondam paganus frater eius, Obertinus eorum nepos filius domini Jacobi de Gorzanno quondam et Rofinus filius domini Rodulfi de Gorzanno omnes de Gorzanno domini fecerunt constituerunt et ordinaverunt dominum Manuelem Gutuerium licet absentem eorum et cuiuslibet ipsorum certum nuncium actorem et procuratorem

ad tractandam et ordinandam pacem et concordiam inter comune et homines Ast sive cum alio pro dicto communi et hominibus eorum nomine et pro ipsis generaliter et specialiter in quem vel quos ipse procurator voluerit, dantes eidem procuratori eorum plenum mandatum bayliam et generale arbitrium tractandi et ordinandi pacem inter predictos et compromittendi promittendi penam et stipulandi et faciendi circa hec et quodlibet predictorum omnia et singula que fuerint facienda, et que ipsimet facere possent si presentes adessent promittentes michi notario infrascripto recipienti et stipulanti nomine et vice dicti domini Manuelis Gutuerij et cuiuslibet cuius interesset vel interesse posset, sese ratum et firmum habere et tenere quicquid per ipsum procuratorem factum fuerit et procuratum, et nullo tempore contravenire de jure vel de facto, sub obligatione pignoris omnium bonorum suorum et cuiuslibet ipsorum, que michi notario stipulanti dicto nomine pignori obligaverunt. Volentes autem dictum procuratorem suum ab omni onere satisdationis conservare indemnem promiserunt michi notario stipulanti et recipienti nomine supradicto attendere et observare quicquid arbitractum sententiatum et pronunciatum fuerit per illum sive illos in quem vel quos factum fuerit compromissum sub pena que per ipsum procuratorem et eius voluntate in compromisso apponetur, et obligaverunt pro inde pignori michi notario recipienti predicto nomine omnia bona sua et cuiuslibet ipsorum habita et habenda, Renunciando epistole divi Adriani nove constitutioni et omni alij juri et exceptioni quibus venire possent contra predicta vel aliquid predictorum. Actum in castro Gorzanni in caminata Obertini de Gorzanno predicti, ad hec fuerunt rogati testes, dominus Jacobus de Marcellengo, Rofinus de Monte et Germanus Bovarina ambo de Gorzanno.

Et ego Anselmus de Castellario notarius pallatinus hjs interfui et hanc cartam inde rogatus scripsi.

936. *De compromisso facto per dictum dominum Manuelem procuratorio nomine predictorum de Gorzanno ex una parte et comune Ast ex altera in dominum Obertum Spinolam capitaneum populi Astensis.* 1275. 28 Septembris.

Anno domini Millesimoducentesimoseptuagesimoquinto Indictione Tercia die sabbati vigesimo octavo Septembris In Ast, dominus Manuel Gutuerius procurator domini Roberti, domini Rodulfi, domini Guillelmi, hero, domini Uberti et Qualie eius nepotum filiorum domini Bonefacij de Gorzanno quondam domini Qualie filij domini Rofinj de Gorzano quondam pagani fratris eius et obertini eorum nepotis filij domini Jacobi de Gorzano quondam et Rufinj filij domini Rodulfi de Gorzano omnium dominorum de Gorzano ut patet de procuratione per instrumentum Scriptum manu Anselmi de Castellario notarij MCCLXXV, Indictione tercia die iovis quinto mensis Septembris nomine ipsorum ex una parte, et Manuel Augustus sindicus comunis Astensis, ut de sindicatu patet per instrumentum scriptum sive abreviatum a Jacobo de Busto notario MCCLXXV, Indictione tercia die iovis XXVI° septembris ex altera, compromiserunt se se ad invicem in dominum Obertum Spinolam Capitaneum Astensis populi et communis presentem et suscipientem tanquam in eorum arbitrum arbitratorem et amicabilem compositorem de omnibus litibus questionibus et controversijs, ranguris guerris et discordijs penis, bannis et condemnationibus ac offensionibus factis

vel ortis, seu habitis, hinc retro inter ipsas partes usque in hodiernam diem, tali modo, quod ipse dominus Obertus Spinola predictus possit dicere sentenciare difinire statuere et ordinare, super predictis et circha predicta inter ipsas partes prout sibi visum fuerit et placuerit ad eius liberam voluntatem quandocunque voluerit semel vel pluries stando vel sedendo, die feriata vel non feriata partibus citatis vel non citatis presentibus vel absentibus, et una parte absente, et altera presente, servato vel non servato juris ordine, Ita quod possit predicta facere statuere et ordinare, et omnes et singulos de dictis partibus et singulis earum prout ei visum fuerit, Promitttentes ad invicem predicti procuratores et sindicus predicto nomine attendere et observare et complere, et attendi et compleri et observari facere et curare a predictis partibus et singulis earum quicquid dictum statutum sentenciatum et ordinatum seu amicabiliter compositum inter partes fuerit sub pena marcharum Mille argenti, que pena totiens committatur et possit exigi cum effectu, quotiens factum fuerit in aliquo contra ea, que dixerit statuerit vel ordinaverit arbiter supradictus, et quotiens ea que dixerit non fuerint observata, quam penam pars non observans parti observanti dare et solvere teneatur et dare et solvere promisit, Et qua pena soluta nichilominus dicta sentenciata et ordinata in sua remaneant firmitate. Insuper dictus dominus Manuel Gutuerius nomine predictorum quorum procurator est promisit dicto Manueli Augusto predicto nomine stipulanti se facturum et curaturum, et ipsos quorum procurator est facturos et curaturos quod Obertinus filius Jacobi de Gorzanno quondam et frater et ceteri de hospitio seu parentela illorum de Gorzanno qui non sunt superius nominati habebunt et tenebunt ratum et firmum, et ratificabunt et approbabunt et iuramento firmabunt quandocumque ad etatem adultam pervenerint vel essent infra mensem postquam inde fuerint requisiti, totum illud quod dictum sentenciatum statutum vel ordinatum fuerit per dominum Obertum Spinolam arbitrum supradictum sub pena predicta, que omnia et singula dictus dominus Manuel Gutuerius nomine eorum quorum procurator est ex una parte, et dictus sindicus nomine et vice dicti communis ex altera adinvicem stipulantes attendere observare complere, et attendi observari et compleri facere promisserunt ad invicem, Renunciando condictioni sine causa et ex iniusta causa, et exceptioni doli et in factum et omni alij exceptioni et juri, quibus dicte partes vel aliqua earum possent venire contra predicta vel aliquod predictorum sub pena predicta et bonorum dictarum partium obligacione, que pro inde dicti procurator et sindicus sibi predicto nomine ad invicem pignori obligaverunt. Hoc acto inter predictas partes predicto nomine quod presens compromissum duret usque ad quindecim dies et non plus nisi voluntate partium fuerit prorogatum. Et inde precepta sunt fieri plura instrumenta eiusdem tenoris. Actum in domo prevengorum qua moratur dominus Obertus Spinola supradictus. Interfuerunt testes dominus Obertus de platea, dominus drochus pallidus, dominus Guillelmus Brunus, dominus Tholomeus Asinarius, dominus Nicholaus de Carfallis, Judices, Jacobus Morandus et Rollandus de Cumignano notarius.

Ego Farevellus de Novis notarius precepto et rogatu predictorum scripsi.

937. *De sentencia lata per dictum dominum Obertum capitaneum et arbitrum antedictum inter dictas partes.* 1275. 12 Octobris.

In nomine domini amen, dominus Obertus Spinola Capitaneus Astensis populi et communis, arbiter arbitrator et amicabilis compositor ellectus inter dominum Manuelem Gutuerium procuratorem domini Roberti, domini Rodulfi, domini Guillelmi, herro, Uberti et Qualie eius nepotum filiorum domini Bonefacij de Gorzanno quondam pagani fratris eius et obertinj eorum nepotis filij domini Jacobi de Gorzanno quondam, et Roffinj filij domini Rodulfi de Gorzanno omnium dominorum de Gorzanno ut patet de procuratione per instrumentum scriptum manu Anselmi de Castellario notarij MCCLXXV, Indictione tercia die iovis quinto mensis Septembris, ex una parte, et Manuelem Augustum sindicum communis Ast ut de sindicatu patet per instrumentum scriptum sive abreviatum a Jacobo de Busto notario MCCLXXV, Indictione tercia die iovis XXVI° Septembris ex altera, ut constat instrumento compromissi scripto per me Faravellum notarium infrascriptum MCCLXXV. Indictione tercia, die XXVIII° mensis Septembris, dicit sententiat et pronunciat et amicabiliter arbitratus est inter dictas partes, quod locus seu villa vel castrum fiat ad Sanctum damianum vel ibi in contrata ipsa ubi videbitur dicto domino Oberto Spinole, arbitro supradicto super territorio et jurisdictione castrinovi sive Gorzanni vel ibi ubi melius videbitur fieri posse et stare, et quod fines dicti loci ville sive castri sint et esse debeant et protendantur et protendi debeant usque ad rivum maiorem et usque per totum plebatum laveti, Et quod omnes homines de Gorzanno et de Castronovo et plebatu laveti qui habent res aliquas vel possessiones seu soliti sunt habere infra dictos fines teneantur et debeant venire et stare et habitaculum facere in dicta villa loco seu castro cum eorum familijs infra dies decem postquam incepta fuerit fieri dicta villa locus sive castrum, ita quod nullo tempore redire debeant vel possint in terra illorum de Gorzanno. Item quod universi et singuli homines qui habitant seu habitare consueti sunt in Carzelianis et in Brina vel ibi aliquo tempore steterunt, qui erant et sunt communis Astensis debeant et teneantur venire et stare in villa Canalium cum eorum familijs infra dictum terminum dierum decem, Et quod omnes possessiones predictorum et poderij carzelianarum et Brine sint et esse debeant de jurisdictione et posse civitatis Astensis. Item quod omnes et singuli homines de Barachis qui habitant in castronovo vel Gorzano vel alibi venire et stare debeant cum familijs eorum in dicto loco villa seu castro infra dictum terminum dierum decem. Item quod predicti domini de Gorzanno vel alius qui staret vel habitaret in terra ipsorum de Gorzanno non habeat nec acquirat nec habere nec acquirere possit vel debeat iura vel proprietates aliquas in dicta villa loco seu castro nec infra confines ipsius terras vel possessiones aliquas vel aliquid aliud quod dici vel excogitari possit. Item quod predicti domini de Gorzanno habeant et habere debeant et recipere a communi civitatis Astensis de suis hominibus videlicet de Gorzanno Castronovo qui iurabunt et stabunt et habitabunt infra dictum terminum decem dierum in dicta villa loco seu castro et qui habent terras et possessiones infra dictos confines solidos Centum Astenses pro quolibet foco pro remuneratione dictorum hominum semel tantum, Excepto quod nichil habeant pro

hominibus Barachorum. Item quod terra et locus Tuerdj et totum posse ipsius contitum et segnoritum et jurisdictio sint et esse debeant et remaneant et remanere debeant perpetuo communis Astensis, et homines omnes existentes et qui esse consueverant in ipso loco, eo salvo quod in domos domini Roberti de Gorzanno que habet vel habebat in Tuerdo provideatur per comune Ast in arbitrio duorum bonorum hominum eligendorum per dominum Obertum Spinolam arbitrum supradictum. Item quod dicti domini de Gorzanno teneantur et debeant restituere barachis omnes terras et possessiones suas quas tenebant et possidebant tempore quò expulsi fuerunt de Castronovo. Item quod predicti domini de Gorzanno teneantur et debeant restituere et emendare omnia et singula damna data et facta Barachis in dicto loco Castrinovi et in territorio dicti castri in arbitrio et extimatione duorum hominum qui ad hoc electi fuerint per arbitrum supradictum. Item quod omnes terre et possessiones et bona mobilia et immobilia quas aliqui ibi haberent homines qui venient stabunt et habitabunt in dicta villa loco sive castro sint eorum et debeant esse francha et libera et non debeant ab aliquo ullo tempore molestari vel impediri. Item quod omnes homines de lavezolis illorum de Gorzanno sint et esse debeant communis civitatis Astensis, et intrare in dicta villa loco sive castro ad voluntatem potestatis Capitanei et communis Ast cum eorum familijs. Item quod paganus de Gorzanno habeat et habere debeat, et sibi remaneant sua donea que habet in lavezolis si reperiretur ipsum non fuisse in offensione contra commune et homines civitatis Astensis, habendo precium conveniens de ipsis a communi Ast. Ita quod non habeat aliquid facere infra confines dicte ville. Item quod domus et sedimina dominorum de Gorzanno vendita et alienata per comune Ast sint et remaneant et esse debeant illorum, qui ipsas emerunt, ita quod ipsi domini de Gorzanno perpetuo nichil inde habeant a communi Ast vel ab aliqua alia persona pro comuni Ast. Item dixit et voluit quod pax et concordia sit et esse debeat inter commune et homines civitatis Astensis et de jurisdictione et posse Astensi ex una parte, et dominos de Gorzanno pro se et suis hominibus ex altera, et quod omnes offensiones ab utraque parte cessent in personis et rebus. Item quod predicti domini de Gorzanno sint et esse debeant liberi et absoluti ab omnibus bannis et condemnationibus factis per potestatem seu per comune civitatis Astensis contra predictos dominos de Gorzanno, et quod extrahantur de ipsis bannis et condemnationibus, et quod omnia banna et condemnationes ipsorum canzellentur et canzellari debeant sine aliquo damno et aliquibus expensis. Item quod predicti domini de Gorzanno cum omnibus et singulis suis hominibus et de tota terra sua teneantur et debeant guerriare et guerram facere ex nunc inimicis civitatis Astensis et non tenere nec recipere inimicos comunis Ast aliquo modo vel ingenio nec mercatum nec conversationem aliquam facere cum inimicis dicti communis. Item quod predicti domini de Gorzano per se vel per alium non debeant offendere vel molestare in personis aliquem ex illis qui venient et stabunt in dicta villa loco sive castro. Item quod omnes presonerij illorum de Gorzanno relaxentur et relaxari debeant a carceribus sine aliqua redemptione si predicti domini observaverint predictam sentenciam, et quod comune et homines Ast teneantur et debeant pro redemptione ipsorum hominum solvere emendas equorum mortuorum quando ipsi homines capti fuerunt. Item quod predicti domini de Gorzanno per se et homines suos predicta

omnia et singula teneantur et debeant observare et observari facere dies decem proximos venturos, Et eodem modo teneantur comune Ast observare et observari facere. Item quod si predicti domini de Gorzanno predicta omnia et singula et quodlibet predictorum non observarent et observari facerent ipsi et quilibet eorum ex nunc sint et esse debeant in eo statu quo nunc sunt et erant tam in bannis quam condemnationibus et etiam in bonis et rebus et possessionibus eorum ita quod non prodesset eis in aliquo nec alicui eorum in predictis nec circa predicta, sed semper sint et remaneant in eo statu, quo nunc sunt et erant in omnibus et per omnia. Et predicta omnia et singula predictus dominus Capitaneus dicit sentenciat et pronunciat et amicabiliter componit et arbitratus est pro bono et pacifico statu civitatis Astensis et predictorum de Gorzanno, et iussit et voluit perpetuo firma et illibata manere et observari debere sub pena compromissi, Salvo quod ob hanc pronunciationem non fiat aliquod preiudicium communi Ast nec aliquid minuatur nec detrahatur de pactis et conventionibus hinc retro factis et habitis inter ipsum commune et ipsos dominos de Gorzanno prout in instrumentis factis et celebratis plenius continetur. Et si aliquod dubium est in dicta sentencia quod reducatur ad arbitrium et remedium arbitri supradicti, Et inde plura instrumenta unius tenoris precepta sunt. Lata et pronunciata est in domo prevengorum ubi moratur arbiter supradictus Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, Indictione tercia, die sabbati duodecimo mensis octubris, presente Manuele Augusto sindico predicto et absente Manuele Gutuerio dicente quod nolebat audire ipsam sentenciam nec ipsi interesse, ipsis citatis per Fazonum nuncium. Interfuerunt testes dominus Nicholaus de Garfallis Judex, Arnaldus de Canali, Guillelmotus de Cravexanna, Fazonus nuncius, Faciolius de pezolo, Filippus paniaza et Johannes Todischus.

Ego Faravellus de novis notarius precepto dicti arbitri sic scripsi.

938. *De Investitura notarie facta per dominum Obertum de Sparoaria Comitem palatinum Faravello Vocicangne de Novis.* 1270. 19 Februarij [1].

Anno nativitatis domini Millesimoducentesimoseptuagesimo Indictione Terciadecima diemercurij decimonono mensis februarij, In Burgofrancho, In presentia domini Ottonis de Sparoaria Comitis pallatini de lomello Faravellus filius Sigembaldi Vocicangne de Novis [2] iuravit fidelitatem Excellenti domino Imperatori qui pro temporibus fuerit Regi dei gratia Jerusalem et Sicilie, et ipsi Comiti alijsque Comitibus de lomello prout mox est Vasalorum suis dominis iurare, Et quod deinceps non fecerit cartam seu membratam [3] falsam vel singulam neque in cartulis abrasis, sive bombicis, nec quod in ea plus minusve contineatur quam contrahentes fuerint in concordia, dicta testium recte scribet, que et dicta sentenciarum secreta tenebit, eademque alicui non pandet quousque fuerint propalanda, et universa ea que arti et officio notarie pertineant, et recte et legaliter se exercebit. Et ita prefatus dominus Comes Otto dictum Faravellum arte notarie auctoritate qua fungebatur et privillegio liberaliter investivit. Ad huius rei evidentiam et cautelam presens instrumentum fieri iussit et sui sigilli

[1] Documentum hoc ex ipso nostro Codice transcriptum edidit J. Ficker *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 467. N. 461. — [2] *Nonis.* — [3] *membranam.*

pendentis cerei robore communiri. Insuper quod cartulas et bona ecclesiastica et cuiuslibet loci religiosi viduarum et orphanorum bona fide manutenebit ac defendet ubique totis viribus et posse. Qui vero prenominatus Comes dixit et precepit isti Faravello sub vinculo iuramenti quatenus non debeat cartulam facere nisi prius habuerit a suo magistro artis faciendi. Et addidit in suo sacramento, quod non erit in parte ubi amittat vitam vel membrum neque concedet quod eorum honor diminuatur, Et si in parte fuerit ubi eorum honor voluerit diminui, fide bona si poterit prohibebit, Si vero prohibere nequiverit quam citius poterit hoc eis denunciabit per se vel per suum certum missum vel per suas certas literas, credentiam eis tenebit modis omnibus, et erit eis verax et fidelis, ut bonus vasallus esse debet suo domino. Interfuerunt Otto ysembardus et petrus Gualerius testes.

Et ego. .....

939. *De sentencia lata per dominum Johannem de lucino potestatem Astensem, ut arbitrum et amicabilem compositorem inter partes infrascriptas videlicet inter comune Ast ex una parte et dictos de Gorzanno ex altera, In qua arbitratus fuit et dixit quod domini predicti de Gorzanno vendant comuni Ast castrum Gorzanj.* 1278. 3 Septembris.

Anno domini Millesimoducentesimoseptuagesimooctavo Indictione sexta die sabbati tercio mensis Septembris, presentia testium infrascriptorum, dominus Johannes de lucino potestas Astensis non tanquam potestas, sed tanquam privatus arbiter et arbitrator seu amicabilis compositor ellectus a Jacobo Malbecho ad hoc sindico electo et constituto per generale consilium civitatis Astensis, ut patet per instrumentum inde factum per Petrum Morandum notarium hoc eodem anno et Indictione die ..... nomine et vice comunis Astensis ex una parte, et Gualleta de Gorzanno filio domini Rofinj de Gorzanno quondam et obertino filio quondam Jacobi de Gorzanno fratris dicti Guallete et Rofino de Gorzanno filio quondam domini Rodulfi eorum nomine et nomine fratrum et nepotum suorum ex filijs predictorum dominorum Rofinj et Rodulfi ex altera, ut patet per instrumentum compromissi factum a me infrascripto notario hoc eodem anno et Indictione die ..... Item et a dicto sindico predicto nomine ex una parte, et a Falchone Cayz nomine filiorum quondam Manuelis de Gorzanno fratris predicti domini Rodulfi quondam ex altera, ut patet etiam per instrumentum compromissi inde factum a me notario infrascripto hoc eodem anno et Indictione die ..... volens inter partes predictas eorum nominibus et predictis pro bono pacis et concordie atque ipsarum partium utilitate pensata, arbitrari pronunciare difinire atque sentenciare, Amicabiliter componendo dixit arbitratus fuit sentenciavit atque pronunciavit omni iure et modo quo melius potuit inter partes predictas prout inferius continetur. In primis dixit pronunciavit et arbitratus fuit quod predicti Gualleta et obertinus eius nepos et frater predicti obertinj pro duabus partibus et predicti Rufinus et Odonus eius frater et filij et heredes quondam Uberti de Gorzanno fratris ipsius Rufinj et filij et heredes dicti Manuelis quondam pro tercia parte vendant castrum Gorzanni et quicquid et totum illud quod est castrum et castrum appellari debebat infra situm et ambitum Castri, seu eius quod castrum appellari debet cum omnibus hedificijs et quibuscumque superficiebus et quibuscumque

alijs in ipso castro sitis et positis, et contitum signoritum merum et mixtum imperium aquaticum pasquaticum, venationes piscationes atque iurisdictionem omnimodam eisdem de Gorzanno vel alicui eorum quomodolibet pertinentibus in dicto castro, curte finibus, posse et territorio eiusdem, et omnino omne jus omnemque iurisdictionem et omne dominium quod et que spectaret et pertineret predictis dominis de Gorzanno vel alicui eorum in hominibus de Gorzanno seu quondam de Gorzanno feudatis et non feudatis et cuiuscumque condictionis existant in rebus et bonis eorumdem hominum vel alicuius eorum ita quod de predictis predicti de Gorzanno venditionem faciant et cartam seu cartas venditionis comuni Astensi seu predicto Jacobo Malbecho ad hoc etiam constituto sindico comunis Astensis nomine et vice ipsius comunis secundum quod dictaverit iuris peritus videlicet dominus Guillelmus Gardinus Judex ad hoc ut melius valeat et efficacius teneat venditio Supradicta, Tali modo quod predictum castrum et predicta vendenda prout superius continetur vel aliquod predictorum predicti de Gorzanno vel aliquis eorum comuni Astensi vel alij pro ipso comuni defendere vel auctorizare non teneantur, ab Astensi ecclesia seu ab Astensi Episcopo vel ab aliquo seu aliquibus domino vel dominis ecclesiastico vel seculari a quo vel a quibus predicta in feudum tenerentur, in totum vel in parte vel qui in predictis castro et alijs jus aliquod haberent ratione alicuius feudj vel dominij seu segnoriti, Et in predictis casibus in predicta venditione se non obligent nec se obligare debeant vel teneantur pro evictione predictorum castri et aliorum vendendorum prout superius continetur. In alijs autem casibus de evictione se obligare teneantur et debeant prout iuris est et dictaverit iuris peritus videlicet dictus dominus Guillelmus Gardinus Judex in venditione seu venditionibus prout superius continetur. Et dixit et pronunciavit atque arbitratus fuit amicabiliter componendo quod predicti Galleta et obertinus faciant et curent quod predictus frater dicti obertinj qui vocatur Rufinetus venditionem faciat et venditionis cartam comuni Astensi seu sindico predicto nomine ipsius comunis de parte sibi contingente in predictis et quolibet predictorum secundum quod superius continetur, Et secundum quod dictaverit dictus iuris peritus ad hoc ut ipsa venditio melius et efficacius valeat et teneat pro comuni predicto, Et etiam predictus Rufinus curet et faciat cum effectu quod predicti Oddo eius frater et nepotes filij et heredes predicti Uberti eodem modo vendant et cartam venditionis et venditionum faciant predicto comuni seu sindico supradicto nomine ipsius comunis de parte eosdem contingente in integrum de predictis vendendis ut supra prout etiam melius dictaverit dictus iurisperitus ad hoc ut efficacius valeat et teneat ipsa venditio, Et etiam quod dictus Fulco curet et faciat cum effectu quod filij et heredes predicti Manuelis quondam vendant et venditionis cartam faciant supradicto comuni seu sindico predicto nomine de parte totaliter et in integrum eis pertinente et competente in predictis et quolibet predictorum ut supra vendendis prout dictus iuris peritus dictaverit ad hoc ut eorum venditio firmior et magis valida sit pro comuni predicto. Et predictam venditionem supradicti omnes et singuli faciant et curent cum effectu quod ab alijs fiat prout superius continetur infra quindecim dies proxime venturos, Et curent et faciant quod uxores eorum et matres eorum et cuiuslibet eorum renuncient et renunciare debeant in manibus predicti comunis seu sindici predicti nomine ipsius communis omni iuri eis competenti vel alicui eorum in

predictis rebus et iuribus vendendis prout superius continetur, Et etiam in rebus bonis et iuribus de quibus absolutionem et remissionem et pactum de non petendo facere tenentur et debent supradicti omnes et singuli secundum quod inferius continetur. Et predictas renunciationes faciant et renunciationum cartas prout etiam melius dictaverit dictus iuris peritus ad hoc ut efficacius valeant et teneant renunciationes predicte, et hoc faciant infra quindecim dies post venditionem predictam factam secundum quod superius continetur, Ita tamen quod propter predicta eisdem non fiat preiudicium in proprietate vel possessione terrarum et possessionum suarum, quas habent in dicto posse, que eis remanent seu remanebunt et remanere debebunt. Item dixit amicabiliter componendo et arbitratus fuit quod predictus sindicus nomine et vice communis Astensis et ipsum comune Astense det et solvat predictis dominis de Gorzano pro partibus supradictis videlicet Guallete et Ubertino eorum nomine et nomine supradicti Obertinj pro duabus partibus, et Rufino et Oddoni et filijs et heredibus predicti Oberti quondam, et heredibus predicti Manuelis superius memoratis pro tercia parte pro precio et nomine precij venditionis seu venditionum predictarum seu predictarum rerum et iurium vendendorum et vendendarum ut supra, librarum Triamilliacentumvigintiquinque Astensium bone monete in pecunia numerata usque ad festum nativitatis domini proxime venturum, de quibus denarijs Obertinus et frater habeant libras octuaginta precipuas et ante partem, et predicti obertinus et frater et Gualleta libras Triginta quinque precipuas et ante partem. Item dixit et pronunciavit amicabiliter componendo et arbitratus fuit quod predicti Gualleta et Ubertinus et frater ipsius obertinj faciant predicto comuni seu sindico predicto nomine ipsius comunis pacem finem remissionem et absolutionem omnimodam et pactum de non petendo de omnibus terris pratis vineis nemoribus et omnibus alijs possessionibus eorundem cultis et incultis rupibus et ruynis, quas et que ipsi vel aliquis seu aliqui eorum habent vel habere visi sunt seu hactenus habuerunt ultra Rivummaiorem versus villam seu burgum Sanctidamiani vel alicuius ville vel castri unde sive de qua vel quibus factus sit dictus burgus, et homines venerint ad habitandum in ipso burgo ubicumque sint sive in posse et territorio dicti burgi seu ville, seu in posse Canalium sive Cisterne vel de Caraglaneijs. Item quas et que habent vel habere visi sunt seu habere consueverunt ubicumque sint et quecumque seu qualiacumque sint in toto plebatu de lavegijs tam ultra predictum Rivum quam citra ipsum Rivum, Et generaliter ubicunque sint in dicto plebatu et territorijs et finibus ipsius plebatus quantumcumque protendatur et duret ipse plebatus. Item dixit et pronunciavit et arbitratus fuit amicabiliter componendo quod predictus Rufinus et frater et nepotes eius predicti et filij et heredes Manuelis de Gorzanno quondam eodem modo faciant pacem, finem, quitationem remissionem et absolutionem omnimodam et pactum de non petendo predicto comuni seu iandicto sindico eius nomine de omnibus terris pratis, vineis, nemoribus et omnibus alijs possessionibus eorumdem cultis et incultis, rupibus et ruynis, quas et que ipsi vel aliquis seu aliqui ipsorum habent vel habere visi sunt vel hactenus habuerunt vel habere consueverunt ultra predictum Rivum maiorem deversus dictum burgum, que quidem sint seu esse consueverint vel fuerint in finibus et posse seu infra fines et posse Castri Gorzanni solommodo, Et quas et que habent seu habuerint vel habere consueverint in plebatu de lavegijs in quantum

dictus plebatus esset et protenderetur in posse et per posse seu territorio castri Gorzani seu in castellania et finibus ipsius castri, sive sint ultra predictum Rivum sive citra, dummodo ut predictum est sint in dicto plebatu, in quantum dictus plebatus est et protenditur et durat per posse Gorzanni solomodo. Tali modo quod propter predicta vel infrascripta nullum preiudicium generetur vel fiat predicto comuni. In alijs autem terris et possessionibus bonis et rebus quibuscumque, que sunt alibi ultra predictum Rivum vel citra ipsum Rivum deversus Castrum novum sive sint in ipso plebatu sive extra ipsum plebatum, que sint vel fuerint vel esse consueverint seu essent predictorum Rofini et fratris et nepotum eius predictorum, et predictorum filiorum et heredum predicti Manuelis, Nec etiam ipsis Rufino et fratri et nepotibus eius predictis nec predictis filijs et heredibus predicti Manuelis quondam preiudicium aliquod generetur in predictis rebus et bonis, sed omnia iura predicto comuni competentia in predictis rebus et bonis, que sunt ultra vel citra predictum Rivum, et que sunt extra posse et territorium Gorzanni seu extra fines et territoria que consueverunt esse Gorzanni sint in eo statu in quo erant ante presentem pronunciationem, ita quod propterea in hjs preiudicium predicti comunis vel predictorum nichil innovetur, vel innovatum esse intelligatur, Et predictus Rufinus faciet et curet cum effectu quod predicti Oddo et filij et heredes Uberti predicti eius fratris quondam predicto modo et forma faciant comuni Astensi seu predicto sindico eius nomine pacem finem, quitationem omnimodam et pactum de non petendo prout superius continetur, secundum quod dictaverit dictus juris peritus, ad hoc ut melius valeat et teneat absolutio supradicta. Et quod predictus Fulcho Cazo faciat et curet cum effectu quod predicti filij Manuelis de Gorzanno predicti quondam, eodem modo predicto communi seu predicto sindico eius nomine faciant pacem finem quitationem omnimodam et pactum de non petendo prout superius continetur secundum quod dictaverit dictus juris peritus ad hoc ut melius valeat et teneat absolutio supradicta. Item dixit et pronunciavit et arbitratus fuit amicabiliter componendo quod predicti Quagleta, obertinus et frater, filij et heredes predicti Jacobi quondam, et predicti Rofinus et oddo et filij et heredes predictorum Oberti et Manuelis faciant predicto comuni seu predicto sindico nomine ipsius comunis pacem, finem, quitationem et absolutionem omnimodam prout dictaverit dictus juris peritus ad hoc ut efficacius et melius valeat et teneat pro ipso comuni, Et de omni et toto eo quod a predicto comuni vel ab alio seu alijs pro ipso comuni petere requirere vel exigere possent ipsi vel aliquis seu aliqui eorum, ex eo seu pro eo quod pronunciatum esset seu pronunciatum esse reperiretur per dominum Obertum Spinolam olim capitaneum populi Astensis et arbitrum electum inter predictos et alios dominos de Gorzanno et comune Astense, quod predictum comune predictis daret seu dare deberet libras quinque Astenses pro quolibet foco hominum quos dictum comune duceret seu poneret vel qui venirent ad habitandum in burgum predictum prout in ipsa pronunciatione continetur, vel alicuius equacionis miliciarum usque ad presentem diem, Et hoc quantum est pro hominibus Gorzanni et de Gorzanno, Et eodem modo absolutionem faciant et remissionem predicto comuni, seu predicto sindico nomine comunis Astensis recipienti nomine comunis et hominum omnium et singulorum dicti Burgi Sanctidamianj quorum interest vel intererit, seu ipsis hominibus de omnibus fictis, drictis quartis,

quintis et quibuscumque alijs debituris, quas et que ab eis vel ab aliquo eorum petere possent quocumque modo et quacumque occasione ab ipsis vel super eorum terris et possessionibus seu quas ipsi habent tenent et possident, Et predictas absolutiones omnes et singulas prout superius continetur predicti de Gorzanno omnes et singuli et quitationes faciant et fieri faciant infra dies quindecim proximos, Et hoc intelligatur quod dictum est de remissione et absolutione facienda, et fictis drictis, quartis, quintis et alijs debituris de hominibus Gorzanni seu qui fuerunt de Gorzanno et eorum posse, Ita quod in omnibus alijs sit in eo statu in quo erat ante presentem pronunciationem, Et predictus Rufinus faciat et curet cum effectu quod predicti eius frater et nepotes, et predictus Fulcho etiam faciat et curet cum effectu quod predicti filij et heredes dicti Manuelis quondam et Quagleta et Obertinus etiam faciant et curent quod frater dicti Obertinj faciant et facere debeant omnes et singuli supradicti predictam quitationem et absolutionem et quitationes et absolutiones et pactum de non petendo prout superius continetur secundum quod dictaverit dictus juris peritus ad hoc ut melius et efficacius valeat et teneat absolutio supradicta. Item dixit et pronunciavit atque arbitratus fuit amicabiliter componendo quod predictum comune seu predictus sindicus nomine ipsius comunis vel alius seu alij pro ipso comuni, qui hoc melius et efficacius facere possint absolvant predictos omnes et singulos de Gorzanno et insuper Paganum de Gorzanno fratrem predicti Quaglete ab omnibus fodris prestis taleis militijs et militiarum equacionibus, et ab omnibus et singulis impositionibus et exactionibus hinc retro ipsis vel alicui ipsorum seu predecessoribus eorumdem impositis seu que hinc retro usque ad hodiernum diem ipsis vel aliquibus a quibus causam habeant vel haberent imposita vel imposite essent vel fuissent per comune Astense vel per alium seu per alios pro ipso comuni quocumque modo et quacunque occasione, et ab omnibus penis bannis et condemnationibus eis vel in eos datis vel factis quocumque modo et quacumque occasione per aliquem vel aliquos potestatem vel potestates iudices milites vel vicarium seu vicarios vel quoscumque alios administrationem vel jurisdictionem aliquam exercentes in civitate Astensi hinc retro usque ad presentem diem quecumque sint predicta et qualiacunque sint et quocumque nomine censeantur, que tamen scripta sint vel essent in libris seu cartularijs comunis Astensis, ita quod de predictis omnibus et singulis canzellentur et canzellari debeant de libris comunis Astensis et quibuscumque alijs in quibus predicta vel aliquod predictorum pro dicto comuni scripta essent vel reperirentur, ita quod de predictis vel aliquo predictorum non appellentur vel molestentur ipsi vel bona ipsorum predicta nec appellari vel molestari possint vel debeant aliqua occasione vel modo, Et predicta absolutio fiat predictis de Gorzanno ut superius continetur, usque ad quindecim dies proximos secundum quod dictaverit dictus juris peritus ad hoc ut melius valeat et teneat absolutio supradicta. Et predicta omnia et singula prout superius continentur dixit pronunciavit et arbitratus fuit amicabiliter componendo arbiter seu arbitrator predictus omni iure et modo quo melius potuit, attendi et observari debere a partibus supradictis et per ipsas partes et omnes et singulas ipsarum partium, Et fieri et curari cum effectu a predictis et quolibet predictorum per omnia secundum quod superius continetur sub pena in compromisso adiecta, totiens committenda et efficaciter exigenda, quotiens predicte partes vel aliqua earum, seu aliquis vel aliqui ipsarum partium contra predicta vel

aliquod predictorum facerent vel venirent seu non attenderent et attendi facerent et observarent et observari facerent et compleri secundum quod superius continetur, predictis omnibus et singulis ut supra pronunciatis et memorato compromisso et hjs que continentur in eis in suo semper robore duraturis, Retinendo in se idem arbiter seu arbitrator et amicabilis compositor auctoritatem licenciam et bayliam plenariam iterum pronunciandj sentenciandj et arbitrandj atque amicabiliter componendi inter partes predictas secundum quod voluerit et sibi placuerit et melius videbitur expedire. Et insuper declarandi tam predicta pronunciata quam quecumque alia que pronunciabuntur ab eo interpretando ea sicut voluerit et eidem melius videbitur expedire, ita quod propter pronunciationem presentem nullum eidem sit vel esse intelligatur preiudicium generatum nec preiudicium aliquod generetur, quin iterum ut predictum est, semel et pluries et quotiens voluerit inter predictas partes super quibuscumque voluerit pronunciare et arbitrari atque amicabiliter componere possit atque declarare et interpretari ad eius liberam voluntatem. Que omnia et singula dictus arbiter pronunciavit et dixit sedendo absentibus partibus, Et inde precepit michi notario fieri unum instrumentum et plura unius tenoris omnium et singulorum quorum interest vel intererit vel interesse poterit. Actum Ast sub porticu domus illorum de platea in qua moratur dominus potestas Astensis. Testes interfuerunt dominus Jacobus Boxia notarius, Maynfredus de Canonica notarius, Petrinus Morandus notarius, Albricus Guarleta, Obertus de Cazalupa, Galterius Guarleta, Guillelmus de Sicardo, Florius de porta, Guillelmus Sitularius, Rolandus garetus, dominus philippus Cuminus iudex iusticie comunis Astensis, dominus Bonefacius de Casanova iudex potestatis et dominus Guillelmus Gardinus iudex.

Et ego Jacobus Morandus notarius pallatinus presens instrumentum abreviatum per me notarium in hoc posui cartulario seu libro pro comuni Astensi.

CLXXVI. De Taurino.

940. *De sindicatu facto per Comune Ast in personis quorumdam civium Ast, pro pace et concordia tractanda nomine dicti comunis cum Comitibus Sabaudie et comuni Taurinj etc.* 1255. 15 Januarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo quinto Indictione quartadecima, die sabbati quintodecimo mensis Januarij, dominus Albertus de Turricella potestas Astensis voluntate consilio et consensu utriusque credentie et Rectorum societatum per campanam et nuncios more solito congregatorum et ore ad os interogatorum et scriptorum, et ipsi credendarij et Rectores nomine et vice communis Astensis fecerunt constituerunt et ordinaverunt dominos Guillelmum de Crene societatis Secundi Astensis potestatis et Guillelmum Alferium, Rufinum Garetum, Conradum pulsavinum presentes et consentientes eorum et communis Astensis nuncios sindicos et procuratores et actores omnes et quemlibet eorum insolidum ita quod actum unius, actum alterius non impediat, et quod non sit melior condictio occupantis super concordia compositione et pace facienda et tractanda et complenda et firmanda recipienda et iuranda inter comune Astense ex una parte et comune et homines Taurinj ex altera, Et super concordia pace et compositione facienda et tractanda firmanda et recipienda

iuranda et perficienda et consumanda inter predictum comune Astense ex una parte et comites de Sabaudia sive eorum procuratores aut nuncios sive dominum Thomam de Sabaudia Comitem vel alium pro eo ex altera, Et ad compromissum recipiendum nomine et vice communis Astensis et pro ipso comuni a Comitibus supradictis vel eorum nuncijs seu procuratoribus et a communi Taurinj sive eius sindico super omnibus et de omnibus discordijs litibus controversijs questionibus et rancuris que sunt et esse possunt et quas habent seu habere videntur aliquo modo vel aliqua de causa predicti Comites vel aliquis ipsorum et comune et homines Taurinj inter sese adinvicem, Et ad recipiendum pacem et finem et refutationem et pactum de non petendo tam a Comitibus predictis et quolibet ipsorum sive eorum nuncijs et procuratoribus, quam a communi et hominibus Taurinj sive ipsorum sindico de omnibus iuribus rationibus, et actionibus, que et quas ipsi Comites sive alter ipsorum, aut comune et homines Taurinj vel alius pro eis habent vel habere videntur quacumque occasione in terra que est citra padum versus Ast, et ad acquirenda et recipienda iura et actiones et rationes ab eisdem et quolibet ipsorum in predictis et circha predicta, maxime in tota illa terra que pervenire debet in comune Astense et ad ipsum commune secundum formam et tractatum predictarum concordiarum et pacis et specialiter in Cargnano et posse, in Montecalerio et posse, in Caburetо et posse, in castro Montoxoli et posse et in omnibus alijs locis et rebus que sunt citra padum vel alibi in quibus comuni Astensi tractatum est aliquod ius concedi debere et dimitti et dari tam in tractatu pacis Comitis Thome vel alterius pro eo et communis Astensis quam pacis et concordie communis et hominum Taurinj et communis Astensis, dantes insuper et concedentes eisdem liberam licenciam facultatem et auctoritatem et proprium arbitrium ad omnia ea, que superius nominative sunt ordinanda tractanda facienda querenda perficienda et consumanda et recipienda, Et ad omnia ex que commune Astense facere posset si presens esset in predictis et circa predicta secundum quod eis visum erit, Promittentes insuper dicti potestas et credendarij et Rectores nomine et vice comunis Astensis michi notario infrascripto nomine et vice omnium eorum quorum interesset vel intererit ratum habere et firmum quicquid per predictos sindicos vel alterum ipsorum factum et ordinatum fuerit in predictis et circa predicta, et quod illud ratificabunt et approbabunt arbitri predictorum et cuiuslibet, cuius intererit. Et pro his omnibus attendendis complendis et observandis, omnia bona comunis, que salvo sacramento, potestates obligare possunt michi notario stipulanti nomine omnium quorum interesset pignori obligaverunt. Et inde unam et plures cartas fieri preceperunt. Actum Ast super voltis de dom, interfuerunt testes dominus Girolinus de Strelomia Judex potestatis Astensis, dominus Guido de pallacio civis papie, Mellanus Grillus et Bonefacius de Rippa.

Ego Jacobus Valbella notarius pallatinus interfui, et iussu dictorum potestatis et credendariorum scripsi.

941. *De sindicatu facto per comune Taurinj in persona domini Ottonis pelizoni de Taurino Judicis pro concordia facienda inter dictum comune ex una parte et comune Ast ex alia, Et compromittendum in dictum comune Ast vel eius sindicos etc.* 1256. 18 Januarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimosexto, Indictione Quartadecima diemartis decimo octavo mensis Januarij. Actum in civitate Taurinj in porticu pallatij comunis presentibus testibus henrico notario, Jacobo lare notario, Ansaldo Cagnazio, Guyeto de plozascho, Astesano de Grosso, presbitero Mandaerio, Rofino de Castellario, Johanne fratre suo, Gayo de Mirabello, Beriaria Mandaerio, Girbaudino filio Guilelmi Crestinj de lanceo, Maynardono pollastra, Prandino Marcellino, Guillelmino Cordario et pluribus alijs, dominus Bernardus liberellus potestas Taurinj voluntate consilio et consensu omnium credendariorum maioris credentie civitatis Taurinj ad campanam more solito congregate et ipsi credendarij auctoritate predicti potestatis nomine et vice comunis et hominum et personarum civitatis Taurinj fecerunt constituerunt et ordinaverunt dominum Ottonem pellizonum Judicem civem Taurinensem presentem et consentientem eorum et dicti communis Taurinensis et cuiuslibet persone de Taurino certum nuncium procuratorem sindicum et actorem ad iurandam faciendam complendam et confirmandam promittendam et recipiendam pacem concordiam et compositionem pacis inter comune et homines et personas civitatis Taurinj ex una parte, et comune Astense ex alia. Et ad compromittendum nomine comunis et hominum civitatis Taurinj in comune Astense sive in sindicum vel sindicos ipsius communis Astensis nomine ipsius communis tamquam in arbitrum seu arbitratorem et amicabilem compositorem de omnibus et singulis discordijs controversijs questionibus litibus et rancuris que vertuntur vel verti sperantur seu videntur vel possent verti inter dictum comune et homines Taurini communiter vel divisim ex una parte, et Comites de Sabaudia sive dominum Thomam de Sabaudia Comitem vel fratres ipsius Comitis, seu aliquem ipsorum Comitum ex alia, Et ad penam promittendam et ordinandam pro ipso compromisso et in ipso compromisso, et pro attendendis et observandis omnibus hjs que dicta et pronunciata fuerint per comune Astense vel per alium pro ipso comuni de voluntate et mandato ipsius communis, Et ad bona comunis et hominum Taurini obliganda pro inde, Et ad faciendum pacem et finem et remissionem renunciationem et pactum de non petendo comuni Astensi sive sindicis ipsius comunis nomine ipsius communis Astensis de omni iure ratione et actione, et de omnibus iuribus rationibus et actionibus que et quas comune Taurinj vel aliquis predictorum credendariorum aut aliqua alia persona de Taurino habent vel habere visi sunt aliquo modo in castro et villa et hominibus et pertinentijs Cabureti et in castro villa et hominibus Montoxolij, dantes insuper et concedentes eidem domino Ottoni plenam et liberam licenciam et facultatem auctoritatem et proprium arbitrium ad omnia et singula que superius sunt nominata ordinanda promittenda et facienda juranda perficienda consumanda et recipienda, Et ad omnia alia que in predictis et circa predicta fuerint facienda promittenda et peragenda et quolibet predictorum, Et ad bona comunis et hominum Taurinj pro predictis omnibus et singulis

obliganda, Et demum ad omnia ea que comune vel homines Taurini communiter et divisim facere possent in predictis et quolibet predictorum secundum quod ipsi domino Ottoni visum fuerit, Et promittentes insuper predicti potestas et credendarij infrascripti nomine et vice communis et hominum et personarum Taurinj michi notario infrascripto stipulanti nomine et vice comunis Astensis et omnium et singulorum quorum interesset vel intererit ratum et firmum habere et tenere perpetuo quicquid per predictum sindicum factum promissum et ordinatum fuerit ac firmatum et iuratum in predictis et circa predicta et quolibet predictorum, Et nullo tempore contravenire, Et quod illud ratificabunt et approbabunt communiter et divisim arbitrio predictorum et cuiuslibet cuius intererit. Et pro hjs omnibus attendendis complendis et observandis omnia bona communis et hominum Taurinj michi notario stipulanti predicto nomine pignori obligaverunt. Nomina vero credendariorum et aliorum de Taurino qui ad predicta interfuerunt et presentes erant quando predictum sindicum suum et comunis Taurinj fecerunt ut supra sunt hec, Pot~ Sylus, Jordanus Syllus, Nicholaus Sylus, Johannetus Nepos Guillelmi Syli, Mainfredus filius Guillelmi Syli, Otto Zucha, Henricus Alpinus, dominus petrus pelizonus, dominus Nicholaus Bechutus, Arditio Alpinus, Ubertus de Cabaliato, Jacobus panis frumenti, Maynardus notarius, Nicholetus Alamanus, petrus Boverius, Raymundus luria, Gualferius Giroldus, Matheus Aynardus, Ugonetus barbierius, Jacobus Bertanus, Scarra, Stephanus de Mora, Georcinus Ribba, Guido Alexander, Henricus de Imperatore, Henricus de Ceriacho, petrus Calza, Berthonus Gavarus, Bertholotus de Ruere, Bertholotus Beldorus, Otto Tabarius, Martinus de Montebello, Albertus de Caluxeno, Maynfredus de Henrico, dominus Rogerius Maritanus, Jacobus Sylus, dominus Guillelmus Sylus, Johannetus filius quondam petri Syli, Raynerius Sylus, Ubertus pogius, Petrus Alexander, Jacobus Alexander, dominus Henricus de Carmaleto, dominus Johannes Blancus, Magister Stefanus, Johannes de Mercato, Jacobus pellizonus, Gigo Corvus, Taurinus Ferarius, Arditio Cavanus, petrus de Ruere, Jacobus Calcaneus, Willelmus Aynardus, Henricus de alba, Guillelmus de Bulgaro, Ardicio dadinus, Johannes Burgesius, Taurinus Becarius, Arnaldus Fulchus, Gavaretus Gavarus, Nicholetus Calcaneus, Jacobus prandus, Jacometus de Sancto Victore, Petrus Robba cambsor, Amedeus de perella, Jacobus Prandus, Jacobus de Sancta fide, Carlo Burgesius, Johannes Follus, Aymo Sylus, Gualla Sylus, Syletus Sylus, Bertolotus Burgensis, Henricus Calcaneus, Henricus Burgesius, Jacobus Gavarcus, Jacomacius Bechutus, Otto Alamannus, Nicholetus de puteo, Bonusiohannes Sylvester, Catellanus pellizonus, Jacobus Barachus, Johannes pedagerius, Johannes Jacherius, Jacobus Sabottus, Bresanus Sartor, Jacobus Cornalia, Otto Canis, Petrus Bischotus, Boninus de Valta, Johannetus Canis, Guillelmus Ribba, Guido Vaheza, Bertollinus Arpinus, Guiglezonus Jabaudonus, peracius Alpinus, Rufinus Bayratus, Petrus Grassus, Constantinus Barachus, Winus Enaperius, Johannes Bertanus, Albertinus Arpinus.

Ego Jacobus Valbella notarius pallatinus interfui et sic scripsj.

942. *De pace facta inter comune Ast ex una parte et comune Taurinj ex altera, In qua inter alia Taurinenses debent dare Astensibus, dominum Thomam Marchionem Salutiarum, et tenere in eorum carceribus dominum Thomam de Sabaudia Comitem, Et quitaverunt Astenses de Caburcto etc.* 1256. 18 Januarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo sexto, Indictione quartadecima die martis decimo octavo mensis Januarij, In civitate Taurinj in porticu comunis Taurini presentibus testibus illis qui superius in alio instrumento sindicatus nominati sunt, In nomine domini nostri yhesu Christi amen. Hec est forma et tractatus pacis et concordie ordinate et tractate inter comune et homines civitatis Astensis ex una parte, et comune et homines civitatis Taurinj ex altera, facte firmate et iurate ad honorem domini nostri dei omnipotentis et beate Marie Virginis matris eius et Beati Johannis Baptiste et beati Secundi Martiris Christi et omnium sanctorum et sanctarum dei, Et ad honorem viri Egregij domini Uberti Marchionis pellavicinj sacri imperij in Lombardia vicarij generalis, et communis et hominum civitatis papie, Cremone, placentie, Vercellarum et omnium aliorum amicorum partis imperij Lombardie, Et ad honorem et commodum et bonum et pacificum statum civitatis Astensis et civitatis Taurinj, et omnium amicorum ipsarum civitatum. In primis ordinatum est et firmatum, quod commune et homines Taurinj sint et efficiantur cives Astenses et teneantur et iurent facere pacem et guerram pro comuni Astensi contra omnes personas et quamlibet et facere et precipere toto eorum posse munitionem et guarnimenta pro comuni Astensi et pro guerris ipsius comunis et maxime tempore guerre comunis Astensis tenere et habere octuaginta milites furnitos, scilicet quemlibet militem cum duobus equis, et tenere et reputare pro suis inimicis omnes illos et singulos, qui sunt vel erunt inimici comunis Astensis, et quos comune Astense tenet et tenebit pro suis inimicis, Ita quod omnes et singuli qui sunt et erunt inimici comunis Astensis capi et detineri possint et debeant in civitate Taurinj et posse. Commune vero Astense teneatur et debeat iuret et promittat salvare et defendere comune et homines Taurinj et adiuvare eos bona fide ad manutenendam et defendendam totam terram communis Taurinj. Item ordinatum est et tractatum atque firmatum quod comune et homines Taurinj teneantur et debeant capere et habere potestatem omni anno de civitate Astensi scilicet de civibus commorantibus et habitantibus in civitate Astensi vel burgis coherentibus civitati, Et hoc intelligatur de civibus antiquis qui sunt origine cives Astenses, et eis dare pro feudo tantum quantum dare consueverunt suis potestatibus videlicet libras quingintas papienses. Item ordinatum est et tractatum quod cives Astenses sint immunes et liberi de omni pedagio et malatolta in civitate Taurinj et per totum posse et districtum civitatis Taurinj quod habet vel deinceps acquiret vel habebit, vel quod comune Taurinj det et concedat communi Astensi terciam partem omnium pedagiorum et maletotarum civitatis et districtus Taurinj perpetuo ita quod sit in electione communis Astensis, aut habere terciam partem pedagiorum, aut quod cives Astenses sint liberi et immunes ut supra. Item ordinatum est et tractatum, quod cives Astenses et omnes et singuli possint eorum debitores convenire et saxiri facere in civitate Taurinj quemadmodum et ut possunt in civitate Astensi, Et eodem modo illi de

Taurino convenire possint eorum debitores in civitate Astensi quemadmodum et ut possunt in civitate Taurinj, Et quod cives Astenses qui habent vel habebunt cartas sive cartam cambij vel laudis super vel contra aliquam personam possint sese cambiare et cambium sive laudem saxire et capere et detinere in civitate Taurinj et posse quemadmodum et ut possent et possunt in civitate Astensi et posse, Et ad hoc potestas et comune Taurinj teneantur et debeant ipsis civibus Astensibus dare auxilium et favorem. Eodem modo cives Taurinenses qui habent vel habuerint cartam cambij vel laudis super vel contra aliquam personam possint suum cambium capere saxire et detinere in civitate Astensi et posse quemadmodum et ut facere possunt in civitate Taurinj et posse, Et ad hoc potestas et commune Astense eis dare teneantur auxilium et iuvamen, Et si contingeret aliquem vel aliquos Astenses ultra montes aliquo vel aliquibus impediri in personis vel rebus liceat dictis Astensibus homines de Ultramontibus undecumque fuerint de partibus Ultramontanis in avere et persona tam clericos quam laycos detinere et capere per se vel per alios quos voluerint in civitate Taurinj et posse, et de ipsis facere ad suam voluntatem usque ad plenam expeditionem eorum, et quousque de damnis passis et eis illatis integraliter fuerint restituti. Item ordinatum est et tractatum quod comune et homines Taurinj communiter et divisim facere teneantur comuni Astensi pacem et finem et omnimodam absolutionem remissionem et pactum de non petendo de omni iure et ratione quod et quam habent vel habere visi sunt in castro Cabureti et hominibus et pertinentijs ipsius castri et ville, et in castro Montoxoli et hominibus et pertinentijs ipsius castri. Item quod comune et homines Taurinj teneantur dare stratam comuni Astensi, et ire et stratam facere deversus civitatem Astensem tam Francigenam quam Lombardam et omnem aliam stratam, Et eodem modo comune et homines Astenses teneantur comuni Taurinensi dare stratam et facere ire stratam deversus civitatem Taurinj, tali forma quod strata teneat veniat et eat et ire debeat et tenere a Taurino versus Aste et ab Aste versus Taurinum per illa loca et per illas partes que placuerint comuni Astensi. Et salvo quod si comune Ast guerram haberet cum Comite Thoma vel heredibus eius, sive cum aliquo de hospitio Sabaudie quod tempore illius guerre strata currere non debeat nisi esset de voluntate comunis Astensis. Item ordinatum est et tractatum, quod quelibet dictarum duarum civitatum teneatur non reducere, sed potius expellere omnes et singulos bannitos alterius civitatis, qui banniti fuerint et sunt pro maleficio, Ita quod qui est vel fuerit bannitus communis Astensis sit et bannitus civitatis Taurinj, et in civitate Taurinj et posse, capi et detineri possit sicut in civitate Astensi, Et qui fuerit bannitus comunis Taurinj sit eodem modo bannitus comunis Astensis, et in civitate Astensi capi et detineri possit et in eius posse, quemadmodum in civitate Taurinj. Item quod Societas iura et amicicia fieri renovari et iurari debeat intra dictas civitates secundum modum et formam conventionis et iure alias facte inter comune Taurinense ex una parte et comune Astense ex alia prout in cartis ipsarum conventionum continetur, Salvis omnibus et singulis conventionibus et capitulis suprascriptis. Item ordinatum est et firmatum quod comune et homines Taurinj teneantur incontinenti dare et reddere communi Astensi Thomam Marchionem Salutiarum ad voluntatem comunis Astensis, ita quod comune Astense de eo suam voluntatem faciat. Item ordinatum est et firmatum quod comune et homines Taurinj teneantur et debeant sese ponere

et compromittere in comune Astense et dictum, et dicti communis sentenciam, de omnibus discordijs litibus controversijs et rancuris que vertuntur vel verti videntur aut sperantur inter dictum comune et homines Taurinj ex una parte, et Comites de Sabaudia sive dominum Thomam de Sabaudia Comitem vel aliquem ipsorum Comitum ex alia, et teneantur et promittant attendere et observare quicquid dictum et pronunciatum fuerit per comune Astense. Item ordinatum est et tractatum quod homines et commune Taurinj teneantur iurent et promittant tenere et custodire dominum Thomam de Sabaudia Comitem in eorum carceribus ut nunc tenent nec eum posse aliquo modo dimittere quousque omnia pacta et conventiones tractata et tractate habita et habite et iurate inter comune Astense ex una parte et dominum Abbatem Secusie nomine dicti domini Thome de Sabaudia comitis sive pro ipso comite ex alia, dicto communi Astensi attendita observata et completa fuerint per omnia et quousque manulevatores et securitates dicti Abbatis Secusie qui pro dicto abbate intercesserunt versus comune Astense et dictum Abbatem manulevaverint ab ipsa manulevatione et fideiussione et ab omni damno et interesse, que pro inde sustinuerint vel habuerint vel incurrerint plenius fuerint liberati et conservati indemnes a dicto Abbate vel ab alio pro eo. Et pro Sic attendendo comune et homines Taurini teneantur et debeant ponere in manibus et custodia communis Astensis pontem Taurini cum motta, et centum bonos hostagios ad voluntatem comunis Astensis, qui pons cum motta et dicti hostagij stent et permaneant in forcia et virtute communis Astensis, et ab ipso comuni custodiantur et teneantur expensis communis Taurinj, quam diu omnia predicta pacta et conventiones promissa et tractata per Abbatem Secusie observata et attendita fuerint communi Astensi, et dicti manulevatores Abbatis ut superius dictum est fuerint liberati et conservati indemnes. Et sicut superius et inferius legitur et scriptum est per omnia et singula dominus Bernardus Liberellus potestas Taurinj voluntate consilio et consensu totius credentie civitatis Taurinj per campanam et voce preconis ibidem more solito congregate, et credendarij ipsius credentie simul cum dicto potestate nomine et a parte communis Taurinensis et hominum civitatis Taurinj et dominus Otto pellizonus civis Taurinj Judex et sindicus communis Taurinensis sicut apparet per cartam inde factam a me Jacobo Valbella notario eodem anno et Indictione die, voluntate et mandato dictorum et credentie Taurinensis nomine et a parte communis et hominum civitatis Taurinj promiserunt et juraverunt ad sacra dei evangelia et convenerunt dominis Guillelmo de Crene potestati sancti Secundi Astensis, Guillelmo Alferio, Rufino Gareto, Conrado pulsavino civibus Astensibus sindicis et procuratoribus communis Astensis, sicut apparet per cartam inde factam a me Jacobo Valbella in anno domini MCCLVI. Indictione XIIII^a^ die sabbati XV° mensis Januarij stipulantibus et recipientibus nomine et vice comunis Astensis et in manibus ipsorum attendere observare et complere in perpetuum et non contravenire bona fide et sine aliqua alia fraude. Insuper dicti potestas et credendarij civitatis Taurini et sindicus communis Taurinensis predictus nomine et a parte communis et hominum Taurinj et pro quolibet homine de Taurino fecerunt pacem et finem et omnimodam absolutionem remissionem et pactum de non petendo in manibus predictorum dominorum et predictorum sindicorum et procuratorum comunis Astensis stipulantium et recipientium nomine et vice ipsius communis Astensis de omni iure

ratione et actione et de omnibus iuribus rationibus et actionibus que et quas dictum comune Taurinj communiter vel divisim habent vel habere videntur aliquo modo vel aliqua ratione in castro villa et hominibus et jurisdictione Cabureti, et in castro villa et hominibus et jurisdictione Montoxoli et pertinencijs ipsorum castrorum, Tali modo quod dictum comune Astense predicta omnia et singula per se et per alium decetero teneat et possideat et habeat libere et quiete iure proprietario et quolibet alio modo sine contradictione communis Taurinensis et cuiuslibet persone de Taurino, Promittentes dicti potestas et credendarij et sindicus nomine et vice communis Taurinj sese et dictum commune Taurinj ita facturos et curaturos quod quelibet persona de Taurino dictam renunciationem et remissionem et omnia que superius dicta sunt rata et firma habebit et tenebit confirmabit et ratificabit ad voluntatem et arbitrium communis Astensis ita quod contra predicta non veniet vel aliquod predictorum in perpetuum sub pena totius damni dispendij et interesse, que dictum comune Astense pro inde faceret incurreret vel sustineret, Credendo de damno dispendio et interesse verbo dicti communis sive sindici ipsius communis sine sacramento et testium qualibet probatione. Pro quibus omnibus et singulis attendendis, et observandis omnia eorum bona et dicti comunis et hominum Taurinj predictis sindicis comunis Astensis stipulantibus predicto nomine pignori obligaverunt, Et dictam renunciationem remissionem et pactum de non petendo et omnia et singula que superius dicta sunt promiserunt convenerunt et juraverunt ad sancta dei evangelia dictus potestas et credendarij Taurini comuniter et quilibet per se, quorum nomina inferius denotantur, et dictus dominus Otto pellizonus sindicus communis Taurinensis voluntate et mandato dictorum potestatis et credendariorum infrascriptorum nomine et ex parte universitatis et cuiuslibet persone de Taurino attendere et observare et firma et rata habere et tenere in perpetuum et non contravenire, Renunciando omni juri et exceptioni cui vel quibus communiter vel divisim se se vel aliquem ipsorum tueri possent contra predicta vel aliquod predictorum. Versa vice suprascripti domini Guillelmus de Crene societatis sancti secundi Astensis potestas, Guillelmus Alferius, Rufinus Garetus, Conradus pulsavinus procuratores et sindici communis Astensis nomine et vice comunis Astensis et pro ipso communi dictam pacem et concordiam et omnia ea et singula que superius continentur attendere observare et complere integraliter et facere et curare sic quod per comune Astense attendantur et observentur ratificentur et approbentur promiserunt et convenerunt dictis potestati et credendarijs et sindico communis et hominum Taurinj stipulantibus eorum nomine et nomine dicti comunis Taurinj, et ad sacra dei evangelia iuraverunt quilibet eorum manu propria bona fide et sine fraude aliqua. Et inde tam dictus potestas et credendarij et sindicus communis Taurinj, quam sindici communis Astensis predicti unum et plura eiusdem tenoris instrumenta fieri preceperunt michi Jacobo Valbelle notario Astensi et Ulricho donato notario Taurinensi. Nomina vero credendariorum Taurinensium et aliorum de Taurino, qui in dicta credentia predicta omnia et singula promiserunt et fecerunt et compleverunt superius scripta sunt in instrumento sindicatus.

Ego Jacobus Valbella notarius sacri pallatij et Astensis curie scriba interfui et sic scripsi.

943. *De compromisso facto per Taurinenses in certos Astenses de omnibus discordijs existentibus inter ipsos Taurinenses ex una parte, et Comites de Sabaudia sive dominum Thomam de Sabaudia et fratres eius ex altera.* 1256.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimosexto Indictione quartadecima, In Taurino in porticu comunis Taurinj, presentibus testibus illis qui nominati sunt in instrumento sindicatus superius scripto, dominus Bernardus Liberellus potestas Taurinj voluntate consilio et consensu totius credentie civitatis Taurinj ibidem more solito per campanam et voce preconis congregate et ipsi credendarij una cum dicto potestate et dominus Otto pellizonus iudex sindicus communis Taurinj ad hoc specialiter constitutus sicut apparet per cartam factam a me Jacobo Valbella notario eodem anno Indictione et die et loco, voluntate et mandato dictorum potestatis et credentie civitatis predicte simul cum dictis potestate et credendarijs dicte civitatis, nomine et a parte comunis et hominum civitatis Taurinj se se compromiserunt in dominos Guillelmum de Crene potestatem societatis sancti Secundi Astensis, Guillelmum Alferium, Rufinum Garetum, Conradum pulsavinum cives Astenses, presentes nuncios sindicos actores et procuratores comunis Astensis, sicut apparet per cartam inde factam a me Jacobo Valbella notario eodem anno Indictione die sabbati quintodecimo mensis Januarij, recipientes nomine et vice communis Astensis tanquam in arbitros seu arbitrum arbitratores seu arbitratorem et amicabiles compositores seu amicabilem compositorem de omnibus et singulis discordijs controversijs questionibus litibus et rancuris que vertuntur vel verti sperantur seu videntur vel possent verti inter dictum comune et homines Taurinj comuniter vel divisim ex una parte, et Comites de Sabaudia sive dominum Thomam de Sabaudia Comitem vel fratres ipsius Comitis seu aliquem ipsorum Comitum ex alia, eo modo quod dictum comune Astense vel alius pro eo comuni de voluntate et mandato ipsius comunis possit arbitrari dicere pronunciare sentenciare statuere precipere et ordinare per pactum et concordiam et per amicabilem compositionem inter dictas partes ad suam voluntatem, servata juris solemnitate vel non servata semel et pluries totiens quotiens ipsi comuni Astensi placuerit, presentibus partibus vel absentibus una parte presente vel altera absente, citatis partibus et non citatis, diebus feriatis vel non feriatis, in eo loco pro comuni Astensi, sive in civitate Astensi sive extra, ita quod suum dictum sentenciam laudamentum seu pronunciamentum possint intelligere mutare et interpretari ad voluntatem et arbitrium dicti comunis semel et pluries et totiens quotiens placuerit dicto communi. Promittentes dicti potestas et credendarij civitatis Taurinj et sindicus ipsius communis voluntate et mandato ipsorum, eorum nomine et nomine et vice ipsius communis Taurinj et pro ipso communi et hominum Taurinj attendere et observare et perpetuo firmum et ratum habere et non contravenire omnia precepta et preceptum laudamentum sentenciam et pronunciationem seu arbitramentum dicti communis Astensis et quicquid dictum comune Astense per se vel per alium nomine ipsius comunis et pro ipso communi dixerit et pronunciaverit preceperit statuerit et sentencialiter laudaverit seu arbitratum fuerit semel et pluries et totiens quotiens placuerit dicto comuni Astensi in predictis et circa predicta et quolibet predictorum in omnibus et

per omnia prout superius dictum est sub pena duorum millium Marcharum argenti promissa et stipulata solemniter et ad opus et utilitatem comunis Astensis que pena totiens committatur ad opus et utilitatem dicti comunis quotiens contra predicta vel aliquod predictorum factum fuerit per dictum comune Taurinj. Ita quod commissa pena, et soluta semel vel pluries, omnia predicta firma permaneant, Pro qua pena et pro predictis omnibus et singulis attendendis observandis et complendis, et firmis et ratis habendis dicti potestas et credendarij et dictus sindicus nomine et vice dicti communis Taurinj omnia eorum et dicti communis bona supradictis sindicis et procuratoribus communis Astensis stipulantibus nomine ipsius communis pignori obligaverunt, Renunciando omni juri et legi et consuetudinj seu consuetudinibus, quibus sese sive dictum commune Taurinj tueri possent et quod non possint opponere aliquam exceptionem de iure vel de facto contra predicta vel aliquod predictorum, et specialiter quod non possint dicere dictum compromissum non valere vel tenere vel esse iniquum preceptum laudamentum vel pronunciamentum vel sentenciam vel interpretamentum dicti communis esse reducendum ad arbitrium boni viri, et quod non possint dicere, vel opponere sese dolo fore inductos vel constrictos ad predicta facienda, Et presens instrumentum semper meliorari possit et debeat ad voluntatem et arbitrium comunis Astensis.

Ego Jacobus Valbella notarius sacri pallatij et Astensis curie scriba interfui et sic scripsi.

CLXXVII. De Domino Karolo filio domini regis Francie Comite Provincie.

944. *De treugua facta inter dominum Karolum filium domini Regis Francorum et Comitem Andagavie et provincie etc. ac dominum Albe, Claraschi, Cuney, et Savilliani seu eius locumtenentem ex una parte, et comune Ast ex altera.* 1260. 21 Februarij [1].

In nomine domini nostri yhesu Christi amen [2], Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo, Indictione Tercia, die sabbati vigesimo primo mensis februarij, Venerabilis in Christo pater dominus Vicedominus dei gratia Aquensis Archiepiscopus nuncius et procurator et tenens locum in partibus Lombardie Illustrissimi domini Karoli filij Regis Francie Comitis Andagavie, provincie et Folchalcherij et Marchionis provincie ac domini Albe Claraschi, Cunei, Savilliani et districtuum eorundem ut patet per instrumentum factum manu Martinj de parisius notarij in anno domini MCCLVIIII° die iovis post festum beati Martinj hyemalis, pro se et domino Galterio de Alneto milite Seneschalcho provincie et Folchalcherij comprocuratore et collega in predictis ipsius domini Archiepiscopi vice et nomine supradicti Comitis et pro ipso Comite eiusque hominibus Vasalis et iuratis et amicis seu coadiuctoribus infrascriptis ex una parte,

[1] Documentum hoc compluribus omissis iam inseruerat F. A. Ab Ecclesia in op. cit. *Descriz. del Piem.* pars II. pag. 573, ex quo editum fuit in *Mon. Hist. Patr.* Chart. II. Col. 1600. Idem iteratur in Codice nostro; quapropter inscriptione tantum suo loco servata ad N. 972, lectiones varias hic afferemus. — [2] Verba haec desunt.

Et nobilis vir dominus Rogerius Georgius potestas Astensis et dominus Julianus potestas societatis sancti Secundi et sapientes civitatis Ast existentes cum eo, quorum nomina sunt hec, domini henricus Alferius, Rufinus Gutuerius, Obertus de Platea, Thomas de Becharijs, Rollandus de platis, Jacobus layolius, Bonefacius de Rippa et Guillelmus Maruchus, habentes cum ipso potestate auctoritatem plenam bayliam et facultatem ab octuaginta sapientibus seu maiore parte ipsorum habentibus a consilio generali civitatis Astensis auctoritatem plenam bayliam et facultatem faciendi firmandi et ordinandi treuguam cum supradictis dominis Archiepiscopo et Seneschalcho procuratoribus dicti domini Comitis, ut [1] de dictis baylijs constat per instrumenta inde facta unum manu Berrardi [2] de Cazalupa et aliud manu petri Sylvani notariorum vice et nomine communis Astensis et pro ipso communi eorumque [3] civibus hominibus, vasallis, iuratis et amicis seu coadiuctoribus infrascriptis ex altera, fecerunt firmaverunt et ordinaverunt ad invicem treuguam plenamque fidanciam et securam duraturam [4] ex nunc [5] et ab hodie usque ad festum sancti Michaelis proxime venturum per totam diem secundum modum et formam et conventiones infrascriptum et infrascriptas videlicet quod una pars vel aliqua predictarum vel aliquis de parte, non faciat nec fieri faciat nec alicui facere volenti consenciat ullo modo nec ulla de causa usque ad terminum supradictum offensam aliquam alteri parti nec alicui de altera parte in personis aut rebus aliqua ingenij subtilitate nec fieri permittet in quantum prohibere possit. Item quod capti ab aliquo vel aliquibus ipsarum partium nunc citra montes detenti debeant sub ydonea cautione relaxari et manulevari usque ad terminum supradictum. Item quod supradictus dominus Comes seu vices eius gerentes vel alius pro eis non possit vel debeat aliquid acquirere de hjs que comune Astense [6] tenent seu que tenentur ab ipso comuni, nec de hjs, nec de bonis eorum qui in treugua predicta sunt pro parte Astensium inferius nominati, scilicet de eo pro quo positi sunt in treugua, nec de hjs que Astensis ecclesia tenet citra Sturam, Nec Astenses econverso possint aliquid acquirere de hjs nec de bonis eorum qui in treugua predicta positi sunt pro parte domini Comitis supradicti scilicet de eo pro quo positi sunt in treugua, nec de hjs que dictus Comes vel alius pro eo sive homines Albe, Claraschi, Cunei, Savilliani vel alij homines ipsius domini Comitis tenent, nec de hjs que ab eis tenentur [7]. Item si contingeret quod aliqui Berruarij vel cavalcatores seu alij malefactores moverint [8] de civitate castro vel villa aliqua quam Astenses vel aliqui illorum qui positi sunt in treugua predicta pro parte Astensium tenent [9] vel de aliquo loco qui per eos positus sit in treugua vel de aliquo loco alio posito in treugua in quo Astenses vel aliqui de parte eorum dedissent eis auxilium vel iuvamen, et damnum dederint vel offensam fecerint in terra domini Comitis supradicti sive alicuius illorum qui positi sunt pro parte ipsius domini Comitis in treugua predicta, vel redirent offensa facta vel preda capta in terram [10] dicti domini Comitis, vel quam teneat sive illorum qui pro parte ipsius positi [11] in treugua in terra Astensium sive illorum qui pro parte Astensium positi [12] in treugua predicta, teneantur comune et homines Ast, offensam factam et damnum datum emendare sive emendari facere damnum passis ad

[1] *et.* — [2] *Benedicti.* — [3] *eiusque.* — [4] Deest *duraturam.* — [5] *tunc.* — [6] Add. *seu homines.* — [7] *de hjs qui ab tenentur.* — [8] Add. *se.* — [9] *teneänt.* — [10] *terra.* — [11] Add. *sunt.* — [12] Add. *sunt.*

extimationem arbitrorum qui super hoc ab ipsis partibus sunt electi, et hoc infra dies quindecim postquam ipsa questio fuerit per ipsos arbitros vel maiorem partem ipsorum difinita seu determinata. Idem intelligatur si aliqui beruarij cavalcatores seu alij malefactores damnum darent vel offensam facerent durante treugua predicta alicui vel aliquibus hominibus dicti domini Comitis vel eorum qui positi sunt in treugua predicta pro parte ipsius domini Comitis in terram [1] ipsorum Astensium vel alicuius illorum, qui positi sunt pro eis [2] in treugua predicta. Versa vice si contingeret quod aliqui beruarij vel cavalcatores seu alij malefactores moverint [3] de civitate castro vel villa aliqua, quam dominus Comes predictus vel aliqui illorum qui positi sunt in treugua predicta ex parte ipsius domini Comitis teneant [4], vel de aliquo loco, qui pro parte ipsius [5] positus sit in treugua predicta, et damnum dederint vel offensam fecerint in terram Astensium vel illorum qui positi sunt in treugua pro parte Astensium, vel de aliquo alio loco posito in treugua, in quo ipse Comes vel aliqui de parte ipsius dedissent eis auxilium vel iuvamen, et damnum dederint vel offensam fecerint in terram Astensium vel illorum qui positi sunt pro parte ipsorum Astensium in treugua predicta, vel redierint offensa facta vel preda capta, in terram predictorum Astensium, sive illorum qui pro parte ipsorum positi sunt in treugua, in terram domini Comitis, sive illorum qui pro parte ipsius positi sunt in treugua predicta, teneatur dominus Comes offensam factam et damnum datum emendare seu emendari facere, damnum passis ad extimationem arbitrorum, qui super hoc ab ipsis partibus sunt electi, Et hoc infra dies quindecim postquam ipsa questio fuerit per ipsos arbitros vel maiorem partem ipsorum difinita vel determinata. Idem intelligatur [6] si aliqui beruarij vel cavalcatores seu alij malefactores damnum darent vel offensam facerent durante treugua predicta alicui vel aliquibus hominibus Astensibus, vel illorum qui positi sunt in treugua pro parte ipsorum Astensium in terram domini Comitis vel alicuius illorum qui pro parte eius positi sunt in treugua predicta, hoc acto specialiter in predictis, quod omnes illi qui positi sunt in treugua [7] per aliquam partium predictarum, et homines omnium locorum, que posita [8] sunt in treugua predicta, iurare debeant quod non receptabunt aliquos beruarios cavalcatores seu malefactores qui offenderent seu offendere vellent vel qui etiam offendissent durante treugua alteram partem vel aliquem de altera parte, sed eos fugabunt et capient pro posse suo, et predam eis auferent, si contingeret eos per terram vel posse eorum cum preda transire. Item quod omnes homines positi in treugua per aliquem [9] dictarum partium vel homines omnium locorum positorum in dicta treugua debeant similiter iurare, quod dictam treuguam bona fide attendent et observabunt et ea [10], que continentur in ipsa treugua, et quod non dabunt consilium nec auxilium ullo modo aliquibus malefactoribus vel offensoribus seu beruarijs, qui offenderent vel offendere vellent ullo modo [11] in terram alterius partis, vel alicui [12] illorum qui per alteram partem positi sunt in treugua, immo pro [13] posse suo impedient et disturbabunt, Et si aliqui malefactores beruarij vel offensores damnum dedissent vel offensam fecissent in terra alterius partis

[1] *terra.* — [2] *pro eorum parte.* — [3] addit *se.* — [4] *teneat.* — [5] add. *domini comitis.* — [6] add. *et.* — [7] Deest *in treugua.* — [8] *qui positi.* — [9] *aliquam.* — [10] *omnia.* — [11] Deest *ullo modo.* — [12] *aliquem.* — [13] Deest *pro.*

vel alicui illorum qui pro altera parte positi sunt in treugua, durante treugua quod ipsi non recipient eos in terram suam et quam ipsi teneant nec in terram illorum qui sunt in treugua pro eis, durante treugua, nisi prius damnum emendassent, immo eos capient si poterunt, et si invenirent [1] eos in terra sue partis [2], eos compellent ad faciendum emendam damni per eos dati vel eos [3] restituent damnum passis, et hoc infra dies quindecim postquam eos ceperint. Item quod quilibet de utraque et qualibet [4] parte possit ire et redire et stare durante dicta treugua ad suam voluntatem per terras et loca utriusque partium predictarum salve et secure in personis et rebus tam citra montes quam ultra montes. Item si aliqua partium predictarum moveret questionem vel guerram vel offensam faceret alicui vel aliquibus, quos in treugua pro parte sua posuisset durante dicta treugua, altera pars nec aliquis de altera parte se inde non debeat intromittere, nisi ipsa questio moveretur vel guerra fieret in feudo vel super feudo vel occasione feudi quod teneretur vel teneri debet ab adversa parte. Item actum est in predictis specialiter et expressim inter dictas partes quod cambia et pignorationes occasione laudum hinc inde cessent usque ad terminum supradictum. Item expressim actum est quod neutra partium predictarum possit se intromittere de feudis alterius partis sub aliquo ingenio. Item actum est quod si Sismondus naturalis avunculus Comitis Manuelis faceret guerram de Varnono [5] vel aliquo alio loco, et Comes Manuel vel aliquis de parte predicta postquam incepisset guerram, sint extra treuguam, qui darent eidem consilium vel auxilium. Isti positi sunt in treugua pro parte Astensium, Civitas et homines Astenses cum tota terra et districtu, quam et quem tenent, Civitas et homines Taurinj cum tota terra et districtu quam et quem tenent, locus et homines Carij cum tota terra et districtu quam et quem tenent, domini et homines de plozascho [6] cum tota terra et districtu quam et quem tenent, locus et homines Fossani, Marchiones de Ceva, Marchio Salutiarum, dominus Jacobus de Careto et dominus Mainfredus de Careto, Manuel de Casteno [7] pro feudis que tenent a communi Astensi, seu tenere debent dicti Marchiones, si voluerint esse in dicta treugua, dominus Jacobus de Buscha, pro tota terra quam ipse tenet, excepto feudo quod tenet seu tenere debet a domino Comite predicto vel a comuni Albe, domini de Castronovo de Rivalba, domini de Montaldo [8] de Torexanna cives Astenses, domini Nicholaus [9] de Montaldo et Girbaudenghi, et domini de castronovo [10] de Rivalba si pro parte Astensium voluerint esse in treugua et dominus Oddo de Rosanna cum tota terra quam tenet. Isti autem positi sunt in treugua predicta pro parte domini Comitis supradicti, seu pro parte ipsius Archiepiscopi, nomine dicti domini Comitis, civitas et homines Albe, et locus et homines et habitatores Claraschi cum tota terra et districtu, quam et quem tenent, locus et homines et habitatores Cunei, et locus et homines et habitatores Savilliani, cum tota terra et districtibus quam et quos tenent, et omnia castra et ville et homines villarum que et quas dictus dominus Comes vel alij pro eo tenent, et specialiter castrum et villa et homines Corneliani [11], locus et homines Baenarum, dominus Manuel Comes de Blandrato et fratres eius, et homines eorum et tota terra et castra et territoria que ipsi tenent, Marchio Salutiarum,

[1] *invenerint.* — [2] Add. *et.* — [3] *eis.* — [4] Deest *et qualibet.* — [5] *Varono.* — [6] *ploz.* — [7] *Castano.* — [8] Deest *De Montaldo.* — [9] Deest *Nicholaus.* — [10] *castro.* — [11] *Cornaliani.*

Marchiones[1] Ceve et dominus Jacobus de Careto, pro feudis que tenent seu tenere debent a dicto domino Comite vel a communi Albe, si ipsi Marchiones esse voluerint in dicta treugua, Marchiones de Cravesanna et homines eorum cum tota terra quam tenent, dominus Albensis Episcopus et eius homines cum castris villis et tota terra quam tenet, dominus Abbas Bremetensis cum tota terra quam tenet ab Ast superius, dominus Abbas sancti dalmacij de Burgo cum hominibus suis et terra ipsius Monasterij quam tenet, domini de Burgomalo et eorum homines et tota terra quam tenent, excepto de feudo si quod tenent seu tenere debent a communi Astensi, domini de Montaldo de Astisio et homines eorum cum tota terra quam tenent, scilicet domini Anselmus, Jacobus, Rufinus, Matheus et Nicholaus et filij eius, Girbaudengi, si ipsi Girbaudengi esse voluerint in dicta treugua pro parte dicti domini Comitis, dominus Jacobus de Buscha et fratres, pro feudo quod tenent seu tenere debent a dicto domino Comite vel a communi Albe, hoc acto specialiter et expressim inter partes predictas in dicta treugua, quod si dicti Marchiones de Buscha, cum requisiti fuerint pro parte domini Comitis vel eius procuratorum vel procuratoris ut faciant et iurent fidelitatem dicto domino Comiti, et cognoverint ipsi procuratores domini Comitis, quod predicti Marchiones de Buscha, fidelitatem facere debeant ipsi domino Comiti, Noluerint ipsam fidelitatem facere, tunc comune Astense infra duos dies postquam ipsi communi vel potestati Astensi fuerit pro parte procuratorum seu procuratoris ipsius domini Comitis nunciatum, teneantur et debeant concedere ipsis procuratoribus seu nuncijs domini Comitis, alterum de hjs duobus, scilicet quod ipsi procuratores et homines domini Comitis possint ad eorum voluntatem et licite facere guerram et offensas in feudo supradicto, et ipsum feudum capere a quocumque detineatur vel in aliam terram, et homines dicti domini Jacobi et fratrum, que non sit de feudo communis Astensis, et specialiter in Cossano et Rocheta ita quod comune et homines Ast, se inde non debeant intromittere, nec eis aliquod consilium vel iuvamen prestare in predictis. Item domini de Summarippa paerni[2] et eorum homines cum tota terra quam tenent ipsi vel alius pro eis, Excepto quod non sint, nec esse intelligantur in dicta treugua, cum domino Ottone de Roxanna, sed cum omnibus alijs partis Astensium, sint in treugua, et dictus dominus Otto non sit nec esse intelligatur cum ipsis dominis Summerippe, sed cum omnibus alijs partis domini Comitis sit in treugua, Et si domini Summerippe primo offenderent dictum dominum Ottonem, comune Ast possit eum iuvare ad defendendum in terra ipsius domini Ottonis et non aliud, Et homines dicti domini Comitis vel aliqui de parte eius non debeant se intromittere de ipsa guerra, Et versa vice si dominus Otto predictus, primo offenderet dictos dominos Summerippe, comune Albe et alij homines dicti domini Comitis possint eos iuvare ad defendendum in terra ipsorum et non aliud, Et comune et homines Ast vel aliqui de parte Astensi non debeant se intromittere de ipsa guerra, Et si contingeret dictos dominos Summerippe postquam semel offendissent dictum dominum Ottonem vel in terra ipsius transire per terram Astensem versus terram dicti domini Ottonis, liceat comuni et hominibus Ast et sue partis ipsos dominos Summerippe offendere in terra ipsorum Astensium ad eorum voluntatem. Item

[1] *Marchio.* — [2] *paterni.*

electi sunt arbitri pro parte domini Comitis dominus Frederichus Zacharengus, pro parte vero Astensium, dominus Thomas de Becharijs, tercius autem et medius dominus Abbas Casenove, qui erit tempore questionis vel questionum mote vel motarum, Et si aliquis Abbas non esset ibi tunc temporis, sit arbiter medius ille qui hactenus proxime fuit Abbas Casenove, Et si aliqua questio occasione dicte treugue vel occasione aliquarum offensionum factarum vel damnorum datorum mota fuerit inter dictas partes vel inter aliquos ipsarum partium dicti arbitri debeant de ea cognoscere et eam difinire infra mensem unum postquam questio mota fuerit de plano remota omni solemnitate iudiciorum, et infra dies quindecim post questionem finitam, fieri debeat executio de eo quod fuerit pronunciatum, ita quod duo ex predictis arbitris, scilicet predicti domini Thomas et Frederichus possint etiam sine tercio arbitro cognoscere et difinire si concordes fuerint. Item actum est quod dominus Comes predictus debet confirmare dictam treuguam per suas literas patentes, quas literas habeat comune Astense usque [1] pasca. Consilia autem predictorum omnium locorum [2] teneantur iurare confirmare approbare et promittere, et domini si aliqui sunt domini dictorum locorum et unus in parlamento cuiuslibet loci in animam omnium ipsius loci. Item actum est inter partes predictas, quod si offense darentur ab hodie in antea per ipsas partes vel aliquem ipsarum partium, vel a die crastina in antea per aliquos beruarios, debeat per partem a qua offenderetur emendari. Predictam autem treuguam et omnia et singula suprascripta promiserunt dictus dominus Archiepiscopus pro se et pro Seneschalco superius nominato vice et nomine domini Comitis supradicti et pro ipso domino Comite et pro omnibus de parte eius superius nominatis ex una parte, et supradicti potestas Astensis et Sapientes cum eo existentes vice et nomine comunis Astensis et pro ipso communi Astensi et pro omnibus de parte eorum superius nominatis ex altera, promiserunt adinvicem una pars alteri attendere et observare et non contravenire nec contrafacere ullo modo [3] in aliquo de predictis sub pena millequingintarum Marcharum argenti ab utraque parte alteri parti adinvicem stipulanti promissa, et solvenda a parte non observante parti observanti, Ratis semper et in suo robore duraturis, treugua predicta et omnibus [4] et singulis supradictis. Pro predicta autem pena et pro omnibus [4] et singulis supradictis attendendis et observandis obligaverunt adinvicem una pars alteri omnia sua bona, et non intelligatur dicta treugua fracta [5] seu rupta esse si offensio facta fuerit per aliquos homines singulares de parte, dum tamen inde fieret restitutio secundum quod pronunciatum esset per arbitros supradictos. Isti iuraverunt dictam treuguam pro parte Comitis supradicti, domini Guillelmus porcellus, Jacobus Gantellinus, Bertramus de Aleno, petrus Ugo de Vigono, Guillelmus Amorani, Petrus Bertramus et Bollega [6] omnes milites provincie. Et inde dicti potestas et sapientes Astenses pro comuni Astensi, et dictus Archiepiscopus pro dicto [7] Comite provincie unum et plura instrumenta unius et eiusdem tenoris fieri preceperunt, quorum hoc est factum pro comuni Astensi. Actum in posse Castagneti [8], interfuerunt testes dominus Sardus de drua, palmerius Capo [9], Thomas Alferius et dominus Frederichus Zacharengus.

[1] Add. *ad.* — [2] Deest *locorum.* — [3] Add. *vel tempore.* — [4-4] Haec verba desunt. — [5] *facta.* — [6] *de bologa.* — [7] *domino.* — [8] *Castagniti.* — [9] *Cazo.*

Et ego Berrardus de Cazalupa notarius pallatinus interfui et precepto dictorum potestatis et sapientum sic scripsi.

945. *De treugua facta inter comune Ast ex una parte et dominum Seneschallum provincie pro dicto domino karolo tunc Rege Sicilie et Comite dicte provincie ex altera.* 1266. 14 Augusti[1].

In nomine domini nostri Yhesu Christi amen[2] Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimosexto, Indictione nona die sabbati quartodecimo mensis Augusti. Actum Albe in domo fratrum minorum presentibus testibus ad hec vocatis et rogatis, domino fratre Symone Episcopo Albensi, domino Bonefacio Marchione de Cravesana, domino Guillelmo Marescoto, domino Johanne Jordano, Andrea de portu, domino Raymondo Ysnardo, domino Truando milite, et domino Ysnardo de Antravenis[3], quorum presentia nobilis vir dominus Guillelmus Stendardus miles Seneschallus Provincie et Folchalcherij et in partibus lombardie pro Illustri domino Karolo dei gratia Rege[4] Sicilie, Andagavie, provincie et Folchalcherij Comite, ac domino Albe, Claraschi, Cunei Savilliani, Montisregalis et districtuum eorundem, nomine et vice prefati domini Regis et Vassalorum et coadiuctorum ipsius, quorum Vasallorum et coadiuctorum, nomina inferius continentur, de cuius domini Seneschalli officio et potestate constat per literas patentes sigillis prefati domini Regis pendentibus sigillatas, quarum tenor talis est[5]. Karolus dei gratia Rex Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Alme Urbis Senator, Andagavie, Provincie et Folchalcherij Comes, Universis per provincie[6] ac Folchalcherij Comitatus nec non per terras[7] nostras lombardie constitutis fidelibus nostris gratiam nostram et bonam voluntatem, de discretione ac legalitate Guillelmi dicti Estendardi dilecti fidelis nostri plenam fiduciam obtinentes, ipsum Seneschallum nostrum tam in Comitatibus nostris Provincie et Fulchalcherij, quam in terris, quas tenemus in partibus lombardie tenere presentium duximus statuendum, Ideo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus eidem Guillelmo tanquam Seneschallo a maiestate nostra constituto in omnibus que ad Seneschalli officium pertinent pareatis humiliter et efficaciter intendatis. Nos enim penas et banna que tulerit ratas habebimus atque firma. Datum Capue per manum Roberti de Barro magne regie curie nostre prothonotarij, terciodecimo Madij, none Indictionis, Regni nostri anno primo, ex una parte, Et dominus henricus Alferius sindicus actor et procurator communis Astensis, de cuius sindicatu et procura constat per publicum instrumentum factum per Mellanum Grillum notarium Anno domini M°CCLXVI°, Indictione nona die martis, vicesimo secundo mensis Junij nomine et vice comunis Astensis et hominum de districtu Astensi et Vasallorum et coadiuctorum ipsius communis Astensis, quorum Vasallorum et coadiuctorum nomina inferius denotantur ex altera parte, habito tractatu super treuguis faciendis inter predictas partes, Treuguas bona fide et bona voluntate fecerunt ordinaverunt et promiserunt inter sese vicissim nominibus quibus

[1] Documentum hoc iterum occurrit in Codice, servata itaque sola inscriptione suo loco ad N. 973 lectiones varias hic afferemus. — [2] Haec verba desunt. — [3] *Intravenis.* — [4] Deest *Rege.* — [5] Litteras quae sequuntur ex ipso Codice nostro transcripsit edididque J. Ficker, *Forschungen* etc. cit. Vol. IV. pag. 454. N. 447, cuius lectio nil differt a nostra. — [6] *provinciam.* — [7] *literas.*

supra, quas integre observare vicissim promiserunt usque ad tres Annos videlicet a festo beate Marie de medio Augusto proxime venturo usque ad tres annos proxime sequentes completos, Promittentes adinvicem quod ab altera ipsarum partium quilibet pro sua parte non sustinebunt nec permittent offensas fieri alteri parti usque ad predictum terminum Ullo modo secundum modum et formam pactorum et conventionum habitorum et habitarum in treuguis alias factis et habitis seu prorogatis [1] inter nobilem virum dominum petrum de Vicinis quondam Seneschallum provincie et Folchalcherij, et Raymondum Ysardum [2] Seneschallum in partibus Lombardie, nomine et vice prefati domini Regis Karoli, qui tunc temporis appellabatur Comes Andagavie Provincie et Folchalcherij et Marchio Provincie ex una parte, et dominum Fornarium Caresetum [3] tunc potestatem populi Astensis et dominum Thomam de Becharijs et dominum Obertum de platea ac dominum Thomam Machallufum sindicos et procuratores communis Astensis nomine ipsius communis ex altera, de quibus pactis conventionibus et treuguis facta fuerunt pubblica instrumenta per Guillelmum de Strata de Alba notarium et per Mellanum Grillum de Ast notarium Anno domini MCCLXIII.° Indictione VI^a^ die martis XVII° Julij, In quibus treuguis presentibus, Ipsi domini Guillelmus Estendardus ex una parte, Et dominus henricus Alferius ex altera nomine predicto confirmaverunt approbaverunt et ratificaverunt omnia pacta in ipsis treuguis et instrumentis ex inde factis scripta et comprehensa, et ea omnia promiserunt firmiter observare, quorum pactorum et conventionum tenor talis est videlicet, quod una pars vel aliqua predictarum seu aliquis de partibus supradictis non faciat nec fieri faciat nec alicui facienti seu facere volenti consenciat ullo modo nec ulla de causa usque ad terminum seu terminos supradictos offensionem aliquam alteri parti, nec alicui de altera parte in personis vel rebus aliqua ingenij subtilitate nec fieri permittat in quantum prohibere possit. Item quod omnes presonerij utriusque partis, et qui capti sunt per aliquos qui sint in treugua, exceptis illis qui capti sunt per beroarios, debeant manulevari et relaxari sub ydonea cautione. Promiserunt insuper supradicti provinciales se facturos et curaturos bona fide usque ad mediam quadragesimam proxime venturam, quod Maroni de Ast videlicet Obertus et Rufinus, qui detinentur per dictum dominum Comitem vel eius nuncios ultra montes vel alibi permittantur a domino Comite predicto vel eius nuncijs sive ab illis, qui eos tenent manulevari et relaxari usque ad mediam quadragesimam proxime venturam sub ydonea cautione facienda citra montes per homines speciales, vel ultra montes per comune Astense, data predicto domino Comiti electione de dicta manulevatione facienda modo supradicto ultra montes vel citra montes, Quod quidem si dicti provinciales procurare et facere poterunt cum effectu, tam dicti Maroni quam omnes alij presonerij utriusque partis, exceptis captis per beroarios ut predictum est, permaneant manulevati usque ad terminum seu terminos treuguarum. Si vero provinciales predicti effectualiter hoc quod supradictum est non poterunt adimplere usque ad mediam quadragesimam proxime venturam, tunc omnes presonerij utriusque partis manulevati [4], teneantur et debeant redire ad carceres, Et treugua predicta in omnibus alijs eius capitulis nichilominus in sua permaneat firmitate, et sub proxima predicta

[1] *prolongatis.* — [2] *Ysnardum.* — [3] Deest *Caresetum.* — [4] *manulevari.*

condictione fiant manulevationes presonariorum utriusque partis. Item quod supradictus dominus Comes seu eius vices gerentes vel alius pro eis non possit nec debeat aliquid acquirere de hjs que comune vel homines Astenses tenent, seu que tenentur ab ipso communi nec de hjs[1] nec de bonis eorum qui in treugua predicta sunt pro parte Astensium inferius nominati scilicet de eo pro quo positi sunt in treugua, Nec Astenses econverso possint aliquid acquirere de hjs nec de bonis eorum qui in treugua predicta positi sunt pro parte domini Comitis supradicti scilicet de eo pro quo positi sunt in treugua, nec de hjs que dictus dominus Comes vel alius pro eo seu homines Albe, Claraschi, Cunei Savilliani et Montisregalis, vel alij homines ipsius domini Comitis tenent[2]. Item[3] si contingeret quod aliqui beroarij vel cavalcatores seu alij malefactores moverent[4] de civitate castro vel villa aliqua quam Astenses vel aliqui illorum qui positi sunt in treugua predicta pro parte Astensium teneant, vel de aliquo loco qui pro eis positus sit[5] in treugua vel de aliquo alio loco posito in treugua in quo Astenses vel aliqui de parte eorum dedissent eis auxilium vel iuvamen, et damnum dederint vel offensam fecerint in terra domini Comitis supradicti vel quam teneat sive alius illorum qui positi sunt pro parte ipsius domini Comitis in treugua predicta, vel reduxerint offensa facta vel preda capta in terra predicti domini Comitis vel quam teneat, sive illorum qui pro parte eius positi sunt in treugua in terram Astensium sive Illorum qui pro parte Astensium positi sunt in treugua predicta, teneantur commune et homines Astenses offensam factam et damnum datum emendare sive emendari facere damnum passo ad extimationem arbitrorum qui super hoc ab ipsis partibus sunt electi, Et hoc infra dies xv postquam ipsa questio fuerit per ipsos arbitros vel maiorem partem ipsorum difinita seu terminata. Idem intelligatur si aliqui beroarij cavalcatores seu alij malefactores damnum darent vel offensam facerent durante treugua predicta alicui vel aliquibus hominibus dicti domini Comitis vel eorum qui positi sunt in treugua predicta pro parte ipsius domini Comitis in terra ipsorum Astensium vel alicuius eorum[6], qui positi sunt pro eis in treugua predicta. Versa vice si contingeret quod aliqui beroarij vel cavalcatores seu alij malefactores moverent de civitate[7] castro vel villa aliqua, quam dominus Comes predictus vel aliqui illorum qui positi sunt in treugua predicta pro parte ipsius domini Comitis teneant, vel de aliquo loco qui pro parte ipsius positus sit in treugua predicta, et damnum dederint vel offensam fecerint in terram Astensem vel illorum qui positi sunt in treugua pro parte Astensium, vel de aliquo loco posito in treugua in quo ipse Comes vel aliqui de parte ipsius dedissent eis auxilium vel iuvamen et damnum dederint vel offensam fecerint in terram Astensem vel illorum qui positi sunt pro parte Astensium in treugua predicta redirent offensa facta vel preda capta in terra predictorum Astensium sive illorum qui pro parte ipsorum positi sunt in treugua in terram domini Comitis sive illorum qui pro parte eius positi sunt in treugua predicta, teneatur dominus Comes offensam factam et damnum datum emendare seu emendari facere, damnum passis ad extimationem arbitrorum qui super hoc ab ipsis partibus sunt electi, Et hec infra dies xv, postquam questio ipsa fuerit per ipsos

[1] Deest *nec de hjs.* — [2] Add. *nec de hjs que ab eis tenentur.* — [3] Add. *quod* — [4] Add. *se.* — [5] *positi sunt.* — [6] *illorum..* — [7] *moverent se de civitate Astensi.*

arbitros vel maiorem partem ipsorum difinita et determinata [1]. Idem intelligatur si aliqui beroarij vel cavalcatores seu alij malefactores damnum darent vel offensam facerent durante treugua predicta alicui vel aliquibus hominibus Astensibus vel illorum [2] qui positi sunt in treugua pro parte ipsorum Astensium in terram domini Comitis vel alicuius illorum qui positi sunt in treugua predicta pro parte ipsius, hoc acto specialiter in predictis quod omnes illi qui positi sunt in treugua per aliquam partium predictarum, et homines omnium locorum qui positi sunt in treugua predicta iurare debeant quod non receptabunt aliquos beroarios cavalcatores seu malefactores, qui offenderent seu offendere vellent vel qui etiam offendissent durante treugua alteram [3] partem, vel aliquem de altera parte [4], sed eos fugabunt et capient pro posse suo, et predam eis auferrent si contingeret eos per terram et posse eorum cum predicta preda transire. Item quod omnes homines positi in treugua per aliquam dictarum partium vel homines omnium locorum predictorum in dicta treugua positorum debeant similiter iurare, quod dictam treuguam bona fide attendent et observabunt et [5] ea que continentur in ipsa treugua, Et quod non dabunt consilium nec auxilium ullo modo aliquibus malefactoribus vel offensoribus seu beroarijs, qui offenderent vel offendere vellent in terram alicuius partis, vel alicuius illorum qui per alteram partem positi sunt in treugua, ymmo pro posse suo impedient et disturbabunt. Et si aliqui malefactores beroarij vel offensores damnum dedissent vel offensam fecissent in terram alterius partis vel alicuius illorum qui pro altera parte positi sunt in treugua durante treugua, quod ipsi non recipient eos in terram suam et quam ipsi tenent nec in terram illorum qui in treugua pro eis sunt durante treugua nisi prius damnum emendassent, ymmo eos capient si poterunt et si eos invenerint in terra sue partis eos compellent ad faciendum emendam damni per eos dati, vel eos restituent [6] damnum passis, et hoc infra dies quindecim postquam eos ceperint. Item quod quilibet de utraque et qualibet parte possit ire et redire et stare durante dicta treugua ad suam voluntatem per terras et loca utriusque partium predictarum salve et secure in personis et rebus tam citra montes quam ultra montes, et Bonefacius dives et Mitre eius frater [7] similiter. Item quod si aliqua partium predictarum moveret questionem vel guerram vel offensionem faceret alicui vel aliquibus, quos in treugua predicta posuisset pro parte sua durante dicta treugua, altera pars nec aliquis de altera parte se inde non debeat iutromittere nisi predicta questio moveretur vel guerra fieret in feudo vel super feudo seu occasione feudi quod teneretur vel teneri debetur [8] ab adversa parte. Item actum est in predictis specialiter et expressim inter dictas partes quod cambia et pignorationes occasione laudum hinc inde cessent usque ad terminum supradictum. Item expressim actum est quod neutra partium predictarum possit se intromittere de feudis alterius partis sub aliquo ingenio. Item actum est, quod si Sysmondus naturalis patruus Comitis Manuelis faceret guerram Astensibus vel alicui de parte eorum de Varnono [9] vel de aliquo alio loco, et Comes Manuel vel aliquis de parte domini Comitis provincie postquam incepisset guerram daret eidem Sysmondo consilium aut juvamen, sit extra treuguam qui daret ei consilium aut juvamen. Isti positi sunt in treugua

[1] *terminata.* — [2] *illis.* — [3] *aliquam.* — [4] *aliqua partium predictarum.* — [5] Deest *et.* — [6] *ad restituendum.* — [7] Add. *cives Astenses.* — [8] *deberet.* — [9] *Variono.*

predicta pro parte Astensium, Civitas et homines Astenses cum tota terra et districtu quem et quam tenent, civitas et homines Taurinj cum tota terra et districtu, quem et quam tenent [1], domini et homines de plozascho [2] cum tota terra et districtu quam et quem tenent, locus et homines Fossani [3], Marchiones de Ceva, Marchio Salutiarum, dominus Jacobus de Careto, dominus Maynfredus de Careto, Manuel de Casteno [4] pro feudis que tenent seu tenere debent a communi Astensi dicti Marchiones, si voluerint esse in dicta treugua, dominus Jacobus de Buscha, pro tota terra quam ipse tenet, excepto feudo quod ipse tenet seu tenere debet a domino Comite predicto vel a comuni Albe, domini de Castronovo de Rivalba, domini de montaldo de Torexana cives Astenses, Filij domini Nicholai de Montaldo quondam, Girbaldengi si pro parte Astensi voluerint esse in treugua, et dominus Otto de Roxana cum tota terra quam tenet, dominus Astensis Episcopus, cum tota terra quam tenet in Astisio et cum castris [5] Vici veteris, turris Montis Alti de Montaneis et Rubruenti [6], et de eo quod tenet, si quid nunc tenet in Plocio sit in treugua predicta pro parte Astensi, hoc acto expressim inter dictas partes, quod dictus dominus Episcopus per se vel suos nuncios habeat et percipiat pacifice et quiete fructus terrarum et possessionum et mollandinorum quas et que habet in castris et territorijs turris Montisalti predicti, Rubruenti [7] et villa et territorio Freabolze, et in Baenis et plocio et eorum territorijs, et habeat et percipiat ficta, terciam et quartam [8] decimas dricta et alios redditus quos Astensis Episcopus seu Astensis ecclesia in dictis castris et territorijs eorumdem habere debet seu habere consuevit, Exceptis potestaria contitu jurisdictione et regimine dictorum hominum, et in hominibus et territorijs dictorum locorum, que jurisdictio contitus et potestaria et regimen dictorum hominum et locorum remaneant penes dictum Comitem et eius nuncios. Eodem modo habeat et percipiat dictus dominus Episcopus medietatem fructuum et reddituum terrarum et possessionum mollandinorum et furnorum drictorum fictorum [9] et decimarum [10], quos et quas idem dominus Episcopus habere et percipere debet seu habere et percipere consuevit in villa et territorio sancti Albani, Alia vero medietas fructuum et reddituum predictorum sancti Albani cum castro villa et jurisdictione contitu potestaria et regimine in hominibus et territorio dicti loci remaneat et remanere debeat penes dictum dominum Comitem, vel eius nuncios. Que autem dicta sunt de redditibus castris contitu et jurisdictione potestaria et regimine predictis, locum habeat [11] usque ad terminos treuguarum predictos. Hoc addito etiam in predictis specialiter et expressim, quod illi qui fuerint in regiminibus et baylijs locorum supradictorum [12] pro dicto domino Comite teneantur et debeant dari facere dicto domino Episcopo et eius nuncijs redditus supradictos, ab omnibus [13] illis qui dare debuerint sine forma cause et strepitu iudiciorum infra dies decem postquam inde fuerint requisiti. Item Abbas et Monasterium Bremetense de toto eo quod habet extra jurisdictionem et poderium dicti domini Comitis sit in treugua predicta pro parte Astensi, Et percipiat et percipere debeat et possit per aliquem clericum seu

[1] Add. *locus et homines Carij cum tota terra et districtu quam et quem tenent.* — [2] *Plocascho.* — [3] Add. *cum tota terra et districtu quam et quem tenent.* — [4] *Castano.* — [5] Deest *et cum castris.* — [6] *Rubilenti.* — [7] *Rubilenti.* — [8] *tercias, quartas.* — [9] *fictuum.* — [10] Add. *rosiarum.* — [11] *habeant.* — [12] *predictorum.* — [13] Add. *hominibus.*

monachum, vel per alium eius nuncium vel nuncios laycos in pollencio et territorio pollencij redditus spirituales et spiritualibus anexos tantummodo. Isti autem positi sunt in treugua predicta pro parte domini Comitis supradicti, civitas et homines Albe cum tota terra et districtu quam et quem tenent[1], locus et homines et habitatores claraschi[2] cum tota terra et districtu quam et quem tenent, locus et homines et habitatores Cunei[3], locus et homines et habitatores Savilliani cum tota terra et districtibus[4] quam et quos[5] tenent, Et omnia castra ville et homines villarum quas que et quos dictus dominus Comes vel alius pro eo tenet, et specialiter castrum et villam et homines Cornalliani, locus et homines Montisregalis cum tota terra et districtu quam et quem tenent, ville et homines Turris[6] Montisalti de Montaneis et Rubruenti et Freabolze[7], salvis castris, et redditibus supradictis Astensi Episcopo, sicut supradictum est. Et eo addito quod dictus dominus Comes per se et quoslibet eius nuncios habeat et percipiat et habere et percipere possit et debeat omnes redditus et proventus olim ad Astensem ecclesiam seu Episcopum pertinentes in dicta villa et territorio Montisregalis pacifice et quiete, exceptis spiritualibus et spiritualibus[8] annexis, et locus et homines Baenarum, dominus Comes Manuel de Blandrato et fratres eius et homines eorum et tota terra et castra et territoria que ipsi tenent, Marchio Saluciarum, Marchiones Ceve et dominus Jacobus de Careto pro feudis que tenent seu tenere debent dicti Marchiones a dicto domino Comite vel a communi Albe, si ipsi Marchiones esse voluerint in dicta treugua, Marchiones de Cravesanna et eorum homines cum tota terra quam tenent, dominus Albensis Episcopus et eius homines cum castris et villis et tota terra quam tenet, domini Jacobus et Maynfredus de Buscha fratres pro feudo quod tenent seu tenere debent a dicto domino Comite vel a comuni Albe, Abbas Bremetensis de eo quod tenet in terra et districtu domini Comitis, dominus Abbas sancti dalmacij de Burgo cum hominibus suis omnibus et terra ipsius Monasterij quam tenet, domini de Burgomalo et homines eorum et tota terra quam tenent, excepto feudo si quod tenent seu tenere debent a communi Astensi, domini de Montaldo de Astesio[9] et homines eorum cum tota terra quam tenent, scilicet domini Anselmus Jacobus Rufinus Matheus et filij domini Nicholaj quondam, Girbaldengi, si ipsi Girbaldengi esse voluerint in dicta treugua pro parte dicti Comitis. Item domini et homines de Moreta cum tota terra et districtu quam et quem tenent. Item domini[10] de Summarippa paerni[11] et eorum homines cum tota terra quam tenent ipsi vel aliquis alius pro eis, Excepto quod non sint nec esse intelligantur in dicta treugua cum domino Ottone de Roxiana[12], sed cum omnibus alijs pro parte Astensi sint in treugua cum ipsis dominis Summeripe[13], sed cum omnibus alijs partis domini Comitis[14] sit in treugua, Et si domini Summeripe primo offenderent dictum dominum Ottonem comune Ast possit eum iuvare ad defendendum in terra ipsius domini Ottonis et non ad aliud, et homines dicti domini Ottonis vel aliqui de parte eius non debeant se intromittere de ipsa guerra. Et versa vice si

[1] *tenet.* — [2] *Cayraschi.* — [3] Deest *locus et homines et habitatores Cunei.* — [4] *districtu.* — [5] *quem.* — [6] Deest *Turris.* — [7] *Montalti de Montuneis et Rubilenti et Freaboze.* — [8] *eis.* — [9] *Astisio.* — [10] Add. *et homines.* — [11] *paterni.* — [12] *Roxana.* — [13] Deest *cum ipsis dominis Summeripe.* — [14] Add. *dictus dominus.*

dominus Otto predictus primo offenderet dictos dominos Summeripe, comune Albe, et alij homines dicti domini Comitis possint eos iuvare ad defendendum in terra ipsorum et non ad[1] aliud, et comune et homines Astenses vel aliqui de parte Astensi[2] non debeant se intromittere de ipsa guerra. Et si contingeret dictos dominos Summeripe postquam semel[3] offendissent dictum dominum Ottonem vel in terra ipsius, transire per terram Astensem versus terram dicti domini Ottonis liceat communi et hominibus de Aste et sue partis ipsos dominos Summeripe offendere in terra ipsorum Astensium ad eorum voluntatem. Item dominus Brunus Bonefacius et henricus de Moreta, Guilelmus de Septimis de Moreta, et alij domini de Moreta, et eorum homines cum tota terra et districtu et villis quem et quas tenent, quilibet eorum si voluerit sit in dicta treugua, Eo salvo quod si noluerint esse in treugua cum loysio de Troya et fratribus et alijs de Troia civibus Astensibus, non sint in treugua cum illis, sed cum communi Astensi et omnibus alijs de parte Astensi sint in treugua, et predicti de Troia non sint in treugua cum predictis de Moreta, sed cum omnibus alijs de parte domini Comitis sint in treugua, Tali modo quod predicti de Troia non possint nec debeant guerram vel offensionem facere predictis de Moreta nec hominibus seu terre eorum nisi de Castro et villa Caburri de plano, nec comune Astense vel aliquis qui sit in treugua pro parte Astensi exceptis predictis de Troia tantum, non possit nec debeat[4] dare in predictis ipsis de Troia auxilium vel iuvamen ullo modo, Et versa vice predicti de Moreta, non possint nec debeant facere guerram vel offensionem predictis de Troya vel eorum coadiuctoribus nisi de eorum terra et villis, quas tenent, et dominus Comes vel aliquis de parte eius non possit nec debeat predictis de Moreta in predictis dare auxilium, vel iuvamen. Item promiserunt dicti provinciales nomine dicti domini Comitis et Senescalli sese pro posse facturos et curaturos quod dominus Comes provincie procurabit quod dominus Rex Francie concedet hominibus de Ast, literas de securo conductu in personis et rebus per totum regnum Francie quam diu durabunt treugue predicte. Item actum est inter partes predictas, quod si aliquis positus in treuguis per aliquam partium recusaverit esse in treugua predicta hinc usque ad mensem unum proximum hoc notificando adverse parti sit extra treuguam, et extra treuguam predictam esse intelligatur. Item si tempore treuguarum preteritarum aliqua offensio facta fuit, vel aliquid ablatum fuit alicui qui esset in treuguis predictis, vel factum contra treuguam quod fiat restitutio secundum sentenciam arbitrorum. Item actum est inter partes quod si offense vel damna darentur ab hodie et ex nunc in antea per ipsas partes vel aliquam ipsarum partium vel a die iovis proxime ventura in antea per aliquos beroarios debeat per partem a qua offenderetur emendari. Item actum est quod dominus Comes predictus debet confirmare dictam treuguam per suas literas patentes, quas literas habeat commune Astense usque pascha, Consilia autem predictorum locorum omnium teneantur iurare treuguam confirmare et approbare et promittere, et domini si aliqui sunt domini dictorum locorum et[5] unus in parlamento cuiuslibet loci in animam omnium ipsius loci. Item electi sunt arbitri pro parte domini Comitis dominus Fredericus

[1] Deest *ad.* — [2] Deest *vel aliqui de parte Astensi.* — [3] Deest *semel.* — [4] *possint vel debeant* — [5] Deest *et.*

Zacherengus, pro parte vero Astensium dominus Thomas de Becarijs. Tercius autem et medius Abbas Casenove qui erit tempore questionis vel questionum mote, vel motarum, et si abbas non esset ibi tunc temporis, sit arbiter medius ille qui hactenus proxime fuit Abbas Casenove, Et si aliqua questio esset occasione dicte treugue vel occasione aliquarum offensionum factarum vel damnorum datorum[1] inter dictas partes vel inter aliquos ipsarum partium dicti arbitri debent[2] de ea cognoscere de plano remota omni solemnitate judiciorum, et eam difinire infra mensem unum postquam questio mota fuerit, et infra dies quindecim post questionem finitam fieri debeat executio de eo quod fuerit pronunciatum, ita quod duo ex predictis arbitris scilicet predictus dominus Thomas et Fredericus possint etiam sine tercio arbitro cognoscere et difinire si concordes fuerint. Predictam autem treuguam et omnia et singula suprascripta promiserunt suprascripti Provinciales vice et nomine supradicti Comitis provincie et domini Seneschalchi et pro ipso domino Comite et pro omnibus de parte eius superius nominatis ex una parte, et predicti sapientes Astenses vice et nomine communis Astensis et pro ipso comuni Astensi et pro omnibus de eorum parte superius nominatis ex altera, promiserunt ad invicem una pars alteri attendere et observare et non contravenire, nec contrafacere ullo modo in aliquo de predictis sub pena Millequingintarum Marcharum argenti ab utraque parte alteri parti adinvicem stipulanti promissa, et solvenda a parte non observante parti observanti, Ratis semper et in suo robore duraturis treugua predicta in omnibus alijs et singulis supradictis. Pro predicta autem pena et pro omnibus et singulis supradictis attendendis et observandis ad invicem obligaverunt una pars alteri omnia sua bona. Et non intelligatur dicta treugua fracta seu rupta esse, si offensio facta fuerit per aliquos homines singulares de parte, dum tamen inde fieret restitutio secundum quod pronunciatum esset per arbitros supra dictos. Isti juraverunt treuguam pro parte domini Comitis et attendere et observare omnia et singula supradicta et dare operam bona fide ut attendantur et observentur dominus Jacobus Gantellinj, dominus Arnaldus de Villanova, dominus Gimanus[3] de Symiana, dominus Ugo Stacha, dominus Guilelmus de Mioglano, dominus Bartacius de Bartracio[4] et dominus poncius de lambusco. Isti autem iuraverunt treuguam pro parte Astensi dominus Obertus de platis, dominus Rufinus Garetus, dominus Bonefacius de Rippa, dominus Guilelmus Gohomondus[5], dominus henricus Alferius, dominus Guilelmus Gardinus et dominus Raymondus Asinarius et iuraverunt attendere et observare omnia et singula supradicta et dare operam bona fide ut attendantur et observentur. Actum in Confinio Tresij et Nevearum, ubi dicitur ad crucem Vallisgrande[6], presentibus testibus et rogatis domino Sardo de drua milite, domino Frederico Zacharengo et domino henrico Balduyno, Sysmondo Rapa et Odone Albrico, Et pacta facta super beroarijs compellendis et alijs capitulis quantum ad dictum dominum Comitem et suos homines et valitores, Ita tamen si dominus Comes haberet guerram cum alijs aliquibus quam cum Astensibus vel suis valitoribus quod possit tenere beroarios et se iuvare de eis, dummodo non offendant Astenses vel suos valitores, supradictos. Et eo[7] modo quod isti Astenses et eorum valitores et illi de parte

[1] Add. *mota fuerit.* — [2] *debeant.* — [3] *Symianus.* — [4] *Bartacio.* — [5] *Gomondus.* — [6] *Vallisgrandis.* — [7] *eodem.*

eorum si contingat eos habere guerram cum alijs personis, excepto dicto domino Comite et suis valitoribus et hominibus, quod possint tenere predictos beroarios et de eis se iuvare dummodo non offendant dominum Comitem supradictum nec suos homines nec aliquem qui sit in treugua predicta pro parte eius, secundum quod pacta supradicta continentur in instrumentis publicis factis per Jacobum justam de Cuneo publicum notarium, et per petrum Sellam supradictum vel alium notarium, Et ipsas treuguas de novo fecerunt et confirmaverunt usque ad festum Assumptionis beate Marie de medio Augusto proximum, et deinde a dicto festo usque ad tres annos proxime post sequentes in omnibus et per omnia sicut in dictis instrumentis plenius continetur nullo addito vel diminuto, Salvo eo quod si predicte partes concordarent de communi voluntate de aliquibus capitulis addendis et diminuendis vel mutandis, quod illi qui iurabunt et firmabunt dictam treuguam, et illi pro quibus iurabunt et firmabunt teneantur de additis [1] sicut de hjs que expressa sunt in supradictis treuguis et pactis, et de diminutis Absolvantur, Ita tamen quod valitores et omnes superius nominati, qui voluerint esse in dictis treuguis et pactis, debeant ipsas treuguas et pacta predicta iurare et confirmare a dicto festo beate Marie proxime venturo usque ad duos menses proxime subsequentes, alias essent [2] extra treuguam. Insuper dictus dominus Seneschallus Provincie et Folchalcherij promisit [3] dictis procuratoribus nomine potestatis et comunis Astensis et suorum hominum et valitorum se facturum et curaturum ita quod predictus dominus Comes confirmabit et ratificabit predicta omnia et singula per suas literas patentes et sigillatas sigillo suo pendenti, quas mittet dicto potestati Astensi vel alij pro comuni Astensi usque ad festum sancti Michaelis proxime venturum, Et quod vicarij et consiliarij Albe, Claraschi [4], Cunei, Saviglani et Montisregalis ac Baenarum predicta omnia ratificabunt confirmabunt et iurabunt, et in parlamento cuiuslibet dictorum locorum predicta confirmabuntur per homines parlamenti et unus iurabit in quolibet parlamento, super animas omnium et inde fiant carte. Versa vice, predicti dominus Fornarius, dominus Thomas de Becharijs, dominus Obertus de platis, dominus Thomas Machalufus nomine comunis Astensis promiserunt dicto domino Senescallo vice et nomine dicti domini Comitis et suorum hominum et valitorum supradictorum se facturos et curaturos ita quod potestas et consiliarij civitatis Astensis, Taurinj [5], Carij et Foxani [6] predicta omnia et singula confirmabunt iurabunt et ratificabunt, Et quod predicta omnia in publicis parlamentis cuiuslibet civitatis et locorum proxime predictorum confirmabuntur per homines parlamentorum predictorum et iurabuntur per unum in animabus omnium de parlamentis, et inde fiant carte. Et si Taurinenses et Carienses vel homines de Foxano vel aliqui alij valitores eorum iurare Noluerint predicta infra terminum predictorum duorum mensium sint extra treuguam, et comune de Ast pro eis non teneatur ad penam nec ad aliquid aliud, sed teneatur non dare eis consilium nec auxilium vel iuvamen. Eodem modo et forma si aliqui valitores dicti domini Comitis vel aliqui positi pro eo in treugua predicta infra terminum predictorum duorum mensium iurare Noluerint sint extra treuguam, et dominus Comes pro eis

[1] Add. *et diminutis.* — [2] *sint.* — [3] *proinde.* — [4] *Cayraschi.* — [5] *et Taurinj et terrarum.* — [6] *Fossani.*

non teneatur ad penam nec ad aliquid aliud, sed teneatur non dare eis consilium vel iuvamen que omnia ambe partes pro sese et pro supradictis promiserunt sibi ad invicem sub pena in dictis treuguis comprehensa attendere et observare secundum quod compromissum fuerat in alijs treuguis de quibus fit mencio ut supra sub obligatione omnium bonorum dicti domini Comitis et communis Astensis. Isti iuraverunt treuguam predictam pro parte domini Comitis supradicti, dominus Petrus de Vicinis, dominus delemogio, Senescallus provincie et Folchalcherij Serenissimi domini Karoli filij Regis Francie, Andagavie, provincie [1] et Folchalcherij Comitis et Marchionis provincie, Raymondus Ysardus [2], eiusdem domini Comitis seneschallus in partibus Lombardie, dominus Fulchus Arduynus Vicarius Albe, dominus Frederichus Zacharengus vicarius Savilliani, dominus Cunibertus Ogerius Vicarius Claraschi, dominus Brunacius et Jacobus paxierius [3] ambaxiatores Cunei, Guilelmus Falzonus et Guilelmus Bresianus [4] ambaxiatores Montisregalis. Pro parte communis Astensis iuraverunt isti dictam treuguam dominus Fornarius Caresetus, dominus Thomas de Becarijs, dominus Obertus de platis et dominus Thomas Machalufus, sindici et procuratores communis Astensis et cetera instrumenti treugue supradicte. Convenerunt insuper et promiserunt de novo in presentibus treuguis prefatus dominus Guilelmus Estendardus ex una parte nomine predicto et dominus henricus Alferius ex altera nomine predicto ut infra, quarum convencionum et promissionum de novo factarum tenor talis est. Item si aliqua offensio facta esset infra tempus treuguarum que modo sunt et que offensio esset contra formam treuguarum predictarum vel aliqua offensio fieret durantibus treuguis que debent fieri a sancta Maria de medio Augusto in antea ut supradictum est, fiat cognitio per arbitros electos a partibus secundum modum et formam treuguarum nunc existentium, et restitutio fiat parti damnum patienti per aliam partem secundum modum et formam treuguarum superius proxime dictarum post cognitionem factam per ipsos arbitros. Item quod vie et strate vadant et expedite dimittantur inter utranque partem, ita quod omnes et singuli homines de terra domini Regis predicti et alij, qui in predicta treugua sunt pro parte eius [5] possint ire stare redire salve et secure per civitatem Astensem et totam terram et districtum civitatis predicte, cum rebus et personis et omnibus mercimonijs quecumque sint sine aliqua prohibitione, que eis fieret vel fieri posset vel facta esset per aliquas personas non obstantibus aliquibus capitulis seu ordinamentis que fierent vel fieri possent seu facta sunt aliquo modo vel jure. Eodem modo et forma homines Astenses et eius districtus et posse, et illi qui positi sunt pro parte ipsorum in treugua possint facere per totam terram predicti domini Regis, Excepto regno Cicilie, principatus capue, ducatus Apulie, solvendo quelibet pars solomodo pedagia consueta, Salvis malefactoribus, in quibus servetur ordo juris et forma capitulorum factorum et faciendorum per quamlibet ipsarum partium in suo posse et districtu. In quibus locis scilicet regno scicilie, principatu capue et ducatu Apulie possint ire dicti Astenses et stare et redire salve et secure cum rebus et personis durantibus treuguis predictis solvendo pedagia et condictiones que imponerentur alijs hominibus, qui non haberent conventionem cum domino Rege de pedagijs et condictionibus qui uterentur in dicto regno, principatu et ducatu. Eo salvo

[1] Deest *provincie*. — [2] *Ysnardus*. — [3] *Paxerius*. — [4] *Brexanus*. — [5] Add. *posili*.

quod dictus dominus rex vel eius nuncij seu homines non debeant intrare cum armis in civitatem Astensem vel in aliquam villam seu castrum civitatis Astensis vel in alijs locis que pro ipsis positi sunt in treugua, ita fortes vel in tanta quantitate, quod ibi possent facere aliquam violentiam civitati Astensi seu alij [1] ville vel castro communis Astensis nec hospitando vel movendo de civitate castro vel villa vel terra communis et civitatis Astensis possint vel debeant offensionem facere in aliquam aliam terram vel in alios homines absque voluntate communis Astensis, nec reducendo se in civitate Astensi, locis villis et castris ac terra predictis preda capta vel offensione facta. Et versa vice commune vel homines Ast non possint nec debeant intrare cum armis in civitatem Albe vel in aliquam villam seu castrum predicti domini Regis ita fortes vel in tanta quantitate quod ibi possent facere aliquam violentiam civitati Albe seu alij ville vel castro dicti domini Regis, vel que pro eo posite sint [2] in treugua, nec hospitando vel movendo de civitate castro villa seu terra aliqua vel aliquo supradicti domini Regis possint vel debeant aliquam offensionem facere in aliquam aliam terram vel alios homines absque voluntate predicti domini regis vel nunciorum eius, nec reducendo se in civitate Albe locis villis et castris et terra predicti domini Regis preda capta vel offensione facta. Hoc acto inter eos quod si blava valeret infra tempus treuguarum communiter emina Astensi in posse Astensi solidos tres Astenses vel magis [3] solidorum trium Astensium, quod homines Astenses possent [4] ipsam blavam bannire et vetare ne duceretur ad terram domini Regis predicti dum ipsa blava valeret solidos tres vel supra pro emina in posse Astensi, Eo intellecto quod si aliquis homo vel homines domini Regis predicti emeret blavam aliquam sive granum extra iurisdictionem et posse Astensium, quod ille et illi qui eam vel illud emissent, possent eam et illud ducere absolute per terram et stratas a Maglano superius versus Albam solvendo pedagia consueta. Versa vice actum est quod si Emina Albensis de blava sive grano valeret communiter infra tempus treuguarum predictarum per posse Albe solidos tres vel magis solidorum trium Astensium, quod homines Albe et terra domini Regis possint ipsam blavam sive granum banire et vetare ne duceretur ad terram sive in terram Astensem dum Emina Albe valeret solidos tres vel supra. Eo intellecto quod si aliquis homo emeret blavam sive granum extra posse et jurisdictionem domini Regis, quod ille qui eam vel illud emisset possit eam et illud ducere absolute per terram domini Regis ad terram Astensem solvendo pro hjs pedagia consueta. Item quod castrum et villa Barbareschi homines Contitus et jurisdictio et turris et districtus ipsius loci ponatur in manibus et forcia domini Bonefacij Marchionis Cravexane nomine et vice domini Regis Karoli, secundum quod commune Albe [5] habebat in ipso castro [6] tempore quo comune Ast habuit ipsum castrum, Salvo quod de hedificijs diruptis in ipso castro et villa et de exactionibus factis a communi et hominibus Barbareschi per comune Astense, non teneantur ipsi Astenses, nec dominus Rex teneatur eis [7] de hedificatione vel hedificijs ibi factis, Tali pacto [8] et condictione quod si contingeret, quod treugue

[1] *alicui.* — [2] *vel qui pro eo positi sunt.* — [3] *plus.* — [4] *possint.* — [5] Add. *ipsum Castrum.* — [6] Deest *habebat in ipso castro.* — [7] Deest *eis.* — [8] *modo.*

frangerentur infra tempus trium annorum et cognitio et restitutio non fieret [1] secundum modum et formam treuguarum nunc existentium, si Remaneret per dictum [2] dominum Regem vel nuncios suos vel illos de parte sua, quod cognitio et restitutio non fieret de treuguis fractis [3] vel de hjs que fierent contra treuguas tunc dictus dominus Bonefacius teneatur et debeat restituere et dare ipsum castrum et villam in manibus communis Astensis. Eodem modo et versa vice si ex parte Astensi remaneret quod [4] cognitio et restitutio non [5] fieret de treuguis fractis et de hjs que fierent contra treuguas teneatur dictus dominus Bonefacius dare et reddere predictum castrum Barbareschi cum pertinencijs in manibus predicti domini Regis vel nunciorum suorum, Et finitis [6] et observatis [7] treuguis predictorum trium annorum, et completis predictis tribus annis, dictus dominus Bonefacius debeat et teneatur dare et restituere predictum castrum et villam dicto [8] domino Regi vel eius heredibus seu nuncijs solvendo predictus dominus Rex sive eius heres [9] et nuncij interim expensas et custodiam dicti castri predicto domino Bonefacio. Item quod quilibet potestas qui pro tempore fuerit in civitate Astensi tempore dictarum treuguarum teneatur iurare bona fide attendere dictas treuguas. Eodem modo Senescallus lombardie et vicarius [10] Albe, qui pro tempore fuerint tempore dictarum treuguarum teneantur iurare dictas treuguas. Item actum est inter ipsas partes quod de facto terrarum locorum et castrorum et hominum et possessionum quas comune Ast vel aliquis pro eis tenent, et que et quas olim tenebant Comes Manuel et fratres eius et que ablate fuerunt eis per Astenses fiat compromissum per comune Astense ex una parte et per Comitem Manuelem et fratres [11] eius ex altera, in dominum Bonefacium Marchionem de Cravexana, et in dominum henricum Alferium, qui duo arbitri summarie, etiam juris ordine non servato concorditer per se, vel cum tercio arbitro si non concordarent, quem possint eligere sicut eis concorditer placuerit, possint et debeant cognoscere difinire et pronunciare super predictis rebus secundum quod eis videbitur. Et ipsi comune Ast et Comes Manuel et fratres [12] teneantur observare id quod pronunciatum fuerit concorditer per predictos, et fiat cognitio et pronunciatio per supradictos usque ad nativitatem domini proximam, vel ultra si de utriusque partis fuerit [13] voluntate ut dictus terminus prorogetur. Item actum est inter eos quod comune Ast hinc ad diem iovis proximum teneatur dare et solvere et dent et solvant in Alba domino Guilelmo Estendardo Seneschallo predicto libras Mille Astensis monete, Et ab hodie usque ad quindecim dies teneantur dare et solvere et dent et solvant eidem domino Senescallo, alias libras duo millia Astensium in Alba. Item actum est inter predictas partes, quod dominus Rex debet confirmare predictas treuguas a die confectionis ipsarum treuguarum per dominum Seneschallum provincie usque ad quatuor menses proximos, per suas literas patentes, quas literas comune Ast habeat, Alioquin dictus dominus Bonefacius debeat restituere dictum castrum villam et turrim contitum et jurisdictionem Barbareschi in manibus comunis Astensis vel potestatis

[1] Add. *de treuguis fractis vel de hjs que fierent contra treuguas.* — [2] Deest *secundum modum et formam treuguarum nunc existentium, si remaneret per dictum.* — [3] *factis.* — [4] *quin.* — [5] Deest *non.* — [6] *firmis.* — [7] *observandis.* — [8] *predicto.* — [9] *heredes.* — [10] *Vicarij.* — [11] *fratrem.* — [12] *frater.* — [13] *processerit.*

Astensis nomine communis, Et inde plura instrumenta eiusdem tenoris michi henrico de versa Astensi notario pro parte communis Astensis et Guilelmo de Strata Albensi notario pro parte domini Regis predicti predicte partes fieri rogaverunt et preceperunt.

Et ego henricus de versa notarius pallatinus predictis omnibus interfui et rogatus, ac precepto domini Bonegracie Judicis domini Galleoti de Lambertinjs Astensis potestatis in presenti libro apposui et sic scripsi et me subscripsi.

946. *De alia treugua facta inter quosdam agentes nomine dicti domini Regis ex una parte et comune Ast ex altera.* 1269. 11 Decembris [1].

In nomine domini nostri yhesu christi amen, Anno ejusdem domini Millesimo ducentesimo sexagesimo nono, Indictione duodecima die undecimo mensis decembris, Actum fuit hoc Albe In hospitio domini Episcopi Albensis, presentibus testibus vocatis et rogatis, Nobili viro domino Thoma Marchione Salutiarum, domino Johanne Jordano maiori Judice pro dicto domino Rege in partibus Lombardie, domino philippo de laveno baiulo dignensi, domino philippo de Vignalis milite, domino Guilelmo de Villanuijs [2], domino Guilelmo picardo et domino Girardo militibus socijs dicti domini Senescalli, domino Bonopetro Aleo cive Albensi, Quorum presentia venerabilis pater dominus frater Symon dei gracia Albensis Episcopus et nobiles viri, dominus Gauzerius [3] Delarocha Senescallus pro excellentissimo domino Karolo dei gratia Rege Scicilie, in partibus Lombardie et dominus magister Johannes de Mafleto [4] eiusdem domini Regis familiaris et consiliarij [5] habentes auctoritatem ab eodem domino Rege, de qua auctoritate constabat per quasdam patentes literas Regales, Tenor quarum literarum talis est. Karolus dei gratia Rex Scicilie ducatus Apulie et principatus Capue [6], Alme urbis senator, Andagavie provincie et Folcalcherij Comes, Romani imperij in Tuscia vicarius generalis, Universis has literas inspecturis Salutem et omne bonum, per has patentes literas (notum) [7] facimus universis quod nos de legalitate et prudentia venerabilis patris Albensis Episcopi et Seneschallj in partibus Lombardie ac Johannis de Mafleto dilecti consiliarij et familiaris et Fulchonis Arduyni maioris iudicis nostri in Provincia nostrorum fidelium, plenarie confidentes, Ipsis tractandi et faciendi treuguam et pacem cum Astensibus prout melius pro utilitate et honore nostro videbitur expedire plenam et liberam presentium [8] tenore concedimus potestatem, ita tamen, quod si omnes non poterunt interesse, duo ex eis qui presentes fuerint eandem habeant potestatem, Ratum habituri et firmum quicquid predicti omnes vel duo ex eis in premissis duxerint faciendum. In cuius rei testimonium presentes literas eis fieri et sigillo maiestatis nostre iussimus communiri. Datum in castris in obsidione lucerie quinto Julij XII^a Indictione, Regni nostri anno quinto, nomine et vice prefati domini Regis et suorum fidelium et districtus eiusdem domini Regis et nomine omnium vasalorum et amicorum suorum infrascriptorum

[1] Documentum hoc iterum occurrit in Codice; quapropter inscriptione tantum suo loco ad N. 974, servata, lectiones varias hic afferemus. — [2] *Villanuvijs.* — [3] *Guizerius.* — [4] *Malfletus.* — [5] *Consiliarius.* — [6] *ducatus Capue et principatus Apulie.* — [7] Add. *notum.* — [8] *harum.*

et coadiuctorum ultramontanorum et ab Ast inferius et a collibus usque Ast manifestorum [1], Exceptis civibus et vasallis communis Astensis et qui pro eis positi sunt in treugua, salvis illis qui in presenti treugua nominantur ex una parte, Et sapientes viri domini Obertus de platis [2] et Petrus Garetus cives Astenses nomine communis Astensis habentes auctoritatem et mandatum a potestate et consilio et Sapientibus civitatis Astensis, de qua auctoritate et mandato constabat per quedam publica instrumenta, unum quorum factum fuit per Mellanum Grillum notarium publicum sub anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo etc. Nomine et vice communis civitatis Astensis et hominum de districtu Astensi et omnium vasalorum et amicorum suorum infrascriptorum et coadiuctorum eorumdem ex altera fecerunt firmaverunt et ordinaverunt plenam treuguam et omnem fidanciam et Securitatem duraturam ex nunc usque ad kallendas Januarij proxime venturi et a dictis kallendis usque ad tres annos proximos subsequentes, et post dictos tres annos quousque fuerit contramandata [3], et post contramandum etiam per tres menses, secundum modum et formam et conventiones infrascriptum et infrascriptas videlicet quod una pars vel aliqua predictarum vel aliquis de partibus supradictis non faciat nec fieri faciat nec alicui facienti vel facere volenti consenciat ullo modo nec ulla de causa usque ad terminum seu terminos supradictos offensionem aliquam alteri [4] parti nec alicui de altera parte in personis vel rebus aliqua ingenij subtilitate, nec fieri permittat in quantum prohibere possit. Item quod omnes presonerij utriusque partis qui capti sunt ab aliquo vel ab aliquibus, qui sunt vel esse velint in treugua, exceptis illis qui capti sunt per beroarios [5] sub ydonea cautione debeant manulevari et [6] relaxari. Item quod suprascriptus dominus Rex seu vices eius gerentes vel alius pro eis non possit nec debeat aliquid acquirere, de hjs que commune seu homines [7] Ast tenent seu [8] tenentur ab ipso communi, nec de hjs, nec de bonis eorum, qui in treugua predicta pro parte Astensi sunt inferius nominati, scilicet de eo pro quo positi sunt in treugua, Nec Astenses econverso possint aliquid acquirere de hjs nec de bonis eorum qui in treugua predicta positi sunt pro parte domini Regis predicti, scilicet de eo pro quo positi sunt in treugua, nec de hjs que dictus dominus Rex vel alius pro eo, sive homines Albe, Claraschi, Cunei Savilliani Montisregalis vel alij homines dicti domini Regis tenent, nec de hjs que ab eis tenentur. Item si contingeret quod aliqui beroarij seu cavalcatores vel alij malefactores moverent [9] de civitate castro vel villa aliqua, quam Astenses vel aliqui illorum qui positi sunt in treugua predicta pro predicta parte Astensi teneant, vel de alio loco qui per eos positus sit in treugua [10], vel de alio loco posito in treugua, in quo Astenses vel aliqui de parte illorum, dedissent eis auxilium vel iuvamen, et damnum dederint vel offensam fecerint in terram [11] domini Regis predicti, vel quam teneat, seu alicuius illorum qui positi sunt pro parte domini Regis in treugua predicta vel offensa facta vel preda capta in terra predicti domini Regis sive illorum qui pro parte eius positi sunt in treugua redierint in terram Astensem sive illorum qui pro parte Astensi positi sunt in treugua predicta, teneantur comune et homines Ast offensam factam et damnum datum emendare seu emendari facere

[1] Deest *manifestorum.* — [2] *platea.* — [3] *contramandatum.* — [4] *alicui.* — [5] *barones.* — [6] *vel.* [7] Add. *de.* — [8] Add. *que.* — [9] Add. *se.* — [10] Deest *qui per eos positus sit in treugua.* — [11] *terra.*

damnum passis ad extimationem arbitrorum, qui super hoc ab ipsis partibus sunt electi, et hoc infra quindecim dies, postquam ipsa questio fuerit per dictos[1] arbitros vel maiorem partem ipsorum difinita vel determinata. Idem intelligatur si aliqui beroarij vel cavalcatores seu alij malefactores damnum darent vel offensam facerent durante treugua predicta alicui vel aliquibus hominibus dicti domini Regis vel eorum qui positi sunt in treugua pro parte ipsius domini Regis vel in terram Astensem vel alicuius illorum qui pro eis positi[2] sunt in treugua predicta. Versa vice si contingeret quod aliqui beroarij vel cavalcatores seu alij malefactores moverent de civitate castro vel villa aliqua quam dictus dominus Rex vel aliqui illorum qui positi sunt in treugua predicta pro parte ipsius dominj Regis teneant vel de aliquo loco qui pro parte ipsius positus sit in treugua, vel aliquo loco posito in treugua in quo ipse dominus Rex vel aliquis de parte ipsius dedisset eis auxilium vel iuvamen et damnum dederint vel offensam fecerint in terram Astensem, sive alicuius illorum qui positi sunt in treugua pro parte Astensi, vel redierint offensa facta vel preda capta in terra predictorum Astensium, sive illorum, qui pro parte eorum positi sunt in treugua in terra domini Regis sive illorum qui pro parte ipsius positi sunt in treugua predicta, teneatur dominus Rex offensam factam et damnum datum emendare sive emendari facere damnum passis, ad extimationem[3] arbitrorum qui super hoc ab ipsis partibus sunt electi, et hoc infra xv dies postquam ipsa questio fuerit per eosdem arbitros vel maiorem partem ipsorum difinita vel determinata. Idem intelligatur si aliqui beroarij vel cavalcatores vel alij malefactores damnum darent vel offensam facerent durante treugua predicta alicui vel aliquibus hominibus Astensibus vel illorum qui positi sunt in treugua[4] pro parte ipsorum Astensium in terram domini Regis, vel alicuius illorum, qui pro eis[5] parte positi sunt in treugua predicta, hoc acto specialiter in predictis quod omnes illi, qui positi sunt in treugua per aliquam partium predictarum, et homines omnium locorum, qui positi sunt in treugua predicta iurare debeant quod non receptabunt aliquos beroarios cavalcatores seu malefactores, qui offenderent seu offendere vellent vel qui etiam offendissent durante treugua alteram partem vel aliquem de altera parte, Sed eos fugabunt et capient pro posse suo, et predam eis auferent, si continget eos per terram et posse ipsorum transire cum preda. Item quod omnes homines positi in treugua per aliquam ipsorum partium et homines ipsorum locorum positorum in dicta treugua debeant similiter iurare quod predictam treuguam similiter[6] attendent et observabunt bona fide, et ea que in ipsa treugua continentur, et quod non dabunt consilium nec juvamen ullo modo aliquibus malefactoribus vel offensoribus seu beroarijs qui offenderent seu offendere vellent in terra alterius partis vel alicuius illorum, qui per alteram partem positi sunt in treugua, immo pro posse suo impedient et disturbabunt. Et si aliqui malefactores beroarij vel offensores damnum dedissent vel offensam fecissent in terram alterius partis vel alicuius illorum qui per aliam partem positi sunt in treugua, durante ipsa treugua, quod ipsi non recipient eos in terram suam et quam ipsi tenent, nec in terram illorum qui sunt in treugua pro eis, durante treugua[7], nisi prius damnum

[1] *ipsos.* — [2] Deest *positi.* — [3] Add. *dictorum.* — [4] Deest *in treugua.* — [5] *pro parte ipsius.* — [6] Deest *similiter.* — [7] Deest *nec in terram illorum qui sunt in treugua pro eis durante treugua.*

emendassent, immo eos capient si poterunt, Et si invenerint eos in terram sue partis, eos compellent ad faciendum emendam damni per eos dati vel eos restituent damnum passis, et hoc infra xv dies postquam eos ceperint. Item quod quilibet de utraque et qualibet parte possit ire et redire et stare durante dicta treugua ad suam voluntatem per terram et loca utriusque partium predictarum Salve et secure in personis et rebus tam citra montes quam ultra montes, et Bonefacius dives et Mitre eius frater cives Astenses similiter. Item quod si aliqua partium predictarum moveret questionem seu guerram vel offensionem faceret alicui vel aliquibus quos in treugua pro parte sua posuisset durante treugua, altera pars seu [1] aliqui de altera parte se inde non debeant intromittere, Nisi ipsa questio moveretur vel guerra fieret in feudo vel super feudo vel occasione feudi quod teneretur vel teneri deberet ab adversa parte. Item actum est specialiter et expressim inter predictas partes quod cambia et pignorationes occasione laudum cessent hinc inde usque ad terminos predictarum treuguarum. Item expressim actum est quod neutra partium predictarum possit se intromittere de feudo alterius partis aliquo ingenio. Item actum est quod si Sysmondus naturalis patruus Comitis Manuelis faceret guerram Astensibus vel alicui de parte eorum de Guarnono vel alio loco, Et Comes Manuel vel aliquis de parte domini Regis postquam incepisset guerram daret eidem Sysmondo consilium aut iuvamen, sit extra treuguam ille qui daret ei auxilium consilium vel iuvamen. Isti positi sunt pro parte Astensi in treugua predicta videlicet civitas et homines Ast cum tota terra et districtu, quam et quem tenent [2], locus et homines Carij cum tota terra et districtu, quam et quem tenent, domini et homines de plocascho cum tota terra et districtu quam et quem tenent, locus et homines Foxani, Marchiones de Ceva, Marchio Salutiarum, liberi quondam domini Jacobi de Careto, dominus Maynfredus de Careto et dominus Manuel de Castano pro feudis que tenent a communi Astensi seu tenere debent ipsi Marchiones si voluerint esse in dicta treugua, dominus Jacobus de Buscha pro tota terra quam ipse tenet, excepto feudo quod tenet seu tenere debet a domino Rege predicto, et a communi Albe, domini de Castronovo, domini de Rivalba, domini de Montealto de Torresanna cives Astenses, filij domini Nicolay de Montealto quondam, et Girbaudenghi, si pro parte Astensi voluerint esse in treugua, et dominus Otto de Roxanna, cum tota terra quam tenet. Item dominus Astensis Episcopus cum tota terra quam tenet in Astensi [3] et cum castris vici veteris turris [4] Montisalti de Montaneis et Rebruenti [5], et de eo quod tenet, siquid nunc tenet in plocio sit in treugua pro parte Astensi, hoc acto expressim inter predictas partes, quod dictus dominus Episcopus per se et nuncios suos habeat et percipiat pacifice et quiete fructus terrarum et possessionum et molendinorum que et quas habet in castris in territorijs [6] Turris Montisalti [7] predicti, Rebruenti et villa et territorio Freabolze et in Baenis et plocio et eorum territorijs, Et habeat percipiat ficta, terciam et quartam decimas [8] et alios redditus quos Astensis Episcopus seu Astensis ecclesia in dictis castris et territorijs eorundem habere debet seu habere consuevit, Exceptis potestaria, Contitu, jurisdictione et regimine super homines et in

[1] *nec.* — [2] Add. *homines Taurini cum tota terra et districtu quem et quam tenent.* — [3] *Astisio.* — [4] *cerverijs et.* — [5] *Rubilenti.* — [6] *in terris et castris suis et.* — [7] Add. *et.* — [8] *tercias, quartas et decimas.*

hominibus et territorijs dictorum locorum, que iurisdictio, Contitus[1] et potestaria ac regimen dictorum locorum et hominum remaneant penes dictum dominum Regem et eius nuncios. Et eodem modo habeat et percipiat dictus dominus Episcopus medietatem fructuum et redditum terrarum et possessionum et molendinorum et fictorum drictorum furnorum et decimarum, quos et quas idem dominus Episcopus habere et percipere debet seu habere et percipere consuevit in villa et territorio sancti Albani, Alia vero medietas fructuum et redditum predictorum sancti Albani cum castro villa et tota iurisdictione contitu potestaria et regimine et hominibus et territorio dicti loci remaneat et remanere debeat penes dictum dominum Regem et eius nuncios. Que autem dicta sunt de redditibus castri iurisdictione potestaria et contitu dictorum locorum locum habeant usque ad terminos treugue predicte, hoc addito et in predictis specialiter et expressim apposito[2], quod illi qui fuerint in regiminibus seu baylijs locorum predictorum pro dicto domino Rege teneantur et debeant[3] dari facere dicto domino Episcopo et eius nuncijs redditus supradictos ab omnibus illis qui dare debuerint sine forma cause et[4] jurisdictionis[5] strepitu infra decem dies postquam inde fuerint requisiti. Item Abbas et Monasterium Bremetense de toto eo quod habet extra iurisdictionem et poderium dicti domini Regis sit in treugua predicta pro parte Astensium et percipiat et percipere possit per aliquem eius clericum seu monachum vel alium eius nuncium vel nuncios laycos in pollencio et territorio pollencij redditus spirituales et spiritualibus anexos tantummodo. Isti positi sunt in treugua pro parte dicti domini Regis videlicet civitas et homines Albe cum tota terra et districtu, quam et quem tenent, locus et homines et habitatores Claraschi cum tota terra et districtu quam et quem tenent, locus et homines et habitatores Cunei, locus et homines et habitatores Savilliani cum terra et districtibus quam et quos tenent et omnia castra ville et homines villarum, que et quas dictus dominus Rex vel alius pro eo tenet, et specialiter castrum et villam et homines Cornaliannj, locus et homines Montisregalis, cum tota terra et districtu quam et quem tenent, ville et homines turris[6] Montisalti de Montaneis, Rebruenti et Freabolce[7], salvis castris et redditibus supradictis domino Astensi Episcopo supradicto sicut supradictum est, Et eo addito quod dictus dominus Rex per se et per quoslibet eius nuncios habeat et percipiat et habere et percipere possit et debeat omnes redditus et proventus olim ad Astensem Episcopum seu Astensem[8] ecclesiam pertinentes in dicta villa Montisregalis et eius territorio pacifice et quiete, Exceptis spiritualibus et eis anexis, locus et homines Baenarum, dominus Manuel Comes de Blandrato et fratres eius et homines eorum, et tota terra et castra et territoria que ipsi tenent, Marchio Salutiarum et tota terra ipsius, quam tenet et specialiter Caramangna, cum bastida et territorio eiusdem, Marchiones Ceve pro feudis que tenent seu tenere debent ipsi Marchiones a domino Rege, liberi quondam domini Jacobi de Careto et tota terra quam tenent a jugo maris citra, et specialiter castrum et villa Novelli, castrum et villa Montisclari, Castrum et villa Saliceti cum omnibus[9] districtibus et territorijs eorundem. Item castra ville[10] et territoria et districtus Synfredi Trecij et Barbareschi, domini de Sanctavictoria,

[1] Deest *contitus.* — [2] Deest *apposito.* — [3] teneatur et debeat. — [4] Deest *et.* — [5] *jurisdictione.* — [6] Deest *turris.* — [7] *Robulenti et Freabolze.* — [8] *se eius.* — [9] *hominibus et.* — [10] Ad. *et homines.*

turris castrum villa, homines territorium et districtus Sanctevictorie. Item dominus Maynfredus de Careto pro hjs que tenet seu tenere debet pro domino Rege, Marchiones de Cravexana et eorum homines de [1] tota terra, quam tenent, dominus Albensis Episcopus et eius homines cum castris et villis et tota terra quam tenet per se vel per alium donnea et feudali [2], dominus Jacobus et Mainfredus Marchiones de Buscha et fratres pro feudo quod tenent seu tenere debent a dicto domino Rege vel a communi Albe, Abbas Bremetensis de eo quod tenet in terra et districtu dicti domini Regis, Abbas sancti dalmacij de Burgo cum omnibus suis hominibus et terra ipsius Monasterij quam tenet, domini de Burgomalo et eorum homines cum tota terra quam tenent [3], excepto feudo quod tenent seu tenere debent a communi Ast, domini de Montealto de Astesio et eorum homines cum tota terra quam tenent scilicet filij quondam domini Anselmi Rufinus et Matheus et filij domini Nicholay quondam et Girbaudenghi, si ipsi Girbaudenghi esse voluerint in dicta treugua pro parte dicti domini Regis. Item domini de Summarippa paerni [4] cum tota terra quam tenent ipsi vel alij pro eis, excepto quod non sint nec esse intelligantur in treugua cum domino Ottone de Roxana, sed cum omnibus alijs partis Astensis sint in treugua, et dictus dominus Otto non sit nec esse intelligatur in treugua cum predictis dominis summerippe, sed cum omnibus alijs partis dicti domini Regis sit in treugua, Et si domini Summerippe primo offenderent dictum dominum Ottonem, Commune Ast possit eum iuvare ad defendendum in terra ipsius domini Ottonis et non ad [5] aliud, Et homines dicti domini Regis vel aliqui [6] de parte ipsius non debeant se intromittere de ipsa guerra, Et versa vice si dominus Otto predictus primo offenderet dictos dominos Summerippe comune et homines Albe et alij homines dicti domini Regis possint eos iuvare in terra ipsorum ad defendendum et non ad aliud, et commune et homines Ast non debeant se intromittere de ipsa guerra, Et si contingeret ipsos dominos Summerippe postquam offendissent dictum dominum Ottonem vel in terra ipsius transire per terram Astensem versus terram [7] dicti domini Ottonis, liceat communi et hominibus Ast et sue partis ipsos dominos Summerippe [8] in terra ipsorum Astensium ad eorum voluntatem. Item domini Brunus et Bonefacius de Moreta, liberi quondam domini Guilelmi de Septimis de Moreta et alij domini de Moreta et eorum homines cum tota terra et districtu ac villis quem et quas tenent quilibet eorum si voluerint, sint in dicta treugua, Salvo eo quod si noluerint esse in treugua cum loysio de Troya et fratribus et alijs de Troya civibus Astensibus, non sint in treugua cum illis, sed cum communi Ast et cum omnibus alijs de parte Astensi sint in treugua, et predicti de Troya non sint in treugua cum predictis de Moreta, sed cum omnibus alijs de parte dicti domini Regis sint in treugua, Tali modo quod predicti de Troya non possint nec debeant guerram vel offensionem facere predictis de Moreta nec hominibus sue terre nisi de castro et villa Caburri de plano, nec comune Ast, nec aliquis qui sit in treugua pro parte Ast, exceptis predictis de Troya tantum non possint nec debeant in predictis dare ipsis de Troya auxilium vel iuvamen. Versa vice predicti de Moreta non possint nec debeant facere guerram vel offensionem predictis de Troya vel eorum coadiuctoribus nisi de

[1] *et.* — [2] *feudalia.* — [3] Deest *domini de Burgomalo et eorum homines cum tota terra quam tenent.* — [4] *paterni.* — [5] Deest *ad.* — [6] Add. *alij.* — [7] Add. *ipsius.* — [8] Add. *offendere.*

eorum terra et villis quas tenent, Et dominus Rex vel aliquis de parte eius non possit nec debeat predictis de Moreta[1] dare auxilium vel iuvamen. Item promiserunt predicti dominus Episcopus, dominus Senescallus et magister Johannes nomine supradicti domini Regis sese pro posse facturos et curaturos ita quod dominus Rex procurabit quod Rex Francie concedet hominibus de Ast literas de Securo conductu in personis et rebus per totum regnum Francie, quam diu dicte treugue durabunt. Item actum est inter partes predictas quod si aliquis positus in treugua per aliquam partium predictarum renunciaverit esse in treugua hinc usque ad mensem unum proximum hoc notificando adverse parti sit extra treuguam predictam et extra ipsam treuguam esse intelligatur. Item si tempore dicte treugue aliqua offensio facta fuerit vel aliquid ablatum fuerit alicui qui esset in treuguis predictis, fiat restitutio secundum sentenciam arbitrorum. Item actum est inter partes quod si offense vel damna darentur ab hodie et ex nunc inantea per ipsas partes vel per aliquem ipsarum partium, debeant per partem a qua offenderetur emendari. Consilia autem supradictorum communium debeant iurare dictam treuguam comprobare et promittere, et domini si aliqui sunt dictorum locorum, et unus in parlamento cuiuslibet loci et in animam omnium ipsius loci. Item electi sunt arbitri pro parte dicti domini Regis dominus Petrus Aleus civis Albensis et pro parte Astensi dominus Thomas de Becarijs civis Ast, Tercius et medius Abbas Casenove qui erit tempore questionis vel questionum mote vel motarum, Et si aliquis Abbas non esset ibi tunc temporis sit arbiter medius ille qui hactenus proxime fuit Abbas Casenove, Et si aliqua questio occasione dicte treugue vel occasione aliquarum offensionum factarum vel damnorum datorum mota fuerit inter dictas partes vel inter aliquos ipsarum partium dicti arbitri debeant de ea cognoscere de plano remota omni solemnitate iudiciorum, et eam difinire infra mensem unum postquam questio mota fuerit, Et infra dies xv post questionem finitam, fieri debeat executio de eo quod fuerit pronunciatum, ita quod duo ex ipsis arbitris scilicet ille qui erit pro parte dicti domini Regis, et ille qui erit pro parte communis Astensis possint etiam sine tercio arbitro cognoscere et difinire si concordes fuerint. Predictam autem treuguam et omnia et singula suprascripta supradicti domini Episcopus Senescallus et magister Johannes nomine supradicti domini Regis et pro ipso domino Rege et pro omnibus de parte eius superius nominatis ex una parte, et supradicti domini Obertus de platis et Petrus Garetus vice et nomine communis Ast et pro ipso comuni et pro omnibus de parte eorum superius nominatis ex altera, promiserunt ad invicem una pars alteri attendere et observare et non contravenire nec contrafacere ullo modo in aliquo de predictis sub pena Marcharum Millequingintarum argenti ab utraque parte alteri parti adinvicem stipulanti promissa et solvenda a parte non observante parti observanti, Ratis semper et in suo robore duraturis treugua predicta et omnibus alijs et singulis supradictis et infrascriptis. Pro predicta autem pena et pro omnibus supradictis et singulis attendendis et observandis obligaverunt ad invicem una pars alteri omnia sua bona, Et non intelligatur dicta treugua fracta seu rupta esse[2] si offensio fieret per aliquos homines singulares de parte dum tamen inde fieret restitutio secundum quod pronunciatum esset per arbitros

[1] Add. *in predictis.* — [2] Deest *esse.*

supradictos, Et pacta facta super beroarijs expellendis et alijs capitulis quantum ad dictum dominum Regem et suos homines et valitores ita intelligantur quod si ipsi Astenses et eorum valitores et illi de parte sua habeant vel ipsos habere contingat guerram cum alijs personis, excepto dicto domino Rege et suis hominibus et valitoribus, [1] possint tenere beroarios et inde [2] se iuvare dummodo non offendant dictum dominum Regem nec suos homines nec aliquem qui sit in dicta treugua pro parte ipsius domini Regis, secundum quod pacta predicta continentur in publicis instrumentis factis per Jacobum Justam de Cuneo et per petrum Sellam de Ast [3] publicos notarios, et ipsas treuguas et pacta confirmaverunt et de novo fecerunt usque ad terminos suprascriptos in omnibus et per omnia sicut in dictis treuguis plenius continetur nullo addito vel diminuto Salvo quod si partes predicte concordarent communi voluntate de aliquibus capitulis addendis [4] vel diminuendis aut mutandis quod illi qui iurabunt et firmabunt [5] dictam treuguam, et illi pro quibus iurabunt vel firmabunt [5] teneantur de additis vel mutatis sicut de hjs que expressa sunt in dictis capitulis [6] pactis et treuguis, et de diminutis absolvantur, ita tamen quod valitores et omnes superius nominati, qui voluerint esse in predictis treuguis et pactis debeant dictas treuguas et pacta iurare et confirmare a dictis kallendis Januarij usque ad duos menses proximos subsequentes, alias essent [7] extra treuguam, Et quod Vicarij et consiliarij Albe, Clarasci [8] Cunei, Savilliani, Montisregalis et Baenarum predicta omnia ratificabunt confirmabunt et iurabunt, et in parlamento cuiuslibet dictorum locorum predicta confirmabuntur per homines parlamenti, et unus iurabit in quolibet parlamento in animas omnium, et inde fiant carte. Versa vice predicti domini Obertus de platis et petrus Garetus nomine communis Astensis promiserunt dictis domino Episcopo, Senescallo et magistro Johanni recipientibus vice et nomine dicti domini Regis et suorum hominum et valitorum predictorum se facturos et curaturos ita quod potestas civitatis Astensis, Taurinj, Carij et Foxani predicta omnia et singula confirmabunt ratificabunt et iurabunt, Et quod predicta omnia in publicis parlamentis cuiuslibet civitatum et locorum proxime supradictorum confirmabuntur per homines parlamentorum supradictorum et iurabuntur per unum in animas omnium in parlamento, et inde fiant carte. Et si Taurinenses vel Karienses vel homines de Foxano [9] vel aliqui alij coadiuctores eorum iurare Noluerint predicta infra terminum duorum mensium predictorum sint extra treuguas, Et commune Ast, non teneatur pro eis ad penam, nec ad aliquid aliud, Sed teneatur non dare eis consilium nec [10] auxilium vel iuvamen, Eodem modo et forma, si aliqui valitores dicti domini Regis vel aliqui positi in treugua pro ipso infra terminum predictorum duorum mensium iurare Noluerint similiter [11] sint extra treuguas, et dominus Rex pro eis non teneatur ad penam nec ad aliquid aliud, sed teneatur non dare eis consilium nec auxilium vel iuvamen. Item si aliqua offensio facta esset infra tempus treugue presentis, et que offensio esset contra formam treuguarum predictarum, vel aliqua offensio fieret durantibus presentibus treuguis ut supradictum est, fiat cognitio per arbitros electos a partibus secundum modum et formam superius comprehensam, et restitutio fiat parti damnum patienti per

[1] Add. *quod.* — [2] *de ipsis.* — [3] Deest *de Ast.* — [4] *attendendis.* — [5-5] Haec desunt. — [6] Deest *capitulis.* — [7] Add. *et sint.* — [8] *Claraschi.* — [9] *Fossano.* — [10] Deest *nec.* — [11] Deest *similiter.*

aliam partem secundum modum et formam prescriptam post cognitionem factam per arbitros supradictos. Item quod vie et strate vadant et expedite dimittantur [1] inter utranque partem, ita quod omnes et singuli homines de terra domini Regis predicti, et alij qui in dicta treugua sunt pro parte eius possint ire stare et redire salve et secure per civitatem Astensem et per totam terram et districtum civitatis predicte cum rebus et personis et omnibus mercimonijs quecumque sint sine aliqua prohibitione que eis fieret vel fieri posset vel facta esset per aliquas personas, non obstantibus aliquibus capitulis seu ordinamentis que fierent vel fieri possent seu facta sunt [2] aliquo modo vel iure. Eodem modo et forma homines Astenses et eius districtus, et illi qui positi sunt pro parte eius in treugua possint facere per totam terram dicti domini Regis, Excepto regno Sicilie principatu Capue et ducatu Apulie, solvendo quelibet pars solomodo pedagia consueta, salvis malefactoribus in quibus servetur ordo juris et forma capitulorum factorum et faciendorum per quanlibet ipsarum partium in suo posse et districtu, In quibus locis scilicet regno Scicilie principatu Capue et ducatu Apulie possint ire dicti Astenses stare et redire salve et secure in personis et rebus durantibus [3] treuguis predictis, solvendo pedagia et condictiones que imponerentur alijs hominibus qui non haberent conventionem cum dicto domino Rege de pedagijs et condictionibus quibus uterentur in ipsis regno ducatu et principatu, Eo Salvo quod dictus dominus Rex vel eius nuncij seu homines [4] non debeant intrare cum armis in civitatem Ast, vel in aliquam villam seu castrum comunis Astensis vel in alijs locis que pro eis posita sunt in treugua ita fortes vel in tanta quantitate quod ibi possent facere aliquam molestiam civitati Astensi seu alij ville vel castro comunis Ast vel quod pro eis positum sit in treugua, Nec hospitando vel movendo de civitate castro vel villa seu terra aliqua vel aliquo communis et civitatis Ast possint vel debeant offensionem facere in aliquam aliam terram vel alios homines absque voluntate communis Astensis, nec reducendo se in civitate Astensi locis villis et castris et terra predictis facta offensa vel preda capta, Et versa vice comune vel [5] homines Ast non debeant intrare cum armis in civitatem Albe vel in aliquam villam seu castrum predicti domini Regis vel alicuius de parte sua qui positus sit in treugua ita fortes vel in tanta quantitate quod ibi possent facere aliquam violentiam civitati Albe vel alij ville vel castro dicti domini Regis vel que [6] pro eo posite [7] sunt in treugua. Nec hospitando seu movendo de civitate castro vel Villa seu terra aliqua seu aliquo predicti domini Regis possint vel debeant facere offensionem in aliquam aliam terram vel alios homines absque voluntate predicti domiui Regis vel nunciorum eius. Nec reducendo se in civitate Albe locis villis et castris seu terra predicti domini Regis facta offensione vel preda capta [8], hoc addito quod si blava valeret infra tempus treuguarum comuniter emina Astensis in posse Astensi solidos tres vel magis [9] solidorum trium quod homines Astenses possint ipsam blavam bannire et vetare ne duceretur ad terram domini Regis predicti dum blava valeret solidos tres ut supra in posse Ast, hoc intellecto quod si aliquis homo vel homines domini Regis emerent blavam aliquam sive granum extra iurisdictionem et posse Astensium quod ille vel illi qui eam vel

[1] Add. *et manuteneantur.* — [2] *essent.* — [3] *duraturis.* — [4] Add. *eius.* — [5] *et.* — [6] *qui.* — [7] *positi.* — [8] Add. *et.* — [9] *plus.*

illud emissent possent eam et illud ducere absolute per stratas et terras a Maglano [1] superius versus Albam solvendo pro eis pedagia consueta. Versa vice actum est inter partes predictas quod si emina Albensis de blava seu granno, valeret comuniter infra tempus treuguarum predictarum per [2] posse Albe solidos tres vel magis solidorum trium [3] quod homines Albe et terre dicti domini Regis possint ipsam blavam sive granum bannire [4] et vetare ne duceretur ad terram sive in terram [5] Astensem dummodo emina Albe valeret solidos tres ut supra. Eo intellecto quod si aliquis homo Ast emeret granum sive blavam extra posse et jurisdictionem domini Regis quod ille qui eam vel illud emisset possit [6] eam vel illud ducere absolute per terram dicti domini Regis ad terram Astensem solvendo pro eis pedagia consueta. Item quod quilibet potestas qui pro tempore fuerit in civitate Astensi tempore dictarum treuguarum teneatur iurare bona fide attendere et observare [7] dictas treuguas. Eodem modo Senescallus lombardie et Vicarius Albe qui per tempora fuerint tempore dictarum treuguarum teneantur iurare similiter dictas treuguas, Et hoc quando fuerint requisiti. Item actum est inter predictas partes de facto terrarum castrorum et locorum hominum et possessionum quos quas et que comune Ast vel aliquis pro eis detinent et quos quas et que tenebant Comes Manuel et fratres eius et que ablata fuerunt eis per astenses fiat compromissum per comune Ast ex una parte et per Comitem Manuelem et eius fratres ex altera in dominum Bonefacium Marchionem de Cravexana [8] et in dominum henricum Alferium civem Astensem qui duo arbitri summarie etiam iuris ordine non servato concorditer per se vel cum tercio arbitro si non concordarent quem possint eligere sicut eis concorditer placuerit possint et debeant cognoscere et difinire et pronunciare super predictis rebus secundum quod eis videbitur. Et ipsi Comes Manuel et comune Ast et fratres ipsius Comitis [9] teneantur observare id quod pronunciatum fuerit concorditer per predictos vel per duos ex predictis et potestas consilium et comune civitatis Ast teneantur compellere et compellant cum effectu dictum dominum henricum Alferium per penarum impositiones [10] sacramentum pronunciare et dictam questionem seu questiones difinire et determinare. Et eodem modo dictus dominus Senescallus teneatur compellere et compellat dominum Bonefacium supradictum, Et si predicti arbitri discordarent et non possent inter se de proferenda sentencia concordare dictus dominus Senescallus et predicti potestas consilium et comune civitatis Astensis teneantur compellere dictos arbitros quod eligant tercium et pronuncient infra terminum infrascriptum Et quod omnes simul vel duo ex ipsis concorditer pronunciaverint, seu mandaverint habeat [11] roboris firmitatem. Et renuncient dicte partes in compromisso quod fiet legi dicenti quod compromissum factum in incerta persona non valet, et omni alij iuri et legi, quo vel qua contra dictum compromissum vel sentenciam seu mandamenta dictorum arbitrorum venire possent, et fiat cognitio et pronunciatio super predictis per predictos arbitros usque ad festum proxime venturum sancti Michaelis vel ultra si de utriusque partis fuerit voluntate quod dictus terminus prorogetur. Et hoc locum habeat si placuerit dicto domino Manueli et fratribus eiusdem. Item actum est inter dictas partes quod commune Ast

[1] *Malgianno.* — [2] *in.* — [3] *solidis tribus.* — [4] *bandire.* — [5] Deest *sive in terram.* — [6] *posset.* — [7] Deest *observare.* — [8] *Cravesana.* — [9] Deest *ipsius comitis.* — [10] Add. *et.* — [11] *habeant.*

det et solvat et dare et solvere teneatur pro treugua predicta dictis dominis Senescallo et magistro Johanni vel illi cui mandaverint et voluerint, recipientibus vice et nomine predicti domini Regis in civitate Albe hinc usque ad xv diem mensis Januarij proxime venientis decem millia librarum Astensis monete, Et ultra dictam quantitatem etiam quamdiu dicta treugua durabit partium voluntate trecentas libras eiusdem monete quolibet anno in festo sancti Micaelis in pecunia numerata. Que quidem omnia et singula suprascripta predicte partes nominibus quibus supra sibi adinvicem promiserunt per solemnem stipulationem attendere complere et observare et contra ratione aliqua non venire per se vel per alium aut alios aliqua iuris vel facti subtilitate sub pena prescripta et sub obligatione omnium bonorum predicti domini Regis et comunis civitatis Astensis habitorum et habendorum, Et nomine supra dicto tactis sacrosanctis dei evangelijs corporaliter juraverunt scilicet dicti dominus Senescallus et magister Johannes pro parte domini Regis predicti, Et dicti domini Obertus de platis et petrus Garetus pro parte communis civitatis Astensis et predictus dominus Episcopus bona fide promisit.

Et ego Bertholinus Sitularius notarius pallatinus predictis omnibus interfui et rogatus ac precepto domini Bonegracie iudicis domini Galeoti de lambertinis potestatis Astensis in presenti libro apposui et sic scripsi et me subscripsi.

947. *De solutione librarum CCC. Astensium per comune Ast facta Seneschallo dicti domini Regis occasione treuguarum predictarum.* 1270. 10 Octobris [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo Indictione terciadecima die veneris decimo mensis octubris. Actum in civitate Albe in domo Conradi Natarellj de Alba testes interfuerunt dominus Fornarius Garexetus [2], Boninus Crespus de Alba, Obertus de Marcenascho et dominus Beglana [3] Judex curie Albe et Guilelmus de strata de Alba quorum presentia dominus Gaucerius [4] de larocha Seneschallus pro domino Karolo Rege Scicilie in partibus lombardie fuit confessus nomine et vice dicti domini Regis se habuisse et recepisse a Johanino de Janua nomine et vice communis Astensis libras Trecentas Astensis monete quas Commune Astense dare tenebatur dicto domino Regi vel eius nuncio ad festum sancti Michaelis proxime preteritum occasione treuguarum factarum inter dictum dominum Regem vel eius nuncios nomine ipsius domini Regis ex una parte et commune Astense vel alium pro ipso communi ex altera, Renunciando exceptioni non numerate et non recepte [5] pecunie et non habite et non recepte [6] solutionis et omni alij iuri et exceptioni, promittens ipse dominus Gaucerius nomine dicti domini Regis quod ipse dominus Rex nec alius pro eo de predictis libris trecentis nec occasione ipsarum commune Astense nec alium pro ipso communi aliquo tempore non appellabit conveniet nec molestabit.

Et ego Georgius Rastellus notarius pallatinus predictis omnibus interfui, Et de precepto domini Bonegracie Judicis domini Galeoti de lambertinis potestatis Astensis in presenti libro apposui et sic scripsi et me subscripsi.

[1] Documentum hoc iterum occurrit in Codice; servata igitur sola inscriptione suo loco ad N. 975 hic lectiones varias afferemus. — [2] *Carexetus.* — [3] *Roglana.* — [4] *Gauterius* — [5] Add. *et non habite* — [6] Deest *non habite et non recepte.*

948. *De alia solutione librarum CCC. facta per dictum comune Ast procuratori dicti domini Seneschallj predicti domini Regis occasione earundem treuguarum.* 1271. 29 Septembris [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo Indictione quartadecima die martis vigesimo nono mensis Septembris, In presentia testium infrascriptorum Boninus Crespus civis Albensis nuncius et procurator domini Gaucerij [2] delaroca Seneschallj [3] in partibus lombardie pro Illustrissimo [4] domino Karolo dei gratia Rege Scicilie ut patet per instrumentum factum a Jacobo Baudizone notario hoc anno domini MCCLXXJ° Indictione XIIIJ.ª die sabbati Tercio decimo mensis Septembris nomine dicti domini Regis et ipsius domini Gaucerij fuit confessus se habuisse et recepisse a Johanne de Janua sindico communis Astensis ut patet per Instrumentum factum a petro Sylvano notario hoc eodem anno et indictione die veneris XXV. mensis Septembris nomine dicti communis Ast libras Trecentas Astenses, Quas commune Astense dare debebat et solvere dicto domino Regi vel eius nuncio ad presens festum sancti Michaelis occasione treuguarum factarum inter dictum dominum Regem vel eius nuncios nomine ipsius domini Regis ex una parte et commune Astense vel alium pro ipso comuni ex altera, Renunciando exceptioni non numerate et non habite pecunie et solutionis non recepte [5] et omni alij exceptioni et juri. Quapropter dictus Boninus predicto nomine fecit eidem Johanni nomine dicti communis Astensis quietationem finem et remissionem absolutionem et pactum de non petendo de dicta pecunie quantitate. Et promisit predicto nomine dicto sindico nomine dicti Communis stipulanti quod dictum sindicum sive dictum Commune vel alium pro ipso comuni non appellabunt convenient vel molestabunt sub obligatione omnium bonorum dicti domini Regis. Actum Albe in platea sive in mercato Albe ante ecclesiam sancti laurencij. Testes interfuerunt vocati et rogati magister Girardus Zucholinus phisicus de Placentia, Ogerinus Rappa, Granonus platus, Robaldus [6] de vicia et Jacobus de [7] Mazaborra et plures alij.

Et ego Berardus de platea notarius pallatinus interfui et sic [8] scripsi.

949. *De literis dicti domini Regis missis potestati Consilio et comuni Astensi contra Manfredum de Careto in favorem Bonefacij de Careto et Guilelmi eius fratris et gentis sue Regni sui anno quarto.* 1270. 29 Decembris [9].

Karolus dei gratia Rex Scicilie ducatus Apulie et principatus Capue, Alme urbis Senator, Andagavie provincie et Folcalcherij Comes, potestati Consilio et communi Astensi dilectis suis Salutem et amorem sincerum [10]. Cum vos Mainfredum de Careto sciatis sanctam Romanam ecclesiam et Nos voluntate propria sine omni offensa graviter offendisse ducendo Conradum de Suavia ab antiquo genere ortum de inimicis ecclesie et totius fidei chistiane per terram suam in servicio saracenorum de luceria

[1] Documentum hoc iteratur in Codice; quapropter inscriptione tantum suo loco retenta ad N. 976. hic lectiones varias afferemus. — [2] *Gauterij.* — [3] *Seneschalchi.* — [4] *illustri.* — [5] *et non facte solutionis.* — [6] *Robaudus* — [7] Deest *de* — [8] Deest *sic.*

[9] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcripsit J. Ficker ediditque in *Act. Imp. Select.* cit. pag. 833. N. 1448. sub anni nota 1268. — [10] *sinceram.*

et aliorum proditorum nostrorum ad damnum sancte romane ecclesie atque nostrum cum suo exercitu venientem et receptando eundem, Cui etiam filij et uxor Jacobi de Careto et plures alij prestiterunt auxilium et mercatum, quos omnes ex iusta causa nostros reputamus inimicos et de ipsis deum et sanctam Romanam ecclesiam et nos ipsos proponimus vindicare unde rogamus vos quod super hoc nostro Seneschallo lombardie prebeatis consilium auxilium et favorem vel saltem eis contra nos et nostros non detis consilium vel iuvamen et si contrarium faceretis intenderemus quod cum vestro consilio peccavissent et quando possemus ostenderemus quod nobis non placeret quod fecissetis. Rogamus etiam vos ut Nobiles viros Bonefacium de Careto et fratrem eius Guilelmum vel gentem eorum nullatenus molestetis quia semper de parte nostra fuerunt et sunt optimi adiuctores [1] et perinde haberemus ac si in terra nostra propria faceretis insultum et quod de predictis facere intenditis responsionem vestram nobis vestris literis rescribatis. Datum Fogie XXVIIIJ.° decembris XIJ.ª Indictione Regni nostri anno quarto.

950. *De alijs treuguis factis inter quosdam cives Astenses pro comuni Astensi agentes ex una parte, et quosdam sindicos comunis Cuney nomine dicti domini Regis ex altera.* 1277. 13 Septembris [2].

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo septimo Indictione quinta die lune tercio decimo mensis Septembris, In presentia testium infrascriptorum, dominus Fulco Arduynus et dominus Philippus de Gastaldo sindici et procuratores comunis et hominum Cunei [3], de quo sindicatu est instrumentum factum a Bartholomeo Andeardo notario hoc eodem anno et Indictione et die, nomine et vice Illustris Regis Scicilie et suorum coadiuctorum iuratorum et amicorum ex una parte, et domini Guilelmus de platea, Henricus Alferius, Manuel Gutuarius et Girbaudus Bergogninus quibus concessa est baylia generalis a comuni Astensi super negocijs dicti comunis tractandis et complendis nomine et vice dicti comunis et suorum coadiuctorum iuratorum et amicorum ex altera, fecerunt et compleverunt treuguas inter ipsas partes usque ad decem annos et sex menses de contramando, ex nunc et [4] continue inviolabiliter observandas, Et si aliqua offensio fieret per aliquam universitatem vel singulares personas inter [5] predictum tempus treuguarum, quod propter hoc non sit fracta treugua sed eligantur duo arbitri scilicet unus ab utraque parte, dicto et arbitrio quorum restaurentur et emendentur offense [6] que facte fuerint, sine solemnitate iuris et strepitu iudiciorum, Et predicti arbitri eligantur unus de Ast et alius de Cuneo, quilibet per suum comune infra XV. dies postquam requisitio inde facta erit [7] de uno comuni ad aliud, Et si predicti arbitri convenire [8] non possent eligatur alius [9] medius per dictos arbitros, Et si non possent de medio convenire ex nunc sit Abbas Casenove [10] qui nunc est vel per tempora esset, dicto et arbitratui [11] cuius stetur per utranque partem.

[1] *adiutores.*

[2] Documentum hoc exstat in Fragm. Taur. Cod. Oger. Alfer. fol. CCCXCVII.' et seq. ex quo summatim edidit Moriondus *Monum. Aquen* pars II. Col. 438. N. 195. Idem praeterea memorarunt Grassi *Storia di Asti* cit. Vol. I pag. 188. et Novellis *Storia di Savigliano* pag. 54. Lectiones varias Fragm. Taur. hic satis erit attulisse. — [3] Add. *et.* — [4] Deest *et.* — [5] *infra.* — [6] *offensiones* — [7] *esset.* — [8] *conveniri.* — [9] *unus.* — [10] *Casse nove.* — [11] *arbitratu.*

Item quod omnes carcerati qui detinentur in provincia per dominum Regem predictum vel curiam ipsius [1] et qui sunt de civitate Astensi et de eorum parte debeant manulevari omnes una quantitate simul scilicet librarum vigintiquinque millium Astensium ad reversionem carcerum in fine dictarum treuguarum. Tali modo quod per duos de parte domini Regis et alios duos de parte comunis Astensis taxetur cuilibet carcerato pars contingens et conveniens de dicta quantitate librarum xxv.^{m} Astensium, Ita quod si contingeret dictos carceratos in fine dictarum treuguarum reverti debere ad carceres vel solvere curie dicti domini Regis quantitatem sibi taxatam de predictis libris xxv.^{m} teneantur illi qui vivi erunt reverti ad carceres vel solvere curie dicti domini Regis quantitatem sibi taxatam de predictis libris xxv.^{m} Et fuit actum inter predictas partes quod commune Astense ponat commune Janue pro securitate et fideiussione erga predictum dominum Regem de faciendo predictos carceratos reverti ad carceres predictos in fine treuguarum vel solvere quantitatem taxatam pro omnibus si non reverterentur ad carceres vel minorem scilicet pro illis qui vivi essent, et non reverterentur [2]. Et si comune Janue Nollet intrare predictam securitatem seu fideiussionem, teneatur commune Astense ponere et dare aliam securitatem et fideiussionem ydoneam et sufficientem pro quantitate supradicta. Et predicta manulevatio et expeditio dictorum carceratorum in modum et formam prescriptam fiat ad tardius usque ad festum circumcisionis domini proxime venturum vel antea si fieri poterit bona fide, Et versa vice fuit actum quod presonerij qui capti detinentur in civitate Astensi, et qui sunt capti pro guerra dicti domini Regis et obsides Albe manuleventur et stent in manulevatione durante predicta treugua secundum quantitatem de qua simul convenerint vel separatim cum comuni Astensi, Et si non possent convenire taxetur cuilibet predictorum carceratorum quantitas sue manulevationis per predictos quatuor electos ad taxandas quantitates carceratorum qui in provincia detinentur faciendo bonam et ydoneam securitatem et fideiussionem quilibet vel omnes simul de [3] reversione ad carceres predictos vel de solvanda quantitate sibi imposita vel taglata. Et hoc intelligatur de reversione ad carceres vel de solvenda pena scilicet pro illis qui vivi erunt in fine treuguarum. Salvo eo quod duo carcerati [4] quos tenent Gutuarij cum sint Marchionis Montisferrati non intelligantur in presenti articulo comprehensi, sed sint in eo statu quo sunt alij carcerati Marchionis Montisferrati. Item ordinatum est inter predictas partes, quod carcerati qui detinentur per beroarios seu cavalcatores aut stipendiarios in Cuneo et Buscha non permittantur extrahi de loco Cunei et Busche sed ibi detineantur quousque de redemptione sua fuerint concordes cum illis qui eos tenent et quorum sunt, et non permittantur dicti carcerati torqueri vel iniuriari malo modo. Et si non possent convenire dicti presonerij de eorum redemptionibus [5] cum illis qui eos [6] tenent, taxetur quantitas eorum redemptionum [7] per illos quatuor qui taxare debent manulevationes seu quantitatem manulevationum carceratorum provincie [8]. Item actum est quod carcerati qui detinentur per communia qui sunt de parte comunis Astensis seu Marchionis [9] Salutiarum

[1] Add. *domini regis.* — [2] Add. *secundum quod taxatum fuerit cuilibet qui non reverteretur.* — [3] *vel.* — [4] Add. *provinciales.* — [5] *redemptione.* — [6] Deest *eos.* — [7] *redemptionis.* — [8] *provincialium.* — [9] *per marchionem.*

vel per comune Cunei vel per curiam dicti domini Regis de lombardia seu eius nuncios vel commune busche manuleventur [1] ydoneis quantitatibus et manulevationibus et stent in manulevatione durante treugua, et in hjs non intelligantur capti per beroarios seu cavalcatores aut stipendiarios, de quibus fiat prout in precedenti capitulo continetur. Item quod in omnibus capitulis in quibus continetur quod presonerij manuleventur a quacumque parte detineantur, intelligantur quod solvant id quod fuerit competens pro custodia et expensis victualium suorum preter quantitates manulevationis [2]. Et si de custodia non possent convenire carcerati cum custodibus, taxetur quantitas quam debebunt solvere ipsi [3] carcerati per illos quatuor qui debent taxare quantitates manulevationum carceratorum provincie. Item ordinatum est quod omnes banniti Cunei et qui in presenti capitulo inferius [4] denotantur sint et esse debeant in dictis treuguis, godiendo terras, possessiones et bona, exceptis castris et fortelicijs quas nunc non tenent, que habent in Cuneo et districtu Cunei et Busche et districtu Busche eo modo et forma quo et qua tenebant ante quam essent banniti seu quam exirent de Cuneo, salvo quod de dirutione domorum guastis et incendijs datis et factis hinc inde non fiat aliqua restitutio tempore treuguarum, Et [5] salvo quod dicti banniti non debeant stare in Cuneo nec districtu Cunei, Et banniti de Ast seu de aliqua terra de parte Astensi non debeant stare in terra de qua banniti sunt nec in districtu durantibus dictis treuguis, Et commune Ast teneatur dare et solvere libras Mille quingintas viennenses comuni Cuney pro facienda restitutione illis qui emerunt dicta bona dictorum bannitorum de precijs que dederunt in eis [6], Et si dicta summa non sufficit ad dicta precia restituenda, commune Cuney teneatur solvere et complere integraliter id quod restabit ad solvendum, ita quod dicte res et bona penitus expediantur dictis bannitis sive eorum procuratoribus ut eas libere possint godire, et in fine dictarum treuguarum si contingeret [7] guerram esse quod absit dicte libre Mille quinginte viennenses restituantur predicto comuni Astensi, et de hoc assecuretur commune Ast per communia Savilliani et Montisregalis vel per aliam [8] ydoneam securitatem. Eo salvo quod si commune Cuney tempore guerre permitteret tenere et possidere et godire predictas terras et possessiones predictis bannitis libere et quiete, non teneatur comune Cuney restituere communi Ast dictas libras MD. viennenses, dum ipsi banniti godirent [9]. Et banniti quibus fieri debet restitutio predicta rerum modo et forma prescripta sunt hij omnes de hospitio Cavaleriorum et Faramiorum et filiorum domini Johannis domine Alaxie, et illi qui cum ipsis vel post ipsos de Cuneo exiverunt occasione qua predicti exiverunt. Et predicti banniti non possint godire nisi prius date et solute fuerint Communi Cuney dicte libre MD. viennenses ut supra continetur, et idem intelligatur de alijs bannitis qui ostenderent [10] publicum instrumentum factum manu alicuius notarij de collegio notariorum civitatis Astensis de pactis et conventionibus que haberent cum communi Astensi secundum quod in instrumento contineretur inde ostenso. Eo salvo quod predictis bannitis non restituatur aliqua segnoria nec fortelicia tempore treuguarum. Item actum est inter predictas partes quod homines Cunei et busche et districtus possint godire et

[1] *manulevantur.* — [2] *manulevationum.* — [3] *predicti.* — [4] Deest *inferius.* — [5] *Eo.* — [6] Add. *rebus.* — [7] *contigerit.* — [8] *aliquam.* — [9] *godire.* — [10] *ostenderent.*

tenere terras et possessiones quas habent in posse et districtu Astensi, et illorum qui pro ipsis erunt in treuguis [1], et in terra Marchionis Salutiarum, Et homines et vassalli Marchionis Saluciarum et terre sue et districtus Astensis et de parte ipsorum possint et debeant godiri omnes terras et possessiones et bona que habent in Cuneo et Buscha et districtu et posse Cuney et Busche, Exceptis castris fortelicijs et signorijs, quas nunc non tenent, Et predicta bona quisque possit tenere et godire eo modo et forma quo et qua tenebat ante presentem guerram, Et hoc capitulum locum habeat solomodo in illis qui non sunt banniti, observando tamen in bannitis capitulum suprascriptum. Eo addito quod si Marchio Saluciarum voluerit quod banniti de terra sua possint godire bona que habent in terra ipsius Marchionis, Banniti Cuney qui sunt homines vel vasalli dicti Marchionis possint godire terras et possessiones quas habent in Cuneo et posse Cuney exceptis fortalicijs. Item statutum est quod omnes laudes [2] reprehensalie et cambia aliquibus personis concessa per aliquam dictarum partium cessent et non habeant aliquem vigorem, nec aliqua persona de hjs laudibus [3] seu cambijs uti possit tempore dictarum treuguarum, sed qui habet vel habebit aliquod jus contra aliquam personam de quacumque parte sit, possit iure ordinario suum jus proponere et petere, et ei [4] fiat plenarie justicie [5] complementum. Et predictas treuguas secundum quod superius sunt scripte, domini Guilelmus de platis [6], henricus Alferius, Manuel Gutuarius et Girbadus Bergogninus nomine et vice comunis Astensis promiserunt michi notario infrascripto recipienti nomine et vice dicti domini Regis et omnium quorum intererit tenere et habere ratas et firmas generaliter et specialiter, et eas servare et servari facere bona fide et sine fraude totaliter et particulariter sub obligatione omnium bonorum communis Astensis, et se facturos et curaturos nomine predicti comunis Astensis, quod servabunt secundum pacta superius scripta. Versa vice domini Fulcho Arduynus et Philippus de Gastaldo nomine et vice predicti domini Regis et communis Cunei et Busche promiserunt solemniter michi notario recipienti nomine et vice communis Astensis, et omnium quorum interesset habere et tenere predictas treuguas totaliter et particulariter ratas et firmas sub obligatione omnium bonorum communis Cuney, et se facturos quod dominus Rex predictus dictas treuguas sicut superius sunt scripte approbabit ratificabit et confirmabit usque ad festum circumcisionis domini proxime venturum per suas patentes literas cum sigillo suo pendente. Et propter hoc scilicet de confirmatione facienda, posuerunt castrum seu fortalicium ville Busche in manibus et forcia communis Savilliani et castrum seu fortelicium [7] Montismali in manibus et forcia [8] Montisregalis, si voluerint reducere ad pristinum statum novitatem quam fecerunt ipsi vel alius pro eis a decem diebus citra in homines Cluse [9], Alioquin ponatur dictum castrum in manibus et forcia communis et hominum Claraschi, et duas turres castri et fortalicij Cadralij in manibus communis Foxani. Tali modo quod si predictus dominus Rex predictas treuguas [10] confirmabit et approbabit et carceratos qui sunt in provincia expedierit ut supra scriptum est usque ad festum circumcisionis domini proxime venturum predicta castra et fortelicia incontinenti

[1] *integraliter.* — [2] Add. *et.* — [3] *laudis.* — [4] *eis.* — [5] *iusticia.* — [6] *platea.* — [7] *fortalicias* — [8] Add. *comunis.* — [9] *Clusse.* — [10] Add. *non.*

restituantur et reddantur in manibus quibus nunc sunt sine omni fraude et cavillatione. Promiserunt etiam facere iurare homines qui stant sub predictis [1] castris quod bona fide iuvabunt castellanos et servientes qui erunt in dictis [2] castris ad tenendum et defendendum castra predicta secundum modum et formam suprascriptum et suprascriptam, Et si dominus Rex predictus Nollet suprascripta confirmare, et carceratos deliberare ut predictum est, dicta castra ponantur et reddantur in forcia et virtute communis Astensis. Hoc acto quod castrum Busche custodiatur cum decem guardijs et uno Castellano et castrum Montismali cum octo guardijs et uno Castellano et turres Cadralij quelibet per duos torrexanos et inferius per [3] unum castellanum et duos socios unus quorum sit portenarius castri, vel si Bonefacius Arduynus vellet dare unum de filijs suis pro obside in manibus comunis Foxani vel alicuius eius amici de Ast, quod tunc stent super qualibet turre duo torrexanni, et de subter stet unus qui det necessaria torexannis, et hoc intelligatur ad expensas curie. Hoc salvo quod si communia [4] predicta vellent plures custodias [5] ponere quam supra dictum est in dictis castris Busche et Montismali vel aliquo predictorum possint hoc facere eorum expensis ita quod per illas expensas non possint retinere castra si contingeret ipsa reddi debere in manibus illorum quibus reddi deberent ex forma predicta. Et predictas treuguas promiserunt suprascripti Sapientes Astenses nomine et vice communis Astensis michi notario infrascripto recipienti nomine et vice dicti domini Regis attendere et observare et facere et curare quod attendantur et observentur totaliter et particulariter sub pena Mille Marcharum argenti. Versa vice predicti sapientes Cuney nomine et vice predicti domini Regis promiserunt michi notario infrascripto recipienti nomine et vice dicti Communis Astensis et [6] omnium quorum intererit attendere et observare et attendi et observari facere, et se facturos et curaturos quod servabuntur sub pena mille Marcharum argenti, quam penam teneatur et debeat solvere pars non attendens parti attendenti et observanti. Que pena tociens comittatur et possit exigi cum effectu, quotiens factum erit contra predictas treuguas [7], et pena soluta nichilominus predicte treugue in sua permaneant firmitate. Predicta autem omnia et singula predicte partes sibi adinvicem eorum et predictorum nomine promiserunt [8] et ad sancta dei evangelia iuraverunt attendere et observare et attendi et observari facere et non contravenire sub obligatione omnium bonorum comunium predictorum, que pro inde una pars alteri predictis nominibus pignori obligaverunt. Infrascripti sunt in treuguis [9] pro communi Astensi, Comune Astense cum omnibus civibus et vasallis suis et cum tota terra quam tenent et possident, Commune et homines Foxani cum tota terra quam habent tenent et possident, Episcopus Astensis cum tota sua familia et cum tota terra quam tenet et possidet, Commune Carij cum tota terra quam tenet et possidet, Commune et Episcopus Albensis cum civibus et vasalis eorundem qui sunt de parte Astensi cum tota terra quam tenent et possident, Commune et homines Claraschi cum tota terra quam tenent, Marchio Salutiarum et eius homines et vassalli cum tota terra quam tenent et possident, Commune Savilliani et domini Morete cum tota terra quam tenent et possident, locus Baenarum cum tota terra quam tenet, Commune et homines Montisregalis cum tota

[1] *dictis.* — [2] *essent in dicti.* — [3] Deest. *inferius per.* — [4] *coram.* — [5] *custodes.* — [6] Add. *nomine.* — [7] *marchas.* — [8] Add. *attendere.* — [9] *treugua.*

terra quam tenent et possident, domini Bovesij et Morocij cum tota terra quam tenent et possident [1], Banniti et forensiti [2] Cuney cum tota terra quam tenent, dominus Maynfredus de Careto, filij domini Jacobi de Careto, Marchiones de Ceva, Marchiones de Cravexana, et eorum homines et vasalli cum tota terra quam tenent, Commune Papie et Marchio Montisferrati si eis placuerit, omnibus capitulis generaliter et singulariter remanentibus in sua firmitate. Isti sunt in treugua pro domino Rege Scicilie, In primis tota terra provincie et tota terra quam tenet ultramontes et cum toto suo regno Scicilie, et locus Cuney et busche cum toto eorum districtu, et forensiti Albe cum toto eo quod tenent, et specialiter id quod tenent in castro Corneliannj, Et Commune Astense teneatur iurare in consilio et facere iurare quemlibet suprascriptorum qui voluerit esse in treuguis supradictis, predictas treuguas, et quod ipsas servent sicut superius sunt scripte, Et qui noluerit iurare ipsas infra unum mensem postquam inde fuerit requisitus non sit nec esse intelligatur in ipsis treuguis. Salvo eo quod si aliquis Nollet iurare ut supra quod propter hoc dictus dominus Rex non possit aliquem vel aliquos capere nec recipere de sua parte durantibus ipsis treuguis. Et Seneschallus dicti domini Regis in partibus lombardie ex nunc teneatur iurare et attendere et attendi facere predictas treuguas usque ad festum circumcisionis domini proxime venturum, et ultra si dominus Rex predictus ipsas [3] confirmabit, et homines Cuney et Busche et alij qui pro ipso domino Rege sunt in treuguis citra montes teneantur eas [4] iurare infra unum mensem postquam inde fuerint requisiti. Actum in Foxano in pallatio comunis, interfuerunt testes [5] dominus philippus Scarampus, Mellanus [6] Specialis, dominus Ugo Rodulfus, Anselmus Ribba, Ubertus Guarnerius, Bartholomeus Andeardus et Guilelmus de Gastaldo notarius, et inde [7] dicte partes michi notario unum et plura instrumenta fieri preceperunt.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi [8].

951. *De certis conventionibus tractatis inter Comune Ast ex una parte et comunia Cuney et Busche ex altera, sub condictione videlicet nisi dominus Rex treuguas ratificabit antedictas infra terminum limitatum.* 1277. 13 Septembris [9].

Anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo Indictione quinta die lune Terciodecimo mensis Septembris. Ad honorem domini nostri yhesu christi et gloriose virginis Marie et beatorum Secundi et Georgij et omnium sanctorum et sanctarum dei, et ad honorem communis Astensis et omnium amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius communis et ad honorem communis [10] et hominum Cunei et Busche et amicorum suorum coadiuctorum et juratorum ipsorum. Hec est pax facienda inter dominos Guilelmum de platea, Henricum Alferium, Manuelem Gutuarium el Girbaldum Bergogninum, quibus negocia communis Astensis [11] commissa sunt tractanda et ordinanda auctoritate baylie eis concesse a communi Astensi nomine et vice communis Astensis et domini Episcopi Astensis et amicorum et coadiuctorum et iuratorum

[1] Deest *et possident.* — [2] *forenses.* — [3] Add. *treuguas.* — [4] Deest *eas.* — [5] Deest *testes.* — [6] *Meylanus.* — [7] Add. *de.* — [8] Add. *et est in libro veteri folio* CLI.

[9] Documentum hoc exstat in Fragm. Taur. Cod. Oger. Alfer. fol. CCCXCIX' et seq. ex quo compendiarie edidit Moriondus *Monum. Aquen.* pars II. col. 439. N. 196, Lectiones varias Fragm. hic afferemus. — [10] Deest *et ad honorem comunis.* — [11] Deest *Astensis.*

ipsorum ex una parte, et dominos Fulchonem Arduynum et Philippum de Gastaldo sindicos et procuratores communis et hominum Cunei nomine et vice dicti communis et hominum et omnium amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius communis ex altera, Si contingeret quod dominus Rex Scicilie non confirmaret treuguas factas nomine dicti domini Regis ex una parte et commune Ast ex altera sicut in instrumento inde facto per me notarium infrascriptum hoc eodem anno et Indictione die loco et testibus continetur, et non expedierit carceratos de parte Astensi qui sunt in provincia infra tempus in ipsis treuguis ordinatum secundum capitula infrascripta. In primis quod commune Cunei et singuli habitatores et districtuales eiusdem loci absolvantur ab omnibus pactis et conventionibus que et quas olim habuerunt cum predicto communi Astensi et ab omni debito et prestatione quod et quam eidem comuni Astensi dare et facere tenebantur propter[1] dictas conventiones olim datas et factas inter predicta comunia. Item quod[2] homines Cunei et Busche absolvantur ab omnibus Iniurijs et damnis datis per commune Cuney et Busche et[3] per aliquam singularem personam Cuney et Busche et districtus communi Astensi vel alicui singulari persone civitatis Astensis vel eorum districtualibus seu coadiuctoribus et juratis[4] ipsius comunis, Ita quod de predictis vel aliquo predictorum nulla querimonia fiat nec inde questio audiatur. Versa vice commune et homines Astenses et coadiuctores amici et iurati[5] ipsorum absolvantur ab omnibus iniurijs offensionibus et damnis datis communi et hominibus Cunei et Busche et districtualibus et coadiuctoribus ipsorum, ita quod de predictis vel aliquo predictorum nulla querimonia fiat nec inde questio audiatur. Item quod commune et homines Cunei et Busche teneantur facere exercitus et cavalcatas itinera dare et succursum[6] communi Astensi et guerram facere ad suum posse cum quolibet principe barone et universitate cum quo vel quibus commune Astense faceret et haberet guerram, et pacem facere et tenere cum omnibus illis cum quibus commune Astense faceret et teneret pacem. Et versa vice commune Astense in consimilibus casibus teneatur erga commune et homines Cuney et districtus et Busche, et habere seu facere guerram cum illis cum quibus haberent guerram, et pacem cum illis cum quibus haberent pacem, Salvis vassalis et civibus communis Astensis in feudis que tenent a comuni Astensi. Item quod omnes banniti communis Astensis, sint banniti communis Cuney, et omnes banniti communis Cuney sint banniti communis Astensis. Salvo quod hoc capitulum non noceat illis de hospicio peciarum, nec in ipsis locum habeat. Item quod omnia cambia que habent homines Cuney et districtus contra comune Astense vel aliquam singularem personam de eius districtu et posse cessent et cessare[7] debeant. Versa vice omnia cambia que commune et homines Astenses et eius[8] districtus et posse contra commune Cuney vel aliquam singularem personam de eius districtu et posse cessent[8] et cessare debeant, Salvo eo quod per predicta communia fiat de dictis cambijs si requisitum fuerit iusticie[9] complementum. Item si aliqua questio vel discordia moveretur, quod deus avertat[10] inter commune et homines Cuney et vasallos communis Astensis, de

[1] *per predictas.* — [2] Add. *comune et.* — [3] *vel.* — [4] *districtuum seu coadiuctorum. et iuratorum.* — [5] *amicos et iuratos.* — [6] Add. *facere.* — [7] *cassare.* — [8-8] Haec desunt. — [9] *iusticiam* — [10] *advertat.*

aliqua re, que[1] non sit feudum comunis Astensis, et iuratos predicti communis Astensis, dictum commune teneatur admonere ambas partes ut infra unum mensem veniant et se concordent de dicta questione et discordia, et si non poterunt convenire infra dictum terminum, ponant se in dicto et arbitrio communis Astensis, et ipsum[2] commune dictam[3] discordiam concordare debeat per concordiam vel juris ordine servato. Et si qua pars recusaret facere predicta, commune Astense non debeat nec teneatur ipsam partem iuvare vel sustinere de[4] dicta discordia nec questione nec de illa se intromittere. Item quod banniti Cuney scilicet hospitij[5] Cavaleriorum et filiorum domini Joannis domine Alaxie et farannorum[6] et alij qui cum ipsis vel post ipsos exiverunt de Cuneo ex[7] causa qua predicti exiverunt sint extra bannum ita quod possint secure reverti in Cuneo et districtu Cunei, et ibi stare ad eorum libitum et[8] liberam voluntatem, et recuperare possessiones quas habebant tempore quo exiverunt de Cuneo, et omnia bona[9] que habebant tempore quo exiverunt, eis restituantur, ita tamen quod de damnis eis datis, vel que alijs[10] dederunt non fiat aliqua restitutio. Et si commune Cunei recuperaret vel ad manus ipsius[11] comunis perveniret aliquod castrum vel villa in quibus suprascripti vel aliqui suprascriptorum haberent aliquod jus, predictum commune Cunei, ea iura que ibi habebant[12], eis reddere et dimittere teneantur. Et hoc quando commune Astense solverit communi Cunei librarum Triamillia viennensium pro restituendis precijs illis qui dictas possessiones emerunt, vel minus si minus reperiretur quod emptores recipere deberent, Et magis predicto precio si magis inventum fuerit, teneantur solvere commune et homines Cuney, Et idem intelligatur de alijs bannitis qui ostenderent publicum instrumentum factum manu alicuius publici notarij de collegio notariorum civitatis Astensis de pactis et conventionibus que haberent cum communi Astensi secundum quod in ipso instrumento inde ostenso contineretur. Et predicti banniti debeant renunciare omni conventioni et iuramento, quam et quod haberent cum communi Astensi, et commune Astense renunciare omni conventioni et iuramento quam et quod haberet cum predictis bannitis. Item ordinatum est inter predictas partes, quod de discordijs et questionibus quas habet et facere[13] posset commune Cuney cum Marchione Salutiarum, et Marchio Salutiarum cum comuni Cuney eligantur duo arbitri per dominum Marchionem et duo per comune Cunei, qui debeant simul dictas discordias[14] concordare et questiones difinire per concordiam vel per iuris ordinem. Et si dicti arbitri non possent convenire vel[15] concordare in dictis discordijs concordandis vel questionibus de jure terminandis, commune Astense sit medium in dictis questionibus et discordijs sedandis et terminandis de iure vel per concordiam. Et sicut dictum commune dictas discordias et questiones sedaverit et terminaverit, habeatur et teneatur firmum per predictas partes. Eo salvo quod dictus Marchio ante quam predicta fiant absolvat[16] et absolvere[17] debeat comune Astense ab omni conventione et iuramento quam et quod habet cum predicto communi[18], quantum ad hoc quod possit iuste predictas discordias concordare vel de iure terminare, ita quod non teneatur dictum commune quantum ad[19] predicta plus uni quam alteri. Et incontinenti firmata

[1] *quod.* — [2] *quod.* — [3] Add. *questionem.* — [4] *nec.* — [5] *hospitium.* — [6] *faramiorum.* — [7] *ea.* — [8] Deest *libitum et.* — [9] *iura.* — [10] *eis.* — [11] Deest *ipsius.* — [12] *habebat.* — [13] *vel habere.* — [14] *concordias.* — [15] Add. *se.* — [16] *absolvatur.* — [17] *solvere.* — [18] Add. *Astensi.* — [19] *de.*

pace infra unum mensem commune Ast capiat et teneat in sequestro possessionem loci Centalli, et castri magni et Rocheguidonis, et possessionem [1] predictorum locorum teneat dictum commune quousque dicte questiones et discordie fuerint terminate per concordiam vel de iure ad expensas et messiones illius partis, cui predicta castra et loca restituerentur, et quousque dicte questiones et discordie fuerint sopite si aliqui homines de Cuneo vel de districtu Cuney habent terras et possessiones in districtu Marchionis predicti, eas possint tenere et godire ad suam voluntatem, Et versa vice si aliqui homines Marchionis Saluciarum habent terras et possessiones in Cuneo vel [2] districtu Cuney, eas possint godire et tenere ad suam voluntatem, et hoc intelligatur de hominibus utriusque partis qui non sunt banniti per curiam suam [3]. Eo addito quod si Marchio Saluciarum voluerit quod banniti de terra sua possint godire bona que habent in terra ipsius Marchionis, Banniti Cuney qui sunt homines vel vasalli dicti Marchionis possint godire terras et possessiones quas [4] habent in Cuneo et posse Cuney. Eodem modo et eadem forma procedatur et servetur [5] si aliquis homo specialis natus de Cuneo vel districtu seu territorio Cunei et Busche moveret aliquam questionem contra aliquem de iuratis et de parte comunis Astensis. Versa vice si aliqui iurati seu de parte comunis Astensis moveret aliquam questionem cum comuni Cuney et Busche vel cum aliqua singulari persona de posse Cuney et Busche, eodem modo et forma servetur. Item statutum est inter dictas partes, quod de questionibus quas faciet [6] commune Cunei de dominijs et castris [7] Morocij et hominibus qui ibi stant, et domini de Morocio contra comune Cuney, Et quas faciet commune Cuney cum dominis de Bovisio et domini de Bovesio contra [8] commune Cunei, et de castro Mirabelli et de alijs questionibus que oriri possent inter commune Cunei et aliquam singularem personam vel personas [9] vel universitatem de terra et jurisdictione quam solebat tenere et habere commune Cuney vel dominus Rex Sicilie ex donatione per concessionem ei factam per commune Cunei de posse et districtu Cunei a quinque annis [10] retro, committat se commune Cuney in dicto et arbitramento seu arbitrio communium [11] Savilliani, Foxani et Montisregalis, si commune et homines Montisregalis voluerint reducere ad pristinum statum novitatem quam fecerunt in hominibus Cluse ipsi vel alius pro eis a decem diebus citra. Alioquin loco ipsorum sint commune et homines Claraschi, et alij qui de predictis voluerint facere questionem eodem modo se committant in dicto arbitratu et arbitrio communium predictorum, et secundum quod dicta communia vel duo dictorum communium dicent et pronuntiabunt servato iuris ordine et non servato, servetur per partes salvis capitulis suprascriptis, de quibus non possint se intromittere ullo modo. Item actum fuit inter dictas partes licet in instrumento treuguarum factarum inter commune Ast et dominum Regem Sicilie contineatur, quod castrum Busche et castrum montismali et turris [12] Cadralij tradantur et restituantur comuni Ast, si [13] predictus dominus Rex non confirmaret et approbaret [14] treuguas predictas, et carceratos qui sunt in provincia non expediret et liberaret secundum quod in ipsis treuguis plenius continetur, quod dicta castra, firmata dicta pace per predicta

[1] *possessio.* — [2] *et.* — [3] Add. *Et.* — [4] Add. *ipsi.* — [5] Add. *et.* — [6] *faceret.* — [7] *dominis et castro et.* — [8] *eum.* — [9] *seu personis.* — [10] Add. *hinc.* — [11] *arbitri communi.* — [12] *turres.* — [13] *se.* — [14] *confirmare et approbare.*

communia Ast et Cuney, restituantur communi Cuney, Eo salvo quod commune Cuney teneatur iurare et firmare predictam pacem per sindicos ad hoc solemniter constitutos infra quindecim dies post festum anni novi, si dominus Rex predictus non approbaverit et carceratos qui sunt in provincia non liberaverit secundum modum et formam treuguarum factarum inter dictum dominum Regem et comune Ast. Et si hoc non fecerit commune Cuney, teneantur communia Savilliani, Montisregalis vel Claraschi et Foxani restituere et reddere suprascripta castra in manibus et forcia communis Astensis. Et si commune Ast recusaret recipere iuramenta prescripte pacis dicta communia prescripta castra restituere et reddere in manibus et forcia communis Cuney teneantur. Predicta autem omnia et singula predicti domini Guilelmus de platis [1], Henricus Alferius, Manuel Gutuarius [2] et Girbaldus Bergogninus, nomine et vice communis Astensis et domini Episcopi Astensis et omnium et singulorum amicorum, coadiuctorum et iuratorum ipsorum ex una parte, et domini Fulcho [3] Arduynus, philippus de Gastaldo [4] nomine et vice comunis et hominum Cuney [5] et amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsorum ex altera in predicto casu videlicet si dominus Rex predictus dictas treuguas non confirmaret et carceratos non expediret ut supra, ex nunc fecerunt et firmaverunt et firma sint [6]. Et predicta omnia et singula attendere et observare et attendi et observari facere nominibus suprascriptis et non contravenire sibi adinvicem stipulantibus promiserunt sub obligatione omnium bonorum suorum et comunium predictorum, que pro inde una pars alteri sibi adinvicem pignori obligaverunt. Et predicta omnia et singula predicti domini Guilelmus, Henricus, Manuel et Girbaldus nomine et vice dicti comunis [7] in manibus predictorum dominorum philippi et Fulchonis predicto nomine recipientibus, et ipsi domini Fulcho et philippus predictis sapientibus de Ast predicto nomine recipientibus ad sancta dei evangelia corporaliter iuraverunt attendere et observare et attendi et observari facere et non contravenire. Actum in Foxanno in pallatio comunis interfuerunt testes dominus philippus Scarampus, Mellanus [8] Specialis, dominus Ugo Rodulfus, Anselmus Ribba Ubertus Guarnerius, Bartholomeus Andeardus et Guilelmus de Gastaldo notarius.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi [9].

952. *De firmatione dictarum conventionum et pacis inter dictas partes tractatarum, facta per ipsas ambas partes, condictionem predictam dicto Rege minime adimplente.* 1278. 8 Januarij [10].

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo Indictione sexta, die octavo mensis Januarij In presentia infrascriptorum testium, Cum pax et concordia tractata et ordinata atque firmata esset inter dominos Guilelmum de platea, henricum Alferium, Manuelem Gutuarium et Girbaldum Bergogninum, quibus negocia comunis Ast commissa sunt a comuni Astensi nomine et vice communis Astensis et domini Episcopi Astensis et amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsorum ex una

[1] *platea.* — [2] *Gutuerius.* — [3] *Fulchus.* — [4] *Castaldo.* — [5] *omnium et.* — [6] *sunt.* — [7] Deest *dicti. comunis.* — [8] *Meylanus.* — [9] Add. *et est in libro veteri folio* CLII.

[10] Documentum hoc aliqua ex parte mancum adhuc exstat in Fragm. Taur. Cod. Oger. Alfer. fol. CCCCI. cuius lectiones varias hic subiungimus.

parte, et dominos Fulchonem Arduynum et Filippum de Gastaldo sindicos et procuratores communis et hominum Cunei nomine et vice dicti communis et omnium amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius [1] comunis ex altera sub tali condictione seu condictionibus videlicet quod si contingeret [2] quod dominus rex Cicilie [3] non confirmaret treuguas factas nomine dicti domini Regis ex una parte et Commune Ast ex altera sicut in instrumento inde facto per me notarium infrascriptum Anno domini [4] MCCLXXVIJ°. Indictione quinta die lune XIIJ° mensis Septembris plenius continetur et non expediret carceratos qui sunt in provincia infra tempus in ipsis treuguis ordinatum videlicet usque ad diem anni novi [5] sive kallendarum Januarij proxime preteritarum seu preteriti secundum capitula que continentur in instrumento pacis seu concordie supradicte et secundum modum et formam contentum et contentam in instrumento predicte pacis prout predicta capitula [6] et [7] alia plenius continentur [8] in instrumento pacis predicte facto a me eodem [9] notario predicto ut superius continetur. Et inter cetera continetur ibidem quod si predictus dominus Rex treuguam predictam non confirmaverit et carceratos predictos non relaxaverit termino supradicto quod commune Cuney tenetur iurare et firmare predictam pacem per sindicos ad hoc specialiter [10] constitutos infra XV dies post festum anni novi proxime preteriti, et etiam quod pax predicta firmari et iurari debeat [11] per dicta communia, Et suprascriptus dominus Rex condictiones predictas vel earum aliquam non adimpleverit videlicet treuguam predictam non ratificaverit et carceratos non relaxaverit, et terminus quo predicta debebant fieri sit elapsus, Ecce quod Bertholotus Andeardus et Jacobus Berga sindici [12] ad predicta iuranda et firmanda atque ratificanda secundum formam pacis predicte solemniter constituti a consulibus seu rectoribus Cuney et societatis noviter inite et a generalj consilio Cuney prout in instrumento sindicatus eorundem plenius continetur facto a Guilelmo de Gastaldo notario hoc eodem anno Indictione et die nomine et vice communis et hominum Cuney et amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius communis, Et insuper habundanciori cautela predicti consules et rectores quorum nomina inferius describuntur una cum Reverendo patre domino Raymondo sancti dalmacij Abbate et credenciarij [13] loci predicti Cuney per campanam et nuncios more solito congregati una cum ipsis consulibus et rectoribus et domino Abbate, eorum nomine et supradicto solemniter promiserunt Gauterio Guandete [14] sindico communis Astensis ad hec specialiter constituto prout continetur in instrumento sindicatus eiusdem facto a Guilelmo de Gilio notario hoc eodem anno et Indictione die dominico secundo mensis Januarij recipienti et solemniter stipulanti nomine et vice communis Astensis et domini Episcopi Astensis et amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius communis predictam pacem et concordiam et omnia et singula que continentur in ea prout in ipsa continentur [15] facere complere attendere et observare et nullo tempore contravenire aliquo modo sub aliquo ingenio sub obligatione omnium bonorum communis Cuney et dicti domini Abbatis que pro inde predicti sindici Abbas et consules seu rectores et credendarij nomine suprascripto iandicto Galterio predicto nomine recipienti pignori

[1] *ipsi.* — [2] *contingerit.* — [3] *Scicilie.* — [4] *hoc anno de inde.* — [5] Deest *novi.* — [6] Deest *capitula.* — [7] Add. *plura.* — [8] *continetur.* — [9] Deest *eodem.* — [10] *solempniter.* — [11] *debet.* — [12] *sindicos.* — [13] *credencia.* — [14] *Guardete.* — [15] *continetur.*

obligaverunt. Et insuper tam predicti sindici predicto nomine, quam predicti consules seu rectores et credendarij [1] nominibus predictis predictam pacem et concordiam et omnia et singula que continentur in ipsa corporaliter iuraverunt in manibus supradicti sindici in presentia dominorum Philippi Scarampi et Guilelmi Gardinj ambaxiatorum predicti comunis Astensis pro predictis et infrascriptis effectualiter mancipandis [2] attendere et observare facere et complere, et nullo tempore contravenire per sese nec per alios,et ipsam pacem et omnia et singula capitula eiusdem et que continentur in ipsa firmaverunt et ratificaverunt et approbaverunt predicti sindici consules et rectores ac credendarij eorum nominibus et predictis. Et versa vice iandictus Galterius sindicus communis Astensis nomine et vice ipsius comunis et omnium amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius communis promisit predictis sindicis recipientibus et stipulantibus nomine et vice communis Cuney et omnium amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius comunis atque iuravit prout per [3] iandictos sindicos in manibus ipsius Galterij predicto nomine recipienti apparet [4] iurasse et promisisse nomine et vice communis Cuney et amicorum iuratorum et coadiuctorum ipsius comunis in omnibus et per omnia ut superius continetur sub bonorum [5] communis Astensis obligatione que proinde predictis sindicis predicto nomine recipientibus pignori obligavit. Nomina autem consulum seu rectorum et credendariorum sunt hec, dominus Philippus de Gastaldo, dominus Ugo Rodulphus, dominus Raymondus Abbas sancti dalmacij, Guilelmus de Gastaldo, Sysmondus Guarnerius, Nicholinus Romeus, Rollandinus Gauterius, Arnaldus Ambrosius, Johannes Baudezonus, henricus de Ast, Bozardus lambertus, Thomas lambertus, Obertus Richelmus, Antranus [6] Robionus, Petrus Guarnerius, Jacobus [7] durandus, Nicholaus Officia, Raymondus Mayavacha, [8] Jacobus Innere [9], Anselmus Julianus, Valla Merlo, Girardus laydetus, Jacobus Centallus, Guilelmus Fornarius [10], Ugo dolzanna [11], Johannes Ogerius, Bertheus Bonus, Obertus Ceva [12], Alexander de Montado [13], Raymondus Vigla, Raymondus Cantherius [14] notarius, Alexander Morrus, Jacobus de Anfusio, Bertonus landania, henricus Felleatus [15], Astaidus Riquicia, dominus Obertus Guarnerius, dominus Bonefacius Arduynus, dominus Frederichus Monachus sancti dalmacij [16], Bastardus de Gastaldo, Guilelmus Richerius, Jacobus pacellus, Johannes Gandulfus [17], Petrus de Montado, Petrinus Arduynus, duxius draperus, Jacobus Guirandus [18], Nicholinus Guarnerius, Guilelmus Malopera, Sysmondus de Brayda, henricus Rastellus, Nicholaus pascherius, Anselmus Iunere [19], henricus de Inversa, Mayfredus Richa, Jacobus Iulianus, Guilelmus Marengus, Bonefacius Requicia [20], dominus Guilelmus de Bruxaporcello, Rufinus Beyamus, Guarnerius Guarnerius, Jacobus Bonanatus, Guilelmus dalmacius, Guilelmus Guido [21], Rubeus Filippus, Bellengerius de Intraquis et Michael Pasqualis, perotus notarius, Berrardus Torbylius, Per de Cara, dominus Jacobus Iuchellinus, Oddo Richellinus, dominus henricus Gilius, Berrardus Nassus, Jacobus Merlo, Oddo de Brayda, Bellententus, Raymondus Brocardus, dominus Guilelmus de Moteto, Anselmus Iulianus, Francesius Bucius, Nicholaus de

[1] Add. *eorum et.* — [2] *emancipandis.* — [3] Deest *per.* — [4] Deest *apparet.* — [5] Add. *et.* — [6] *Autranus.* — [7] *johannes.* — [8] *maniavaca.* [9] *imverse.* — [10] *formaiarius.* — [11] *dolcana.* — [12] *zona.* — [13] *Montaldo.* — [14] *Caraterius.* — [15] *feleacius.* — [16] Deest *dalmacij.* — [17] *Gandus.* — [18] *Ginrardus.* — [19] *de invre.* — [20] *requieria.* — [21] Reliqua desiderantur.

Baldezono, Obertus Bandoria, Jacobus Blanchus, Jacobus Ceva, Obertus Galia, Robertus Ingrossa, dominus Guilelmus de Gastaldo, Vernacius lupus, Obertus de Brayda, Richalvus Robionus, Consul notarius, Aymus lupus, Obertus Romeus, Durandus de Gastaldo, Minetus Guarnerius, Maynfredus lambertus, Nicholaus Taxellus, Mayetus notarius, paganinus de Revello, Barroghus Canderanius, dominus Sysmondus de Brayda. Actum in Cuneo in pallatio communis Cuney, Interfuerunt testes, Philippus de drua, Johannes Alexius, Aymo lupus, Jacobus Baudezonus notarius, Ughetus Richerius, Raymondus Quarterius et Obertus Zeva.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et scripsj.

953. *De sindicatu cuiusdam de Cuneo constituti per Comune Cuney ad ratificandum pacem predictam.* 1278. 9 Januarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo Indictione sexta die dominico nono mensis Januarij In plena concione communis Cuney sono campane et voce preconia congregata, dominus Filippus de Gastaldo, Bonefacius Arduynus, Ubertus Guarnerius et Ugo Rodulfus, Consules et Rectores societatis communis Cuney et omnes et singuli de concione predicta, facto partito per predictum dominum Philippum eius nomine et nomine sociorum suorum et nomine et vice comunis et hominum Cuney et omnium de parte ipsorum fecerunt constituerunt et ordinaverunt Guilelmum Maloperam eorum et dicti communis et hominum Cuney et omnium predictorum certum sindicum procuratorem et auctorem ad ratificandum pacem factam et firmatam inter Commune Astense vel alios pro ipso communi pro se et coadiuctoribus suis et illis de parte ipsius ex una parte, et commune et homines Cuney vel alios pro ipsis pro se et coadiuctoribus suis ex altera, Et ad iurandum super predicta pace attendenda et observanda in animas ipsorum omnium et singulorum promittendo eorum nomine et nomine dicti communis Cunei et omnium et singulorum quorum interest vel intererit, se ratum et firmum habituros quicquid dictus syndicus fecerit in predictis et circa predicta sub obligatione omnium bonorum comunis Cuney que pro inde michi notario predicto nomine recipienti pignori obligaverunt. Actum in Cuneo sub porticu pallatij communis, Interfuerunt testes dominus Guilelmus de Cambiano, Georgius Beyamus, dominus Johannes Turchus, Raymondus lunellus, Johannes Alexander, Philippus de drua, et plures alij.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

954. *De ratificatione dicte pacis facta cum iuramento per dictum sindicum communis Cuney.* 1278. 9 Januarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo Indictione sexta die dominico nono mensis Januarij In publica concione Cuney more solito et loco consueto congregata, Guilelmus Malopera ad hoc specialiter constitutus et ordinatus a consulibus seu rectoribus communis et societatis Cuney, voluntate omnium et singulorum in concione predicta congregatorum eorum nomine et nomine communis Cuney, facto ad hoc partito per dominum Philippum de Gastaldo Rectorem seu consulem dicti comunis et societatis Cuney pro sese et socijs eiusdem nemine discrepante in

concione predicta promisit nomine omnium et singulorum in dicta concione constitutorum et totius comunis Cuney et amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius comunis Gauterio Guardete sindico communis Astensis ad hoc constituto ut continetur in carta facta a Guilelmo de Gilio notario hoc eodem anno et Indictione die dominico secundo Januarij, solemniter stipulanti nomine et vice communis Astensis et omnium amicorum coadiuctorum et iuratorum ipsius comunis in animas omnium et singulorum constitutorum in dicta concione, de hoc inde facto partito per Rectorem seu consulem supradictum suo nomine et predicto corporaliter tactis scripturis ad sancta dei evangelia iuravit pacem factam et firmatam inter comune Ast et Cuney et amicos et iuratos et coadiuctores ipsorum comunium, et omnia et singula capitula eiusdem pacis, atque omnia et singula que continentur in Instrumento dicte pacis facto a me notario infrascripto MCCLXXVIJ° Indictione quinta die lune XIIJ° mensis Septembris attendere et observare facere et complere, et nullo tempore contrafacere vel venire aliquo modo vel ingenio sub obligatione bonorum omnium comunis Cuney supradicti que pro inde predicto Galterio iandicto nomine recipienti pignori obligavit. Actum in Cuneo sub porticu pallacij comunis Cuney, Interfuerunt testes dominus Guilelmus de Cabianno, Georgius Beyamus, dominus Johannes Turchus, Raymundus lunellus, Johannes Alexander, Philippus de drua et plures alij.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et scripsi.

955. *De ratificatione pactorum et conventionum initarum inter comune Ast et comune Cuney inter alia continentium quod comune Ast construi facere possit in Cuneo unum vel duo castra pro amorem inter ipsa comunia vigentem melius conservando.* 1279. 8 Decembris [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo nono Indictione septima die veneris octavo mensis decembris in presentia testium infrascriptorum, dominus paganus de lucino potestas Astensis voluntate consilio et consensu Rectorum societatis et credendariorum civitatis eiusdem per campanam et nuncios more solito congregatorum et ore ad os interogatorum et scriptorum, et ipsi Rectores et Credendarij cum auctoritate ipsius domini potestatis nomine et vice communis Astensis ratificaverunt confirmaverunt et approbaverunt ac laudaverunt pacta et conventiones infrascriptas et infrascripta, et promiserunt michi Francischo de Benengo notario infrascripto stipulanti nomine et vice communis et hominum Cuney infrascripta pacta et omnia et singula prout inferius continentur attendere et observare et nullo tempore contravenire vel facere quorum pactorum tenor talis est, Cum placuisset consilio comunis Cuney, quod dominus paganus de lucino potestas Astensis et Sapientes civitatis communis Ast nomine et vice communis Ast requirerentur et rogarentur ex parte communis Cuney quod ad honorem communis Ast et communis Cuney ad hoc ut comune Cuney perpetuo remaneat in fraternitate et servicio comunis Ast, quod dictum commune Ast construeret et faceret in loco Cuney ibi ubi magis voluerit unum vel duo castra, et ipsa ibi perpetuo tenere, Ita tamen quod commune Ast promittat hominibus Cuney ipsos manutenere in solita

[1] Postrema huius documenti particula adhuc exstat in Fragm. Taur. Cod. Oger. Alfer. fol. CCCCIV.

libertate scilicet in illa in qua nunc est in presenti die, ita quod propter predicta castra non cogantur ad aliquam servitutem, sed commune Ast dictum commune Cuney manutenere debeat et defendere contra quamlibet personam vel universitatem que ipsi communi et hominibus Cuney vellet facere aliquam violenciam sive guerram, dum tamen dicta castra custodirentur et fierent ad expensas comunis Ast, salvis lignaminibus et lapidibus tegulis et cupis domorum Arduynorum et Gastaldorum et quas placuerit comuni Cuney diruere. Et insuper placuit toti consilio communis Cuney quod eligantur quatuor Sapientes, qui habeant plenam bayliam et potestatem tractandi et examinandi cum potestate et sapientibus comunis Ast, pactum et condictionem et totum id quod pertinet et pertinere eis videbitur ad dicta castra construenda et facienda inter Comune Ast et commune Cuney illa de causa tractando et quicquid predicti quatuor facient vel ordinabunt sit ratum et firmum velut totum consilium Cuney fecisset et ordinasset. Qui quatuor ibidem electi fuerunt videlicet dominus Jacobus paxerius, dominus Nicholaus Cavalerius, dominus Anselmus Ribba et dominus Nicholaus pascharius prout in libro consiliorum comunis Cuney plenius continetur unde cum dictus dominus paganus de lucino potestas Astensis nomine comunis Ast et quatuor Sapientes videlicet domini Rufinus Gutuarius, Philippus Scarampus, Gomondus de Gomondis eorum nominibus et nomine domini Baudoni de Sanctoiohanne qui est similiter de ipsis quatuor ex baylia eis concessa a communi Ast, et domini Georgius Thomas, Girbandus Pelleta rectores societatis sancti Secundi et domini Leo de Solario, Guilelmus Gardinus et Ubertus Bertaldus rectores societatis militum et domini Jacobus Ysnardus et Rollandus Thomas rectores quatuor societatum de predictis duobus castris construendis essent requisiti et faciendis predicto modo et forma, in pleno consilio comunis Cuney acceptaverunt predictam constructionem castrorum duorum quando eis videbitur et ubi eis videbitur sive simul sive separatim faciendam per comune Ast prout superius continetur unde dictus dominus paganus de lucino potestas Astensis nomine communis Ast et domini Rufinus Gutuarius, philippus Scarampus et Gomondus de Gomondis nominibus ipsorum et nomine domini Baudoni de Sancto iohanne socij ipsorum nomine communis Astensis ex baylia eis concessa a comuni Astensi et domini Georgius Thomas et Girbaldus pelleta Rectores societatis sancti secundi et domini leo de Solario, Guilelmus Gardinus et Ubertus Bertaldus Rectores societatis militum et domini Jacobus Ysnardus et Rollandus Thomas rectores quatuor Societatum communis Ast nomine communis Ast promiserunt et convenerunt stipulatione solemni dominis Jacobo paxerio, Nicholao cavalerio, Anselmo Ribbe et Nicholao de pascherio consulibus communis Cuney nomine communis Cuney quod comune Ast manutenebit et conservabit commune et homines Cunei perpetuo in solita libertate scilicet in illa in qua est ad presens ita quod propter dicta duo castra vel aliquod ipsorum comune Ast vel aliquis pro comuni Ast non coget nec costringet comune vel homines Cuney ad aliquam servitutem et dictum commune Ast commune Cuney manutenebit et defendet contra quamlibet personam vel universitatem que ipsi communi Cuney vel hominibus Cuney vellet facere vel inferre aliquam violenciam sive guerram promittentes insuper dictus dominus paganus de lucino potestas Astensis et predicti omnes quatuor ut supra et Rectores supradicti nomine et vice communis Astensis facere exercitum et cavalcatas pro communi Cuney contra omnes

inimicos communis Cuney. Item promiserunt dictus dominus paganus de lucino potestas Astensis et dicti quatuor ut supra et dicti Rectores ut supra nomine communis Ast predictis dominis Jacobo paxerio, Nicholao Cavalerio, Anselmo Ribbe et Nicholao paschario consulibus Cuney nomine et vice communis Cuney, quod non constringent commune et homines Cuney preter voluntatem ipsorum facere aliquas expensas in faciendo, construendo et custodiendo predicta duo castra vel aliquod ipsorum exceptis quam de lapidibus lignaminibus et hedificijs domorum dirutarum Arduynorum et Gastaldorum possint capere ad voluntatem dicti domini potestatis vel alicuius alterius pro communi Astensi ad ipsorum liberam voluntatem pro construendis et faciendis castris superius nominatis. Item promiserunt dicti potestas, Sapientes et Rectores nomine communis Ast dictis dominis Jacobo paxerio et socijs supradictis nomine comunis Cuney facere et curare quod Arduyni et Gastaldi et sequaces ipsorum expellantur de Cuneo et posse et de civitate Ast et posse et de tota terra partis eorum bona fide et pro posse eorum, ita quod non possint perpetuo morari vel stare in Ast nec in posse nec in Cuneo nec in posse, nec in terris et locis qui sunt vel essent de parte communis Astensis, nisi ille vel illi de quibus commune Ast et pars que modo est in Cuneo, que est pars communis Ast essent vel forent in concordia. Et pars Arduynorum et Gastaldorum et sequaces Arduynorum et Gastaldorum intelligantur illi de quibus commune Ast et illi de parte Ast fuerint in concordia. Item promiserunt predictis dominis Jacobo et socijs nomine communis Cunei recipientibus et nomine partis que modo est in Cuneo quod non intendunt neque volunt quod predicta pacta et alia facta hinc retro proficiant Arduynis nec Gastaldis nec illis qui sunt de parte eorum ut supra. Que omnia et singula predictus dominus Paganus de lucino potestas Astensis et dicti sapientes et rectores nomine communis Cuney attendere et observare et facere ratificari quando fuerint in Ast consilio generali communis Ast ad voluntatem communis Cuney sub obligatione omnium bonorum communis Astensis que pro inde dictis dominis Jacobo paxerio et socijs nomine communis Cuney pignori obligaverunt. Versa vice predicti domini Jacobus et socij nomine communis Cuney promiserunt dicto domino pagano potestati Astensi et dictis sapientibus et rectoribus nomine communis Ast facere exercitum et cavalcatam pro comuni Ast contra quamlibet personam vel universitatem que faceret vel moveret guerram communi Ast. Item promiserunt dicti Jacobus et socij facere et curare nomine communis Cuney quod dicta castra remaneant et stent perpetuo ad servicium et honorem communis Ast et communis Cuney. Et quod commune Ast ipsa castra perpetuo teneat et possideat ut supra sub obligatione bonorum communis Cuney que proinde ipsis pignori obligaverunt. Insuper predictus dominus paganus de lucino potestas Astensis et dicti quatuor et Rectores predicti nomine communis Astensis et dicti Jacobus paxerius, Nicholaus cavalerius, Anselmus Ribba, et Nicholaus Pascherius nomine comunis Cuney vicissim sese absolverunt de pactis conventionibus stipulationibus et sacramentis olim factis videlicet de illis que tangerent vel essent contra pacta et conventiones suprascriptas, volentes semper quod pacta et conventiones predicte sint firme et perpetuo teneant et omnia alia pacta facta inter commune Ast et comune Cuney nisi illa sola que contraria essent supradictis, sint cassa et vana et nullius valoris. Nomina autem Rectorum et

credendariorum sunt hec dominus Jacobus Ysnardus, Alexander Carenzanus, Guilelmus de platis, Bonefacius Ottolus, Maynfredus Rasparellus, Maynfredus de Brina, Jacobus Malabayla, Ubertus duninus, dominus philippus Scarampus, laydus Testa, Robaldus Guaynerius, Francischus Specialis, perogia frenarius, Fredericus dives, Rubeus Bertaldus, Romeus laurencius, Filippus Ceratus, Filippus dives, Girbaldus pelleta, dominus Anselmus Bertramus, Mitre dives, Revellus Asinarius, Jacobus Bertaldus, Petrus Josbertus, Thomas laurencius, Ogerius de Cazalupa, paganus de Bozolasco, Georgius Bergogninus, Guilelmus Testa, henricus de septimis, Maynfredus de Solario, Girbaldus Bergogninus, Maffonus Alamanus, persavallus Mancinella, Follus de Solario, loysius laurencius, Ubertus pulsavinus, Andreas laurencius, Philippus Bergogninus, Raymundus de Solario, Thomas Falletus, Bonefacius Alionus, Oddinus de Salucijs, Robaldus Vacha, Rollandus Thomas, Thomas de Alfiano, Johannes palmerius, dominus Thomas Aranchaboscus, Thomas Caudera, Germanus Mussa, Rotarius de rotarijs, Georgius de platis, Centorus Strazatus, Jordanus Berrutus, Gualla Crispus, Obertinus Sarachus, Petrinus de Castellino, Mayfredus Bertramus, Thomas de Costeglolis, Gallus Balistarius, Jacobinus sylvanus, Jacobus Malbechus, Guilelmus Alionus, dominus Manuel Gutuarius, Thomas Asinarius, Nicholosius de curia, dominus Jacobus de Solberico, Magister Ugo, Jacobus Cacia, Jacobus Morandus, Thomas Bovetus, Ubertus Bertaldus, Anselmus de Moneta, Julio Cazo, Meylanus de Solario, Maynfredus de Sibona, leo de Solario, Rofinetus de Rippa, Giglotus Falletus, Obertus de Ralvengo, Baldrachinus de Solario, paganus de Gorzano, Antoninus de Rippa, Ubertus de Rippa, Gomondus de Gomondis, Rufinetus de Solario, Johannes de platis, Robertus pelleta, Nazarius laurencius, leonus Alferius, dominus Robertus de Gorzano, Jacobinus de Gorzano, Ubertus de Gualfenaria, Quagla de Gorzano, filius domini Roberti de Gorzano. Actum Ast super voltis de sancto [1]. Interfuerunt testes perotus de Frincho [2], Bartholomeus Bucaclausa, Rapacius nuncius comunis et Thomas Bellonus notarius.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et sic scripsi [3].

CLXXVIII. De Civitate Albe.

956. *De pacto et concordia facta inter Astenses et Albenses.* 1170. 28 Maij [4].

In nomine patris et filij et spiritus sancti amen. Ut omnis fomes nequicie et malicie et inimicicie penitus eradicetur inter Astenses et Albenses tale pactum concordie et perpetue amicicie firmatur, Albenses iurant supra dei evangelia salvare et custodire Astenses et eorum res in iurisdictione sua et iuvare eos ad tenendum terram de qua sunt saxiti et investiti quam perdiderunt ad recuperandum. Item iurant venire in adiutorium Astensium cum ipsi fecerint expedictionem militum et peditum suo proprio negocio cum militibus et peditibus expensis et amissionibus Albensium si ab Astensibus invitati fuerint, Et cum solomodo milites invitati fuerint expensis

[1] Quae sequuntur supersunt in Fragm. Taur. Cod. Oger. Alfer. fol. CCCCIV. Huius particulae lectiones varias hic subiungimus. — [2] *Fringo.* — [3] Add. *et est in libro veteri folio* CLIV.

[4] Huius foederis mentionem fecit Morioudus *Monum. Aquen.* pars II. col. 634. N. 22, ex F. A. Ab Ecclesia *Descriz. del Piem.* cit. vol. I. cap. 24.

Astensium et amissionibus Albensium venient. Item iurant adiuvare eos contra omnes inimicos Astensium salvo iure iurando amicicie quam habent cum Episcopo Albensi et Marchionibus de vastis et dominis Manzani. Ita tamen si discordia apparuerit inter predictos cum Astensibus quod Albenses teneantur bona fide dare operam ut ad concordiam utranque partem conducant. Alioquin debent Albenses iuvare Astenses contra illos in terra Astensi. Item iurant bona fide facere unicuique Astensi iusticiam conquerenti de aliquo Albensi postquam bis querimonia coram consulibus Albensibus facta fuerit. Et hec iustitia infra XL conplebitur dies. Item si fuerint cum eis in expeditione et castrum captum fuerit aut villa aut preda talem partem prede debet habere Albensis miles vel pedes qualem Astensis habebit, Excepto quod terra aut homines capti sint illorum in quorum auxilio alteri fuerint. Item Albenses debent negociari sicut Astenses, excepto die sabbati. Et hoc totum imperpetuum observetur. Item si discordia apparuerit pro communi inter Astenses et Albenses in arbitrio bonorum hominum duorum Albe et duorum Astensium quos utraque pars elegerit debet concordia adduci infra XL dies causa recepta. Similiter Astenses iurant versus Albenses salvis eorum sacramentis. Actum ad sanctum Georgium Anno domini Millesimo centesimo septuagesimo Indictione tercia die iovis quinto kallendas Junij.

Ego Guido notarius pallatinus interfui et scripsi.

957. *De pacto convento concordie et unitatis tractate et facte inter Astenses et Albenses.* 1193. 13 et 27 Junij[1].

In nomine domini nostri yhesu christi amen. Ad honorem dei et beate Marie et sancti Secundi et beati laurencij martirum tale pactum et conventum concordie et unitatis atque perpetue amicicie inter Astenses et Albenses iure iurando firmatum est imperpetuum observandum videlicet quod Astenses et Albenses efficiuntur simul concives et amici alteri alterius civitatis ita quod Astenses bona fide debent salvare et custodire ubique Albenses et res suas tanquam res suas et Albenses hoc idem debent facere de Astensibus et de eorum rebus, Quam consuetudinem habent Albenses in Alba in placitis in mensuris in pedagijs et similibus que communi spectant eandem habeant Astenses in Alba. Similiter et Albenses hanc eandem consuetudinem habeant in Aste quam Astenses in Aste habent in mensuris et pedagijs et ceteris que communi spectant. Excepto quod alter in alterius civitate pannos die sabbati minutatim non vendant nisi forte unus habeat societatem pannorum cum alio. Idem servetur in omni alia negociatione exceptis victualibus. Si alter alterum offendet quod deus avertat idem bannum et pena a consulibus illius civitatis accipiatur ac si proprium civem offendisset. Item Astenses tenentur querere et expedire et salvare stratam Albensibus tamquam sibi si poterunt bona fide eorum posse eo modo ut expense fiant secundum quantitatem negociationis utriusque civitatis. Et Albenses hoc idem simili modo tenentur attendere Astensibus. Consules et consiliarij utriusque civitatis tenentur dare consilium bona fide una pars alteri et secreta eorum privata tenere, Et hoc in brevi in quo iurant anuatim consules et consiliarj scribatur et perpetuo observetur et queque civitas suis expensis et missionibus veniat in occursum alterius civitatis

[1] Foedus hoc memoravit G. B. Adriani, *Documenti Cheraschesi* etc. pag. 13. N. 38.

sive in exercitum aut cavalcatam cum opus fuerit et requisitum fuerit. Si acquistum fecerint simul a Govono inferius aut a Castagnolis Astensium fit. Si autem circa Albam per quatuor milliaria fecerint conquistum sit Albensium. Astensibus non liceat acquistare terram Albensis Episcopi nec Albensibus terram Astensis Episcopi, de ceteris conquistis que Astenses et Albenses simul facerent, sit quarta pars Albensium et expensarum similiter et alie sint Astensium. Excepto si Astenses acquisierint terras Astensis Episcopi, aut quam alter pro eo tenet quod eorum sit propria, similiter si Albenses acquisiverint terram Albensis Episcopi aut quam alius pro eo tenet eorum sit propria, de expensis quas una civitas fecerit altera se non intromittat, queque civitas propriam domum habeat in civitate alterius. Et si Astenses invenerint aliquem inimicum communis Astensis in Alba liceat eis illum capere et quo voluerint ducere, Et Albenses tenentur auxilium eis inde dare. Hoc idem Albenses possint in Aste de inimico communis eorum civitatis et Astenses eis auxilium inde dare tenentur. In fidelitate quam illi de castellino et de leuquo fecerint Astensibus jurabunt homines ipsorum locorum salvare et custodire Albenses et res eorum, et quod de eorum locis non exient mala Albensibus in aliquo tempore, Quandocumque Astenses et Albenses communi consilio quod voluerint hec iuramenta a capite quinque annorum renoventur, si una istarum duarum civitatum requisierit. Hec omnia henricus soldanus et Rollandus Bergogninus cives Astenses, quos dominus Jacobus strictus potestas Astensis pro hoc facto complendo Albam miserat tactis corporaliter sacrosanctis evangelijs salva fidelitate imperatoris observare iuraverunt. In quo sacramento posuerunt quod dominus Jacobus strictus potestas Astensis hoc idem eodem modo observare iuravit. Similiter Ogerius iudex, henricus grossus et Petrus Constancius Albensium Consules hec omnia salva fidelitate imperatoris supra dei evangelia propria manu observare iuraverunt et multi alij eorum cives similiter. Actum Urbe Alba in pallatio Albensis Episcopi die dominico tercio decimo intrante iunio, Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo tercio Indictione XI^a Regnante domino henrico Imperatore Romanorum augusto tempore regiminis domini Jacobi stricti potestatis Astensis et Ogerij Judicis et Ogerij Conradengi et henrici Grossi et Petri Constancij Albensium consulum feliciter. Interfuerunt testes Anselmus Merlus, Otto Rappa, Girardus Alamanus et plures alij.

Item die dominico quinto kallendas Julij, dominus Jacobus strictus potestas Astensis confessus fuit et dixit quod iuraverat omnia supradicta firma tenere et observare. Et hoc dixit in Urbe Alba ante domum Barozi et Ottonis Grassi fratris sui. Testes Ogerius Judex consul Albensis, Petrus de Cicia, Otto de Sicardo, Jacobus palius, Robaudus Schacus et Petrus Costorolius.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus supradictis interfui et scripsi.

Preterea eodem anno et eodem mense predictus Jacobus strictus potestas Astensis una cum supradictis Albensium consulibus communiter statuerunt ut nullus bannitus de Aste in Alba recipiatur, imo ibi tanquam in Aste bannitus habeatur. Et ut nullus bannitus in Alba in Aste recipiatur, immo ibi tanquam in Alba bannitus habeatur. Item statuerunt communiter et ad invicem inter se, siquis istarum civitatum in altera earum suum proprium debitorem vel fideiussorem invenerit, quod consules illius civitatis teneantur sub eorum saximento ponere res debitoris vel

fideiussoris et saxita tenere quousque satisfaciat creditori. Actum ante domum Barocij et fratris sui in Urbe Alba die dominico quinto kallendas Julij. Testes Petrus Cicia et Otto de Sicardo, Jacobus Pallius, Robaldus sachus et Petrus Custurerius.

Et ego Jacobus Boviculus notarius palatinus interfui et scripsi.

958. *De venditione Ansaldi filij quondam Petri Villani de Alba et consortum de domibus quas habebat in Alba.* 1194. 28 Maij.

Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo quarto Indictione duodecima quod fuit quinto kallendas Junij, Cartam venditionis sub dupli defensione fecerunt Ansaldus filius quondam Petri Villani de Alba et Rebellius et Johannes Fantinus atque phalopus in manu domini Jacobi stricti potestatis Astensis qui in vice et nomine communis Astensis emptionem et cartam istam recepit nominatim de domibus quondam Petri Villani cum area et accessionibus et ingressionibus suis sicuti erant terminate et designate infra coherencias suas in alodio que domus iacent in Alba iuxta ecclesiam Sancti Sylvestri coherent eis via publica, Via Vicinalis, Gilius Oddo Grandis tales sunt coherentes pro precio Centum quadraginta librarum Astensis monete, de quo precio iandicti venditores quietos se tenuerunt videlicet Ansaldus de una medietate et Rebellius et Johannes Fantinus et Phaloppus de alia, Ita quod prefatum Jacobum Astensem potestatem in possessionem domorum intrare iusserunt finito precio, tali modo ut comune Astense iandictas domos se simul tenentes teneat et possideat faciat quod inde iure proprietario quicquid voluerit sine contradictione prenominati Ansaldi et Rebelij et Johannis Fantini et Phaloppi et eorum heredum. Insuper ipsi Ansaldus et Rebellius et Johannes Fantinus atque Phaloppus per se et eorum heredes promiserunt communi Astensi scilicet Jacobo Stricto potestati Astensi a parte ipsius communis stipulanti predictam venditionem qualiter supra legitur in integrum ab omni homine defendere sub pena dupli supra cuncta bona sua, que sibi pignori obligaverunt, Videlicet Ansaldus medietatem et Rebellius et Johannes Fantinus et Phaloppus aliam medietatem sicut pro tempore fuerit meliorata aut valuerit sub extimatione precij in consimili loco. Adalasia uxor Ansaldi predicti cum huic venditioni interfuisset ypotecario iuri et omni alij suo iuri si quod in eis habebat renunciavit quietam se tenens de dote sua supra alia bona eiusdem viri sui Ansaldi et venditionem istam ratam et firmam habere iuravit supra dei evangelia. Actum Albe in foro ante domum Rogerij Cayrosij feliciter. Interfuerunt ibi rogati testes Jacobus Pallius, Anselmus Merli, Valla Boyanus, Eustachius de Aste, Girbaudus de Fossatis, Raymondus de Sancta victoria, Bencius Judex Aquensis, Jacobus de Maglano, Albertus de Pollencia, Bonus de Alba, Ianfranchus Capella, Mascharus damianus et Guilelmus Covercia.

Item eodem anno XII kallendas Januarij in presentia domini Rollandi Balbi Albensis potestatis Richacia uxor quondam Petri villani fuit confessa se dotem suam recepisse a successoribus ipsius petri, et si qua iura amplius in ipsis domibus habebat vel usus renunciavit in manibus Oberti laurencij Clavarij communis Astensis nomine ipsius communis recipientis. Actum Albe in ecclesia sancti laurentij, Interfuerunt rogati testes Bencius Judex, Sysmondus de Morocio, Teobaldus de Brayda, Basinus Thomas Notarius Astensis.

Item eodem anno decimo kallendas Januarij in presentia Robaldi Balbi potestatis Albensis supranominati viri Rebellius Johannes, Fantinus et Phalloppus atque Ansaldus fuere confessi sese recepisse predictum precium predicte venditionis ab Oberto laurencio clavario communis Astensis et ex inde se vocaverunt tacitos et contentos et ob id predictam venditionem ut superius legitur se defensuros promiserunt perpetuo eidem Oberto nomine communis Astensis ab omni homine sub pena dupli et inde obligaverunt ipsi Oberto nomine communis Astensis omnia bona sua donec ab omni homine et maxime ab Aycardo Malavolta si communi Astensi foret impedita defenderetur ut supra dicitur. Actum Albe in ecclesia sancti Laurencij. Interfuerunt rogati testes Bencius Judex Aquensis, lotharius, Obertus Pallius, Jacobus de Maglano Ogerius Judex, Thomas notarius, Eustachius nuncius communis Astensis.

Et ego Ugo notarius hanc cartam scripsi.

959. *De preceptis factis et observandis per commune Albe pro quadam treugua quam habuit cum commune Ast.* 1204. 5 Julij.

In nomine domini Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo quarto die lune quinto mensis Julij Indictione VII In solario communis de Alba ubi consilia sive credencie de Alba fiunt, presentibus Uberto de Mandello et Petro Colliono de Mediolano et quibusdam alijs de Alba et me infrascripto Rogerio de Gatto notario, Et coram dominis Maynfredo de Osa potestate Mediolani et Guilelmo de Andito consule communis Placencie iuravit ad sancta dei evangelia Guilelmus potestas civitatis Albe nomine et ex parte communis Albe quod bona fide et sine fraude audiet et attendet et observabit omnia precepta que ei pro communi illius civitatis facient potestates Mediolani et consules communis Placentie qui modo sunt vel pro tempore fuerint aut unus ipsorum in concordia aliorum per se vel per suum nuncium sive per literas sigillatas. Et pro treugua danda et facienda et tenenda hominibus de Aste et sue parti usque ad terminum vel terminos datos vel statutos a potestatibus Mediolani et consulibus Placencie vel alteros illorum in concordia aliorum, et quod bona fide operam dabit ut Marchio Montisferrati et Marchio Maynfredus de Busca et omnes alij de sua parte id observent, et quod non erunt in consilio vel Ope quod contra hoc fiat vel quod rumpatur. Et ibi incontinenti hec idem per omnia simili modo juraverunt de consilio Lanfranchus Niellus, Otto lurdus, Girardus Mollis, Anselmus Merlus, Ogerius Conrengus, Anselmus Mazacara, Guilelmus Falletus, Jordanus Judex, Sicardus Numentonus, Guilelmus de poblice, Johannes Alius, henricus Capra, Johannes Fantinus, Bonifacius de la strata, Obertus Constancius, Mascarus Sacilluus, Obertus Natarellus, Ottobonus Pignizallus, Arnaldus Botacius, Obertus pulsavinus, Numentonus, Petrus Bertramus, Ogerius Capra, Bomperus, Robaldus Ceratus, laurencius Niellus, Bonifacius Rivallus, Anselmus Sacus, Seli~, Ogerius Judex, Ogerius Bauduinus, Rufinus Judex, Henricus Sclacius, Petrinus de donna Affrica, Ogerius Rector solis, henricus de Castelleto, Nicolaus Carenzanus, henricus Maresconi, leo de Sancto iuliano, Girardus Constantinus, Jacobus Capra, Guilelmus Merlus omnes de Alba. Ego Rogerius de Gatto notarius Pallatinus et missus domini henrici Imperatoris interfui et iussu istorum dominorum de Mediolano et Placencie in publicam formam redegi et scripsi.

960. *De precepto facto per Ambaxiatores Mediolani et Placencie communi Albe et Ast pro treugua observanda.* 1204. 20 Augusti.

In nomine Domini Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo quarto, terciodecimo die ante kallendas septembris. Indictione septima. Hoc est preceptum quod fecerunt domini Johannes de Baude et Barbezonus de landriano et Guidotus de Osio, ambaxiatores communis Mediolani vice potestatum Mediolani et nomine et ex parte communis Mediolani et dominus Guilelmus de Andato consul communis Placencie et Ubertus de villata Ambaxiator illius civitatis nomine et ex parte communis Placencie super discordia seu discordijs seu guerris que sunt vel erant inter dominum Guilelmum Marchionem Montisferrati, Commune sive civitas de Alba, Castellanos de Astesse et Castellanos de Aquesana, et Manfredum Marchionem de Buscha qui lancea dicitur et Manfredum Marchionem de Salucia et commune seu homines de Vallencia omnes ex una parte et commune civitatis de Aste ex altera, Videlicet quod per sacramentum preceperunt quod firmam treuguam tenere debeant ipsi domini Guilelmus Marchio Montisferrati et commune sive homines de Alba et Castellani de Astense pro quibus erat Guilelmus de Monte alto et Castellani de Aquesanna et Manfredus Marchio de Buscha et Marchio Manfredus de Salucia et commune et homines de Vallentia pro quibus ibi erat dominus Guilelmus predictus Marchio Montisferrati per se et suam partem communi et hominibus omnibus de Aste et toti sue parti in personis et rebus eundo stando et redeundo hinc ad festum sancti Michaelis et deinde ad annos duos proximos. Versa vice simili modo quod commune et homines de Aste per se et suam partem tenere debeant firmam treuguam in personis et rebus stando eundo et redeundo prememoratis domino Guilelmo Marchioni Montisferrati et communi et hominibus de Alba et Castellanis de Astense et Castellanis de Aquesanna et Manfredo Marchioni de Buscha et Manfredo Marchioni de Salucia et communium et hominibus de Vallentia et toti eorum parti hinc ad predictum terminum. Item preceperunt per sacramentum quod utraque pars desistere debeat ab omni opere seu hedificio seu munimine seu incipere aut facere non debeant aliquod opus vel hedificium seu munimen in aliquo loco vel castro seu terra de quo vel qua lis seu contencio vel discordia foret sive sit ultra quam erat tunc quando juraverunt stare preceptis communis Mediolani et communis Placencie hinc ad xv dies et post festum sancti Michaelis, Et ad octavam sancti Michaelis scilicet de diebus octo ante dictum terminum sint Astenses et alij de adversa parte per se vel per suum nuncium coram Mediolanensibus et Placentinis ad locum de Frassaneto et de Brenudo ubi erunt pro causa que fieri debet sub eis inter papienses et Marchionem Montisferrati, Audituri id quod ipsi Mediolanenses et Placentini super hoc statuere voluerint. Actum in campis inter Felizanum et Quatordecim et inde plura instrumenta fieri rogata sunt, Interfuerunt ibi testes Sonrichus de Miliano potestas Alexandrie et Raynerius de Sanctonazario, Bigniotus de Ciminascho et Petrus Albaricius de Papia et Nicholaus de Cella et Nicholaus de Foro, Rufinus Taurus de Alexandria et quam plures alij milites et populares.

Ego Rogerius de Gatto notarius et missus domini henrici Imperatoris rogatus scripsi.

961. *De citaynatico Anselmi Merli de Alba effecti civis Astensis.* 1207. 10 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo septimo Indictione decima die lune decimo die intrante decembre presentia infrascriptorum testium, Anselmus Merlus de Alba pro dono quod dominus Oliverius ysembardus potestas Astensis a parte communis de Aste sibi fecerat de Citanatico promisit predicto domino Oliverio ysembardo nomine communis de Aste facere statum et habitaculum a modo cum filijs suis et cum uxore sua et nuribus suis in civitate Astensi in perpetuum et facere exercitus et cavalcatas Iter et succursus ceterosque mores civitatis Astensis et sicut alij cives Astenses facient, Et quod dabit fodrum in Aste, quotiens civitas Astensis ad fodrum venerit in perpetuum de libris centum et non plus. Item quod predictus Anselmus prefato domino Oliverio nomine communis Astensis promisit facere iurare filios suos ex eorum parte omnia predicta attendere facere et complere, Et si ipse dominus Oliverius ysembardus potestas Astensis nomine communis de Aste ipsi Anselmo terminum vel absoltum semel vel pluries de stallo venire in Aste faciendo dederit quod bona fide sequetur. Insuper predictus Anselmus promisit prefato domino Oliverio ysembardo potestati Astensi nomine et a parte communis Astensis dare nomine pene centum marchas argenti si omnia predicta non observaverit.Et pro hjs omnibus observandis et complendis predictus Anselmus omnia sua bona prefato domino Oliverio ysembardo potestati Astensi nomine communis Astensis pignori obligavit. Actum Ast Interfuerunt testes Mussus Trosellus, Bayamondus Caraocius, Johannes Asinarius, Bayamondus layolius, Petrus de Moneta, Guilelmus Sicardus, henricus de Teglolis, Goamondus Fantinus et plures alij.

962. *De confirmatione et sacramento filiorum suprascripti Anselmi Merli de dicto citaynatico observando.* 1208. 2 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo octavo Indictioue XI^a^ die sabbati secundo intrante februario presentia infrascriptorum testium et domini Oliverij ysembardi potestatis Astensis Guilelmus et Bonus petrus filij Anselmi Merli de Alba iuraverunt ad sancta dei evangelia sacramentum quod fecerat Anselmus eorum pater de citanatico et stallo in Aste faciendo ex eorum parte attendere bona fide et sine fraude. Actum in civitate Aste in domo dompnetorum. Interfuerunt testes, dominus Guido Butigella, Aycardus de Ysola, Rodulfus de Camayrano et plures alij.

Ego Jacobus Vetulus sacri pallatij notarius interfui et scripsi.

963. *De literis domini Frederici Imperatoris Romanorum et regis Sicilie de iusticia exhibenda Astensibus contra Albenses.* 1219. 14 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimononodecimo Indictione VII^a^ die dominico XIIII intrantis Aprilis Coram subscriptis testibus dominus Bonifacius de Brayda et dominus Nicholaus de Brayda in Astensi civitate supra domum Rollandi de Montemangno presentibus testibus de Montealto Guilelmo de Summarippa, Alberto de Torresella Judice Papie, Jacobo de Sibona, Uberto Arnaldo et multis alijs receperunt literas dominj Frederici Romanorum regis, tenor quarum talis est.

[1] Fredericus dei gratia Romanorum Rex semper augustus et Rex Sicilie, dilectis fidelibus suis Bonifacio et Nicholao de Brayda gratiam suam et bonam voluntatem. Ex parte communis Astensis nobis est oblata querela quod commune Albense et quidam alij plures super pluribus questionibus predicto communi astensi iniuriosi existunt et molesti quamplurimum. Quapropter vobis precipiendo mandamus ut de predicto communi Albensi et de omnibus alijs de quibus coram Vobis movere voluerint questionem per banum et penam auctoritate nostra positam et positum dicto communi Astensi plenitudinem iusticie exhibeatis nulla exceptione opposita ab adversa parte obstante, et nullis literis a nostra regali sede obstantibus impetratis, Date apud Spiram secundo kallendas Marcij Indictione VII [1]. Ego Mussus Boviculus notarius pallatinus interfui et inde hanc cartulam scripsi.

964. *De quibusdam literis domini Enverardi regalis nuncij a papia sursum presentatis Albensibus de offensionibus non dandis Astensibus.* 1219. 21 Maij [2].

Anno domini Millesimo ducentesimo nonodecimo, Indictione VII[a] die martis XII kallendas Junij in civitate Astensi in ecclesia sancti Johannis de domate, Coram presentia Petri laurencij, Bayalardi Balbi, Guilelmi Rationis [3], Alberti Crivelli, Jacobi de Sybona, Rollandi [4] Cebolle militis potestatis Astensis et aliorum quamplurium, Vescovinus nuncius domini Enverardi [5] de lutri ostendit domino Resonato zacio potestati Astensi literas apertas in forma publici instrumenti redactas sigillo cereo ipsius Enverardi in quo erat aquila designata bullatas in hunc modum, Enverardus de lutri domini Regis nuncius a Papia in sursum Nobili et sapienti viro Potestati Consulibus et toti communi Albensi salutem et omne bonum, Cum ex officio nobis iniuncto a regia maiestate specialiter teneamur fideles imperij ad pacem et concordiam revocare atque ad eorum bonum statum intendere cum effectu, Universitati vestre districte precipiendo mandamus qua fungimur in hac parte auctoritate sub pena mille marcharum argenti regali Camare deputanda, quatenus contra Astenses nullam cursam faciatis neque ipsos hostiliter faciatis offendi nec per vos aliquatenus offendatis, nec per aliquem lombardie aliquam concordiam faciatis inter Vos et Astenses predictos usque ad adventum nostrum qui presto erit ad partes vestras domino concedente quod [6] super predictis negocijs sic disposuimus faciente domino providere quod ad honorem domini nostri Regis et commodum vestrum multimode pertinebit. Et si contra predicta venire presumpseritis indignationem domini nostri regis et nostram nec non et penam predictam vos noveritis incursuros. Ad hec autem Vobis precipienda et denuncianda ex parte nostra latorem presentium Vescovinum nomine nostrum nuncium constituimus specialem et ad huius rei evidentiam certiorem presentem paginam inde conscribi iussimus in forma publici instrumenti et nostro sigillo communiri. Interfuerunt domini Otto Botacius, Johannes de Casolo eiusdem dominj Enverardi iudices testes.

[1-1] Quae sequuntur litteras ex ipso Codice nostro transcripsit J. Ficker ediditque apud Böhmer *Act. Imp. Select.* cit. pag. 776. N. 1079.

[2] Documentum hoc ex ipso Codice nostro transcripsit, Ficker, estque apud Böhmer *Act. Imp. Sel.* cit. pag. 826. N. 1141. — [3] *Ratoris.* — [4] *Rolli.* — [5] *Everardi.* — [6] *quia.*

Actum anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo decimonono Indictione VII^a die lune XIII kallendas Junij.

Ego lantelmus Ferarius imperialis notarius hanc cartam iussu istius domini Enverardi scripsi.

Et ego Mussus Boviculus notarius pallatinus et Astensis curie scriba, precepto dicti domini Resonati potestatis Astensis hanc inde cartulam scripsi.

965. *De permutatione facta per commune Albe de castro Nevearum cum communi Ast pro castro Barbareschi.* 1223. 22 Novembris.

(Omisimus quia iam est ad Num. 240).

966. *De quadam pace facta inter Astenses et Albenses.* 1223. 29 Marcij.

(Omisimus quia iam est ad Num. 241).

967. *De pace predicta attendenda et observanda per comune Albe.* 1223. 30 Marcij.

(Omisimus quia iam est ad Num. 242).

968. *De approbatione et confirmatione pacis et pactorum ordinatorum per octo sapientes Astenses et Albenses facta per Albenses.* 1223. 9 Maij.

Anno domini Millesimoducentesimovigesimotercio Indictione XI^a die martis nono intrante Madio In nomine domini nostri yhesu christi amen. In pleno consilio Albe per campanas et nuncios more solito congregato dominus Leonardus Vicecomes potestas Albe et omnes credendarij illius consilij congregati ut supra nomine et vice communis Albe approbaverunt et confirmaverunt in omnibus et per omnia conventionem et unionem et omnia que facta sunt seu scripta vel pronunciata fuerunt inter commune de Aste et commune de Alba per octo viros Astenses et Albenses ad hoc electos scilicet Petrum laurencium, Ardizonem de quarto, Bertramum Berardum, Petrum durnasium, Conradum oculumcapre, Maynfredum Carencium, Guilelmum de Raconisio filium Cerati secundum quod continebatur in instrumentis inde conditis per manus Philippi notarij Guilelmi Pignolij, hoc eodem anno et indictione die sabbati tercio kallendas Madij promittentes predicti potestas et omnes predicti consiliarij vice et nomine communis Albe domino Girardo Manarie potestati Astensi recipienti nomine et vice communis Astensis observare inviolabiliter bona fide in omnibus et per omnia secundum quod in predicta conventione et unione continetur predictis instrumentis. Actum Albe super voltis sancti laurentij de Alba testes interfuerunt dominus Jacobus de populo iudex potestatis Albe et dominus Marchisius Strucius miles potestatis Astensis et Bayalardus Pillatus et Jacobus de stoerda et Petrus Becharius. Et ego Guilelmus Trosellus notarius pallatinus interfui et precepto dicti potestatis sic scripsi.

969. *De quadam pace facta inter Astenses et Albenses.* 1250. 5 Marcij.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquegesimo Indictione VIII^a die sabbati quinto intrantis Marcij In nomine sancte et individue trinitatis ad honorem domini nostri christi et gloriose Marie virginis matris eius et beatorum secundi et laurencij martirum Christi et omnium sanctorum et sanctarum dei et domini Frederici

dei gratia Romanorum imperatoris et commodum et utilitatem civitatis Astensis et civitatis Albe et omnium amicorum ipsarum civitatum. Hec est forma pacis et concordie et societatis tractate et habite atque facte in perpetuum inter commune Astense ex una parte et commune Albe ex alia. Imprimis commune Albe et homines ipsius civitatis sint cives civitatis Astensis et iurare citaynaticum dicte civitatis teneantur et defendere totam terram et manutenere iurisdictionem quam tenent et possident commune et homines de Aste contra quamlibet personam et loca Brayde et Fontanearum et homines eorumdem et facere pacem et guerram totis eorum viribus pro communi Astensi contra omnes homines civitates et loca. Versa vice commune et homines de Aste sint cives civitatis Albe et teneantur iurare citaynaticum dicte civitatis et defendere et manutenere totam terram et iurisdictionem quam commune et homines Albe tenent et possident, et locum Cayraschi et homines dicti loci hominibus et communi Albe et civitatis Albe et homines ipsius civitatis et totius districtus et facere pacem et guerram totis eorum viribus pro communi Albe contra omnes homines civitates et loca salvis citaynis et vasallis utriusque civitatis. Hoc acto quod homines Alexandrie, Cunei, Savilliani, Fossani Montisregalis et communia ipsorum locorum non computentur nec contineantur inter vasallos vel cives alicuius ipsarum civitatum immo contra ipsos una civitas pro alia pacem et guerram facere teneatur totis suis viribus. Et tamen addito quod si aliquis civis vel vasallus civitatis Astensis inferret vel faceret damnum aut offensionem communi Albe vel hominibus ipsius civitatis vel Caraschi, quod commune Aste ad requisitionem communis Albe teneatur illud damnum vel offensam restitui facere vel emendari ab ipso cive vel vasallo infra mensem unum postquam commune Astense inde fuerit requisitum a communi Albe, ipsi communi Albe et hominibus Albe. Et si restituere nollet, commune Astense teneatur dare forciam consilium et iuvamen communi et hominibus Albe quousque restitutio fuerit inde facta, et facere contra illum vel illos commune Astense guerram vivam quousque restitutio fuerit inde facta ut supra. Et eodem modo commune Albe teneatur facere versus commune Astense. Item potestates Astenses et Albenses qui pro tempore fuerint teneantur precise et sine tenore dare forciam et virtutem iuvamen et consilium omnibus creditoribus civitatum Astensis et Albensis et Claraschi ad consequenda eorum debita et ad solutionem faciendam ab omnibus debitoribus quotienscunque predicti potestates essent admoniti a dictis creditoribus admonentes et compellentes debitores ut predicta debita solvant infra mensem unum secundum formam juris non obstante privillegio fori. Item homines Brayde et Fontanearum qui habitant in Clarascho si voluerint reverti Braydam vel Fontaneas nemine eos conpellente reverti possint cum rebus mobilibus ad eorum voluntatem, et quod licencientur a communi Albe, et si facere noluerint de omni eo quod habent vel visi fuerint habere in posse Brayde et Fontanearum commune et homines de Aste faciant ad eorum voluntatem ipsis hominibus nichilominus retinentibus quicquid habent vel visi sunt habere in loco claraschi et posse in loco et posse Cerveriarum et loco et posse Pollencij vel alibi, Excepto in iurisdictione et posse Astensium. Et si contingeret predictos homines reverti ad supradicta loca scilicet Brayde et Fontanearum quicquid predicti homines exceptis rebus mobilibus habent vel visi sunt habere in posse et iurisdictione Albe, et posse et iurisdictione et districtu Claraschi Cerveriarum et

Pollencij penitus amittant et ab omni eorum iure cadant. Eo salvo quod si aliquis civis Albe, qui habitet vel habitabat in Alba ante constructionem Claraschi habet aliquas terras et possessiones in posse Brayde et Fontanearum propterea eas non amittat, sed eas habere debeat et teneat, hoc addito quod si homines Brayde vel Fontanearum qui remanerent in Clarasco vel alibi in iurisdictione et districtu Albe aliquid facerent vel se intromitterent per se vel per alium de terris et possessionibus que essent in posse Brayde vel Fontanearum vel districtu Astensi et aliquod malum vel damnum inde eis eveniret in avere vel personis quod commune et homines Albe vel Claraschi se non intromittant seu intromittere debeant nec eis dare consilium vel iuvamen occasione predicta. Item confines Brayde et Fontanearum et Cerveriarum et Pollencij et Claraschi et Manzani ita remaneant et consueti sunt esse, Salvo eo quod in Rippata Sturie aliqua predictarum civitatum non faciat nec facere possit vel habere aliquem forciam vel castrum, ipse civitates nec aliquis de eorum districtu infra predictos confines scilicet a finibus Cerveriarum usque ad fines Pollencij. Ita tamen quod commune et homines de Aste et Brayda et Fontaneis et de eorum districtu possint et debeant facere et habere Mollandina paratoria et batenderia et eorum astachamenta ad eorum voluntatem in rippa et flumine Sturie deversus Se, Ita quod ipsa mollandina vel paratoria hominum Astensium Brayde et Fontanearum taliter fiant quod in cursu aque non noceant mollandinis et paratorijs communis et hominum Albe vel Claraschi. Et e converso molandina et paratoria communis et hominum Albe et Claraschi non noceant mollandinis et paratorijs communis et hominum Astensium et Brayde et Fontanearum quo ad aque cursum. Et eo salvo quod homines Claraschi possint et debeant super flumine sturie facere pontem vel planchas sine aliqua forcia vel batefredo aliquo, super quo vel quibus homines Astenses et de Fontaneis et de Brayda et districtu eiusdem civitatis et Claraschi et Albe ire et redire possint si voluerint ad eorum voluntatem. Item commune Albe dare et solvere debent dominis de Montefalchono libras ducentas Astenses, Et ipsi domini debent facere pacem finem refutationem et pactum de non petendo de omni iure quod habent vel visi fuerunt habere in loco et posse et jurisdictione tam in castro quam in villa Montisfalchoni et absolvere omnes presonerios quos habent vel aliquo tempore habuerunt civitatis Albe et Claraschi et eorum districtus et posse ab eorum carceribus et manelevationibus. Et omnes securitates quas ipsi domini vel alij pro eis dicta occasione usque ad hodiernum diem habuerunt. Et si inveniretur in alia forma quam supradictum est fuisse tractatum, illa forma observetur. Hoc intellecto quod semper presonerij et eorum securitates ab ipsis dominis de Montefalchono relaxentur et penitus absolvantur, hoc addito quod commune Ast non teneatur conpellere dominos de Montefalchono ad predicta facienda contra eorum voluntatem Et si predicti domini de Montefalchono predicta facere nollent, commune et homines de Aste non debeant predictis dominis dare consilium vel iuvamen nec eos reducere in aliquo loco iurisdictionis vel districtus civitatis Astensis. Item commune Albe debeat facere emendam constancijs de damno dato in domibus et rebus eorum secundum quod quatuor de Aste et quatuor de Alba ad hoc electi in concordia fuerint de ipsa emenda facienda, Et si inde concordare non possent secundum quod dominus de Careto ordinaret. Item commune Albe debeat facere pacem finem et refutationem communi Astensi de omnibus terris possessionibus et iuribus que et quas commune

Albe hodie tenet et possidet. Et versa vice commune de Aste debeat facere pacem finem et refutationem communi Albe de omnibus terris possessionibus et iuribus que et quas commune Aste hodie tenet et possidet, hoc habito intellectu quod si aliqui cives civitatis Astensis vel civitatis Albe habent terras et possessiones et rectos redditus in territorio ipsarum civitatum vel districtu illas quiete teneant et possideant et ab omni banno et pena eis imposita relaxentur et absoluti sint. Item commune et homines Albe habeant et teneant in Astisio, illud quod ibi tenent et possident videlicet illud quod habent in zocho, et illud quod habent in Columberio et fidelitatem turris sancti stephani, Citanaticum summe rippe de paerno et illud quod consueti sunt in sancta victoria communiter et separatim tam in contitu feudo terris et possessionibus et hominibus fodris drictis et fictis quam in alijs juribus et condictionibus ante quam aliquid acquisivissent ab Ardizone de Sanctavictoria vel fratribus vel matre et antequam aliquod pactum fecisset cum eis vel aliquo ipsorum. Ita tamen quod in Sanctavictoria et posse non possint nec debeant facere nec pati quod ab aliquo fiat pro eorum posse pro communi vel diviso aliquam forciam castrum vel receptum. Et si aliquid acquisiverunt in Sanctavictoria a predictis Ardizone fratribus vel matre, vel cum eis vel cum aliquo ipsorum aliquod pactum fecerunt, quod illud remittunt et absolvunt. Ita tamen quod Astenses in eo quod Albenses ibi habent generaliter vel singulariter nichil facere vel acquirere possint ultra eorum voluntatem. Item illud quod habent in Corniliano, salvo eo quod commune Albe teneatur et debeat Manuello Pallido et fratribus possessionem omnium rerum que quondam fuerunt domini Amedei de Tevoleto sicuti eam habebant quando potestas Albe eam accepit et sibi abstulit infra mensem unum postquam pax iurata fuerit, Et si commune Albe aliquod ius petere vellet in predictis rebus que quondam fuerunt predicti domini Amedei iusticia fieri debeat et reddi coram potestate Albe. Ita tamen quod Manuellus Palidus vel fratres sine voluntate communis Albe non possint vel debeant ibi facere aliquam forciam vel receptum. Item id quod habent et tenent in pollencio et nichil aliud in Astisio habere possint preter Castrum quondam Constanciorum cum tota iurisdictione et districtu terris et possessionibus ut in infrascripto capitulo continetur, Hoc addito quod commune et homines de Astisio possint vel debeant in Astisio vel alibi facere vel acquirere prope civitatem Albe per tria milliaria aliquam forciam receptum vel castrum. Item homines de Aste bona fide dabunt operam et curabunt et sacramento tenebuntur, quod prexonerij civitatis Albe, qui in forcia domini Imperatoris vel eius nunciorum sunt seu fuerunt relaxentur et a carceribus et promissionibus et securitatibus de revertendo in carceribus ab ipsis prestitis absolvantur et a banno et pena occasione fuge, vel quod ad carceres non reversi sunt, impositis absolvantur, et quod eorum securitates absolvantur, et quod commune et homines Albe et Claraschi ab omnibus penis et bannis eis occasione claraschi impositis usque ad hodiernum diem et occasione presoneriorum predictorum a domino imperatore vel eius nuncijs et vicarijs absolvantur. Item fiat iusticia per commune Astense Bergoncio Constancio de eo quod petere voluerit a Constancijs qui morantur in Aste occasione venditionis quam fecerunt Astensibus de eorum castro. Item si aliquis tenet aliquid seu aliquod ius vel decetero teneret quod esset communis Ast quod commune Albe teneatur totis viribus commune Astense iuvare ad eorum

iusticiam consequendam. Et versa vice si aliquis tenet seu aliquod ius decetero teneret, quod esset communis Albe commune Astense teneatur totis viribus suis bona fide et sine fraude commune Albe iuvare ad eorum iusticiam consequendam contra eos qui tenerent de jure predictarum civitatum. Et hoc intelligatur solomodo quod commune Astense teneatur iuvare commune Albe occasione predicta contra illum vel illos qui tenent vel decetero tenerent Montemfortem, et petunt Albenses quod in capitulo addatur quod commune et homines de Aste dent forciam consilium et iuvamen et dare teneantur communi et hominibus Albe bona fide et sine fraude ut homines Albe recuperent ipsum castrum. Item commune Astense non possit vel debeat dare consilium vel iuvamen alicui petenti ius in castro et villa et posse Narzolarum non obstante aliquo capitulo suprascripto vel infrascripto. Item siquid fuerit acquisitum per commune de Aste vel per commune de Alba vel per alterum ipsorum communium preter supradicta ab Alba superius sit dicti communis Astensis et communis Albe, ita quod utrumque commune partem habeat in acquisto secundum quantitatem expensarum quas unumquodque commune faceret in acquisto. Item consortitus Caraschoti Breduli et Morocij et locus et homines Romanisij qui ibi sunt et ubicumque sint remaneant et remanere debeant integraliter communi Astensi et ipsius communis sint. Item commune et homines de Aste aliquam iuram seu reliamentum aliquod non facient cum aliqua seu aliquibus personis, nisi salvis hominibus Albe et citaynatico ipsorum. Hoc habito intellectu expressim dicto quod cum Alexandrinis vel hominibus Allexandrie commune Albe iuram vel reliamentum aliquod vel citaynaticum facere non possint vel debeant nisi de voluntate communis Astensis nec comune de Aste nisi de voluntate communis Albe. Item si contingeret quod contencio aliqua oriretur inter dictas civitates occasione alicuius damni dati vel offense facte ab aliqua ipsarum civitatum quod duo eligantur cuiuslibet civitatis, qui circa damnum datum vel offensam factam habeant cognitionem et difinitionem. Et secundum quod ipsi dixerint vel ordinaverint de emenda facienda, fiat restitutio infra duos menses nec proinde si restitutio fieret infra predictum tempus pax rupta intelligatur. Item Castrum Constanciorum debet deponi in manibus et custodia unius hominis de Aste et unius hominis de Alba, qui illud debeant custodire usque ad v annos, ita quod civis Albe securitatem ydoneam scilicet de libris quinque millibus facere debeat et dare in civitate Astensi de civibus Astensibus de bona custodia facienda et restitutione ipsius castri. Et civis Astensis illud idem facere debeat et teneatur in civitate Albe. Et expensas custodie dicti castri commune Albe teneatur facere pro medietate, et commune Astense pro alia medietate. Qui si predicta pax pro communi Albe fuerit observata usque ad predictum tempus et complementum quinque annorum, quod commune Albe primo solvente communi Astensi libras sexmillia Astensium dictum castrum diruere et penitus destruere teneantur, et terre et possessiones quas commune Albense emit a Constancijs ipsis libris sex millibus solutis in manibus et virtute integraliter perveniant communis Albe, ut eas habeant et faciant ut de rebus suis proprijs. Si vero infra predictum tempus quinque annorum commune Albe contra pacem predictam in aliquo contraveniret, teneantur tunc predicti duo predictum castrum reddere et restituere in manibus et forcia communis Astensis. Si autem commune Astense contra pacem predictam in aliquo contraveniret infra dictum tempus quinque annorum teneantur tunc

dicti duo predictum castrum tradere et reddere in manibus et forcia communis Albe, Ita tamen quod in ipsa restitutione communi Albe facienda predictum castrum ipsi diruere teneantur et destruere penitus, de pace vero servanda dentur securitates ab utroque communi adinvicem in hac forma videlicet quod commune Albe det securitatem communi Astensi de civibus Astensibus in civitate morantibus de libris sex millibus Astensibus et securitatem de libris Quatuor millibus de civibus Albe in Alba commorantibus. Et versa vice commune Astense faciat securitatem communi Albe de libris decem millibus, ita tamen quod castrum Constanciorum cum terris et possessionibus a Constancijs sint et computentur pro libris sex millibus usque quo commune Albe solverit communi Astensi libras sex millia pro castro Constancio. Et de libris quatuor millibus debeat dare commune Astense communi Albe de civibus in Aste commorantibus. Et diruto castro Constancio et solutis libris VI millibus a communi Albe communi Astensi, commune Astense teneatur et debeat dare communi Albe securitatem de libris VI millibus de civibus Albe in Alba commorantibus. Item statutum et ordinatum est quod predicta pace confirmata per predictas civitates, Receptum castri Constanciorum factum per Astenses penitus diruatur et destruatur et bastitas communis Albe cum ponte Albensi similiter diruere teneantur. Item super facto saximentorum et cambiorum eligantur duo homines cuiuslibet civitatis qui debeant superesse predictis saximentis et cambijs et de eis cognitionem habere et difinire bona fide et sine fraude usque ad medium augustum proximum. Item commune Astense teneatur et debeat hominibus Albe generaliter et singulariter solvere id quod eis debet occasione ficti casteglolarum secundum quod per alias paces hinc retro factas tractatum fuit per eosdem terminos. Et hanc pacem et omnia et singula capitula dicte pacis secundum quod superius scripta sunt dominus Guilelmus Marchio de Incisia potestas Albe voluntate consilio et consensu credendariorum civitatis Albe et rectorum societatum et ipsi credendarij et rectores quorum nomina inferius denotantur nomine et vice communis Albe promisit et promiserunt in manibus dominorum Guilelmi Alferij et Jacobi Pellete ad hoc pro communi Astensi specialiter transmissorum recipientium nomine et vice communis Astensis et ad sancta dei evangelia iuraverunt attendere observare et complere in omnibus et per omnia in perpetuum cum effectu et nullo tempore contravenire, Et inde dictus potestas Albe nomine communis Albe Et iandicti ambaxiatores et nuncij nomine communis Astensis pro communi Astensi plures cartas unius tenoris fieri iusserunt, una quarum hec est facta pro communi Astensi nomina autem credendariorum qui iuraverunt sunt hec. Imprimis dominus Ogerius Conradengus rector societatis militum, dominus henricus Berutus rector societatis populi, Oddinus Bonuspetrus, Rufinus Mollus, Bonifacius Becharius, Anselmus de Raconisio, henricus Censoldus, Jacobus Magister, Guilelmus Ceratus, Rufinus Becharius, Azetus Becharius, Bonifacius de Fantis, Ogerius Avoglonus, Ogerius de Marcenascho, Rufinus Melius, Rufinus Numentonus, Filibertus de Guinculis, Otto Clicata, Ogerius Albricus, Dalfinus pautrerius, Jacobus Gigle, Raymondus Ghisulfus, Sysmondus Celebrinus, Raymondus Becarius, Guilelmus de Bella, Robertus de Morocio, Opizo Comes, Bonefacius Conradengus, Oddo Amassagranus, Guilelmus Summarippa, Anselmus Zacharengus, Obertus Bellacius, Maynfredus de Sanctoiohanne, henricus

Cacharengus, Johannes Bassus, Petrus Margocius, Guilelmus Censoldus, Anselmus Falletus, Oddo zacharengus, dominus Obertus de Brayda, henricus Rappa, Ogerius Conradengus, Anselmus Bauduynus, Bergoncius Constancius, Thomas zacharias, Thomas de Brayda, Poncius de zocho, Nicholaus de Monteacuto, henricus Guisalbertus, Pazo de Morocio, Sysmondus de Morocio, Bertolinus de Bonopetro, dominus Albertus de Brayda, Robaldus de doglanis, Rollandus de Summano, Anselmus de Vico, Jacobus Recesolem, Manfredus Falletus, lanfranchus Constancius, Guilelmus Censoldus, Guilelmus Cayrosius, dominus Ogerius Rappa, zurus pallidus, Sysmondus Rappa, Obertus Censoldus, Anselmus, Galvagnesius, Thomas Rastellus, Anselmus Rollandus, Jacobus Gassa, Anselmus Serventus, Rufinus Natarelus, Johannes de Aymaro, Girardus pitator, Arescha becarius, Rogerius Capitalis, Petrus Bexacamem, lanfranchus Cabala, Jacobus Buca alba, Manfredus Crespus, Otto de poblice, laurencius Zacharengus, henricus de Nevigle, Conradus Szassus, Obertus de Nevilijs, Tebaldus de zocho, Ogerius Botacius, Guercius Bozardus, henricus suzius becharius, Jacobus Ceva, Obertinus Vercius, Petrus de Riazono, Bonanatus de Bonanatis, Jacobus Ghiglo, Ogerius becharius, Ottobonus Ferarius, Girardus latro, henricus Aleus, Poncius oculus capre, Vulmanus Mollus, Ursus Alius et laurencius de Summana. Actum in civitate Albe in ecclesia sancti Johannis in pleno consilio civitatis Albe per campanam more solito bis pulsatam congregato interfuerunt testes, dominus Conradus Pelleta de Incisia, Tebaudus de Zocho, Bertollinus Bonus petrus, Acetus pitator, Petrus Basicanus et plures alij.

Et ego Jacobus Valbella notarius pallatinus interfui et iussu predictorum ambaxiatorum Astensium hanc cartam pro communi Astensi sic scripsi.

970. *De castro Constancio custodiendo per dominum Ottonem Rappam civem Albensem et socium occasione dicte pacis pro comuni Astensi usque ad quinque annos.* 1250. 2 Aprilis.

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo, Indictione Octava die sabbati secundo mensis Aprilis presentia testium infrascriptorum dominus Otto Rappa civis Albe suo nomine et nomine domini Ogerij Rappe de Conradenghis promisit domino Jordano de Rarvengo, Philippo Thome, Rollando Pallido et Rollando Cacayrano rectoribus societatis militum Astensis et Rufino Gareto Baudono de sancto iohanne et Jacobo Ottino rectoribus societatis sancti secundi et toti Astensi consilio generali more et loco solito congregato recipientibus et stipulantibus nomine et vice communis Astensis quod si contingeret quod commune et homines de Alba vel de posse et districtu civitatis Albe et Claraschi facerent vel venirent contra formam et tenorem pacis tractate et facte inter commune et homines de Aste ex una parte et commune et homines Albe et claraschi ex altera et ipsam pacem et omnia et singula capitula dicte pacis non observarent prout tractatum est et sunt scripta ut apparet per instrumentum inde factum a me nótario, quod ipsi Otto et Ogerius dabunt et restituent et ponent turrim et castrum integrum et integram quod fuit quondam Constanciorum communi et hominibus de Aste et in forcia et virtute et manibus communis et hominum dicte civitatis Astensis. Quod quidem castrum et turrim cum forcia eiusdem castri confessus fuit dictus Otto suo nomine et nomine dicti Ogerij se et ipsum Ogerium habuisse in deposito et custodia pro communi Astensi, Et illud debere salvare et

custodire pro communi Astensi usque ad annos quinque proximos venturos secundum formam et tenorem pacis tractate et facte inter commune et homines de ast ex una parte et commune et homines de Alba et Claraschi ex altera, quam autem restitutionem dicti castri et turris integraliter si ipse Oddo et Ogerius non facerent infra mensem post quam foret factum contra pacem vel contra aliquod capitulum pacis in totum vel in partem per commune et homines Albe vel Claraschi, Et postquam foret communi Astensi vel ab alio pro ipso communi requisitum promisit dictus Otto suo nomine et nomine dicti Ogerij dictis rectoribus et toti consilio stipulantibus nomine et vice communis Astensis dare et solvere nomine pene et pro pena communi astensi vel certo nuncio communis Astensis libras sex millia Astensium in denarijs numeratis cum omnibus damnis expensis et interesse factis et habitis per ipsum commune Astense vel per alium pro ipso communi causa iudicio eundo et redeundo vel aliquo alio modo, credendo ipsi communi et sindico ipsius communis in eorum verbo sine sacramento et aliqua probatione et soluta dicta pena nihilominus predicti Otto et Ogerius ad dictam restitutionem dicte turris et castri integraliter teneantur, et totiens dicta pena committatur, quotiens contrarium foret factum, Renunciando dictus Otto suo nomine et predicto omni juri capitulo usui et consuetudini et omni exceptioni doli et in factum et sine causa vel ex iniusta causa et omni alij iuri et consuetudini de quo vel qua se vel res suas tueri vel iuvare posset contra commune Astense vel alium pro ipso communi ac si forent in presenti instrumento specificate et scripte, Pro quibus omnibus et singulis observandis et formis tenendis et complendis predictus Otto omnia sua bona et dicti Ogerij habita et habenda presentia et futura predictis rectoribus et consilio nomine et vice communis Astensis stipulantibus pignori obligavit. Et insuper dominus Petrus laurencius, Guilelmus Alferius, Gualla laurencius, Caponus laurencius, Berardus de solario, Guilelmus Scarampus, Conradus laurencius, Thomas Cazo, Alexander Migaanus, Guilelmus de Sybona, Maynfredus de Sybona, Rollandus de Commentina, Bonefacius de Gorzano, Alexander eius frater, dominus Obertus de Platea, Oddo Testa, Guilelmus de Ochis, henricus de sancto Johanne, Petrus de Santoiohanne mauricio, dominus Petrus Barlotus, Guilelmus Alionus, dominus Thomas de solario et Baudonus de Sanctoiohanne et Ubertus eius frater insimul pro una parte voluntate mandato et consensu patris eorum Guilelmi de Santoiohanne et Jacobus de Sancto Johanne voluntate mandato et consensu patris sui Veviani de Sancto Johanne ut apparet et continetur in duobus instrumentis inde factis a me Jacobo Valbella notario eodem anno et indictione et presentibus testibus Henrico Gotarubea, Jacobo Ansaldo et Ghigle Minello a sese principaliter promiserunt predictis Rectoribus et consilio stipulantibus nomine et vice communis Astensis facere et curare quod predicti Oddo et ogerius omnia predicta observabunt firmiter et conplebunt. Et si contra facerent in totum vel partem ambo vel alter ipsorum per sese vel per alium quilibet suprascriptorum pro se exceptis Baudono et Uberto de Sancto iohanne fratribus qui pro una parte promittunt, promiserunt predictis rectoribus et consilio stipulantibus nomine et vice communis Astensis dare et solvere libras CCL Astenses pro pena et nomine pene cum omnibus damnis expensis et interesse quas dictum commune vel alius pro ipso communi faceret et sustineret causa iudicio vel alio modo Credendo dicto communi et sindico ipsius communis verbo eorum sine sacramento et

aliqua probatione, Renunciando omni juri capitulo usui et consuetudini et specialiter quod non possint dicere fore pro extraneis obligatos et omni alij exceptioni et iuri de quo se tueri possent. Obligando pro inde dictis rectoribus et consilio stipulantibus nomine et vice communis Astensis omnia eorum bona pignori tam habita quam habenda, hoc acto inter predictos de Aste fideiussores ex una parte, et rectores et consilium nomine communis ex altera quod si predicti fideiussores de Aste in dictam penam inciderent quod deus avertat quod non possint vel debeant omnes vel aliquis ipsorum petere consilium vel iuvamen a potestatibus vel consiliariis seu rectoribus societatum quin penam predictam persolvant. Et si peterent vel eis daretur, quod sit cassum et irritum et nullius valoris, et potestas seu rector vel rectores civitatis Astensis illud attendere nullatenus teneantur, Et si illud attenderent, ammittant de suo feudo libras centum. Hoc insuper acto inter predictum Ottonem Rappam suo nomine et predicto ex una parte et rectores et consilium nomine et vice communis Astensis ex alia, quod si commune Astense et commune Albe essent vel venirent in concordia quod dictum castrum et turris Constanciorum quondam veniret in alijs manibus seu custodia quam in predictis vel custodia predictorum, vel aliquid fieret de predictis castro et turre infra predictum tempus quinque annorum quod predicti castellani illud castrum et turrim ad voluntatem dictorum communium habendo solutionem de omni eo quod habere deberent pro custodia dicti castri pro tanto tempore, quanto ipsum custodivissent, restituere teneantur et expedire, et de eo facere secundum quod de voluntate ipsorum communium esset. Insuper predictus Otto Rappa confitendo se fore maiorem vigintiquinque annis a se principaliter promisit predictis rectoribus et consilio stipulantibus nomine et vice communis Astensis, et ad sancta dei evangelia iuravit, quod taliter faciet et curabit quod prefatus dominus Ogerius Rappa de Conradenghis totum id quod in presenti instrumento continetur attendet et confirmabit et ratificabit et ad sancta dei evangelia iurabit observare attendere et conplere bona fide integraliter ac si dictam promissionem ipsemet faceret vel fecisset. Actum Aste super voltis sancti secundi de Mercato, Interfuerunt testes Conraynus Bertaldus, Meylanus Grillus, dominus Bartholomeus Judex de Alba et Bonefacius de Fantis.

Et ego Jacobus Valbella notarius pallatinus interfui et sic scripsi.

971. *De quadam pace facta inter comune Astense et comune Albense ex una parte et comunia Cunei Montisregalis Fossani et Savilliani ex altera.* 1251. 24 Januarij [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo primo Indictione nona die martis Vigesimo quarto mensis Januarij presentia testium infrascriptorum. In nomine sancte et individue trinitatis Ad honorem commodum et utilitatem communium Ast et Albe et amicorum civitatum [2] earundem. Hec est forma pacis conventionis et concordie tractate facte et habite inter communia Aste et Albe ex una parte et commune Cunei suo nomine et nomine communium et hominum Montisregalis, Fossani [3] et Savilliani ex alia. Imprimis statutum est et ordinatum quod

[1] Documentum hoc iamdiu summatim inseruerat F. A. Ab Ecclesia in op. cit. *Descriz. del Piem.* pars II. Cap. 46; idem exstat in Fragm. Taur. Cod. Oger. Alfer. fol. CCCCIV'. Eiusdem lectiones varias cum nostro collati hic afferemus. — [2] *comunium* — [3] *Foxani.*

commune et homines de Aste habeant in posse et hominibus Morucij [1] omnia iura què commune Aste habebat seu habere debebat in Morocio et consortitu et in hominibus Morocij et consortitus pro illa parte quam tenent homines Cervere [2] de hominibus et rebus Morocij et consortitus, quam partem dicunt esse medietatem Morocij et de consortitu pro parte quam tenent vel tenerent, Et commune Cunei teneatur predicta facere attendi et observari integraliter communi astensi ab hominibus Morocij et qui fuerunt de Morocio et ab illis qui tenent vel tenerent aliquid de terris et rebus predictis Morocij et consortitus ubicumque habitent in districtu et posse Cunei, Alioquin ipsum commune Cunei predicta solvere et attendere teneatur. Et hoc intelligatur in futuro tempore et non in preterito [3]. Item statutum est et ordinatum inter ipsos nominibus predictis quod omnes homines Astenses et Albenses habitantes in ipsis civitatibus et earum [4] districtu et [5] posse sint liberi et absoluti et immunes per totum posse et districtum Cunei ab omni pedagio et malatolta quocumque nomine censeatur et eorum [6] de Cuneo et eorum districtu. Versa vice sint immunes liberi et absoluti per totum posse Aste et Albe, Salvis omnibus venditionibus olim factis a dictis communibus de ipsis pedagijs et malatoltis usque ad terminum ipsarum venditionum, Et nulla venditio possit ulterius fieri ab aliquo ipsorum communium quin omnes predicti sint liberi et absoluti ut predictum est. Item statutum est et ordinatum quod commune Astense et Albense habeant medietatem omnium pedagiorum seu malatoltarum quocumque nomine censeantur [7] que et quas habebunt capient et accipient homines Cunei vel alius pro eis ubicumque ea vel eas capiant per totum posse Cunei et specialiter usque ad Brecesium [8] et tantum ultra et citra quantum eorum posse accreverit et est. Eo salvo quod pedagia consueta minui non possint et hoc intelligatur de omnibus rebus de quibus consuevit accipi pedagium vel malatolta vel accipiatur [9], Excepto de grano vel [10] blava, vino fructibus arborum et piscibus. Item statutum et ordinatum est inter ipsos sive inter ipsa communia eorum nomine et predicto quod omnes homines Cunei et de eorum districtu sint et constituant se cives Astenses et Albe, Et quod dicti homines Cunei et commune faciant guerram pacem treuguam et guarnisonem [11] precipiant et habeant adversus et contra quamlibet personam hominem et locum et universitatem de se ipsis et de toto eorum posse, et dent anuatim pro citaynatico predictis hominibus de Alba et de Aste libras Sexaginta reforciatorum ductas in Aste et Alba ad festum sancte Marie de Medio Augusto hoc tamen salvo quod propter dictum citaynaticum homines Cunei et districtus non teneantur de iure respondere in Aste vel in Alba de aliqua questione nisi de qua tenerentur hoc facere de iure communi ac si citaynaticum non esset factum. Versa vice commune et homines de Aste et de Alba teneantur facere pacem guerram treuguam offensionem guarnisonem habere et tenere pro toto [12] communi et hominibus Cunei et hominibus Cunei contra omnem personam locum et universitatem, salvis et exceptatis ipsarum civitatum civibus et vasallis et communi et hominibus Papie. Et eo salvo quod commune Aste predicta facere non teneatur contra comune et homines Albe nec commune [13] Albe contra commune et homines Aste. Hoc tamen [14] addito quod si aliquis civis vel

[1] *morocij.* — [2] *Cunei.* — [3] *presenti.* — [4] *eorum.* — [5] Add. *de eorum.* — [6] *illi.* — [7] *censeatur.* — [8] *brecexium.* — [9] *accipietur.* — [10] *et.* — [11] *guarnoxonem.* — [12] *dicto.* — [13] Add. *et homines.* — [14] *acto.*

vasallus ipsarum civitatum faceret vel inferret offensionem aliquam vel iniuriam seu damnum communi vel hominibus Cunei vel eis de debito aliquo teneretur de jure tunc communia ipsarum [1] civitatum ad requisitionem communis Cunei teneantur et debeant ipsi civi seu vasallo qui [2] predicta vel aliquod predictorum faceret vel fecisset denunciare ut infra mensem unum post denunciationem damni seu offensionis illati vel illate restituere [3] damnum passis et debitum de quo teneretur [4] creditoribus solvat [5], quod si non fecerit ipse civis seu vasallus, tunc communia [6] ipsarum civitatum teneantur et debeant contra illum vel illos, qui damnum vel offensionem fecisset guerram facere et offensionem toto eorum posse, quousque de predictis facta fuerit restitutio damnum passis, et dare eis consilium vel [7] iuvamen toto eorum posse bona fide ut de debitis fiat [8] solutio creditori de eo quod ipse civis vel vasallus solvere teneretur. Et quod dictum est de debitis, eodem modo et similiter locum habeat pro hominibus et communibus Aste et Albe scilicet quod commune et homines Cunei teneantur et debeant dare forciam auxilium et iuvamen toto eorum posse bona fide creditoribus Aste et Albe contra quoslibet eorum debitores ut ab eis solutionem de eo quod recipere debuerint integram consequantur, scilicet premissa denunciatione debitoris ab hominibus et communi Cunei ut supradictum est de communibus et hominibus [9] Aste et Albe. Preterea actum est et conventum [10] inter ipsa communia eorum nomine et predicto specialiter et expressum [11], quod homines Ast et Albe in loco et posse Cunei possint quoslibet suos debitores convenire et res ipsorum saxiri facere et detineri ac si essent habitatores Cunej, Et de offensionibus que fierent alicui civi Astensi vel Albe in loco et districtu Cunei debeat puniri offensor ac si habitatori illius loci fecisset. Item statutum et ordinatum est quod homines et commune Cunei debeant accipere capere et habere anuatim sive omni anno et semper potestatem seu rectorem de Aste vel [12] Alba prout a communibus ipsarum civitatum fuerit ordinatum, Et [13] intelligatur talis qui stet et habitet in civitate seu burgis civitatis [14] Aste seu Albe coherentibus, dando anuatim et semper ipsi potestati salarium consuetum et hospitium ita quod nullo modo ei minui possit et partem consuetam bannorum et datarum quod salarium est librarum Centumquinqueginta reforciatorum et pars bannorum et datarum est tercia. Hoc addito quod ipsi de Cuneo in eorum electione possint dare pro dicta parte daciorum [15] et datarum alias libras centumquinqueginta reforciatorum, et sic esset [16] libre ccc. Et hec debeant eligere et ordinare ante electionem ipsius potestatis, Pro dicto autem salario debeat potestas electus facere dictum regimen Cunei cum uno iudice et uno milite. Electio [17] persone potestatis secundum ea que predicta sunt sit in arbitrio cuiuscumque communis dictorum locorum secundum salarium antedictum. Item statutum et ordinatum est quod communia Astense et Albe debeant manutenere defendere et sustinere omnes homines Cunei sicut alios suos cives de Aste et de Alba [18]. Item statutum et ordinatum est, quod communia dictarum civitatum Aste et Albe nec aliquis [19] pro ipsis communibus vel aliqua singularis

[1] *dictarum.* — [2] *quod.* — [3] *damni seu offensionis illati vel illate restituat.* — [4] *tenerentur.* — [5] *solvant.* — [6] *coram.* — [7] *et.* — [8] Add. *restitutio et.* — [9] Deest *et hominibus.* — [10] *convenerunt et actum est.* — [11] *expressim.* — [12] Add. *de.* — [13] Deest *et.* — [14] Deest *civitatis.* — [15] *bannorum.* — [16] *essent.* — [17] *electo.* — [18] Add. *habitantes in ipsis civitatibus Aste et Albe.* — [19] *aliquibus.*

persona suo nomine vel alieno non debeant nec possint facere nec acquirere vel aquistare sub aliquo ingenio castra vel domos cum forcia in loco Cunei nec in posse vel districtu Cunei nec aliquod signoritum seu dominium iurisdictionem seu contitum in dicto loco Cunei nec [1] eius posse et districtu nisi fuerit de voluntate hominum [2] et communis illius loci, in quo loco vel in cuius districtu aliquid predictorum fieret. Item statutum est et ordinatum quod homines Aste et Albe et Claraschi [3] et districtus Aste et Albe possint impune et sine omni exactione et omni malatolta boscare et pascuare [4] in boschis et pascuis Sarmatorij. Item quod homines Cerveriarum et [5] qui consueverunt in Cerverijs habitare et nunc habitant in Fossano vel Savilliano possint libere et a nullo compulsi reverti ad standum et habitandum cum toto eorum mobili in loco Claraschi [6] cum alijs hominibus de Cerverijs, Alioquin nisi reversi fuerint ut predictum est usque ad duos menses, vel nisi solverint communi Albe et Claraschi fodrum, et alias condictiones fecerint de ipsis terris et possessionibus sicut alij homines de Cerverijs, qui habitant in Clarascho, amittant omnes terras et possessiones quas haberent vel habere viderentur in villa et territorio de cerverijs et omne ius quod in eis habere videntur ita quod de ipsis terris et possessionibus deinde se non possint nec debeant intromittere sed ad commune Albe pertineant. Item statutum est et ordinatum quod robaria que facta fuit hoc anno per homines Fossani apud Montanariam domino Guilelmo Conradengo et alijs hominibus et mercatoribus Aste et Albe et alijs qui cum eis erant, restituatur eisdem ab hominibus de Fossano scilicet illud quod restitutum non est, et specialiter illud totum quod ablatum fuit Guilelmo de Bergamo misso Johannis de sanctoyato restituatur ipsi Johanni, ita quod credatur sacramento ipsius [7] et aliorum qui robati fuerunt, et fiat dicta restitutio infra duos menses post pacem illorum de fossano factam. Item quod super laudibus et cambijs datis et concessis hominibus de Aste et de Alba et districtus earumdem contra illos de Cuneo et fossano et de illorum parte et hominibus illorum partis contra homines Aste Albe et districtus debet [8] provideri et difiniri [9] infra quatuor menses per tres viros scilicet per unum de Aste et alium de Alba et alium de Cuneo constitutos a communibus dictorum locorum Aste Albe et Cunei. Item quod domus et pars quam filij quondam dominorum Tisij et Guilelmi de Caruto habebant et habere debebant in castro et villa et territorio Caruti restituatur eisdem libere cum ipsi sint cives Albe. Item statutum est et ordinatum inter ipsa communia nomine predictorum quod homines et communia Cunei Fossani et savilliani et Montis regalis teneantur [10] libere et absolute dimittant [11] et permittant capere et habere universis dominis quorum fuerunt castra et ville que nunc tenentur et distringuntur per homines dictorum locorum scilicet dominis Morocij et consortitus Carasoni Caralij, Breduli et Caruti et Manzani [12] omnes redditus ficta dricta et omnes alios proventus et mollendina et terras et possessiones exceptato [13] contitu et jurisdictione quem et quam [14] ipsi domini habere debent et habere consueverunt in eorum hominibus terris et possessionibus. Et teneantur dicta communia et homines dictorum locorum ipsis dominis predicta dari

[1] Add. *in.* — [2] Deest *hominum.* — [3] *Caraschi.* — [4] add. *in nemoribus.* — [5] Deest *et.* — [6] *in locum Cayraschi.* — [7] Add. *johannis.* — [8] *debeat.* — [9] *differri.* — [10] Add. *et debeant.* — [11] *dimittere.* — [12] *Manciani.* — [13] *excepto.* — [14] *quas et que.*

facere ab eorum hominibus et ab illis qui predicta tenent integraliter salvis tamen venditionibus et obligationibus factis ab ipsis dominis. Item statutum et ordinatum est quod communia ipsarum locorum et loca et menia locorum stent et permaneant semper [1] in sua firmitate, et quod communia ipsarum civitatum debeant et teneantur ipsa semper salvare et custodire et non minuere. Item statutum et ordinatum est inter ipsa communia nomine predicto, quod homines Fossani et Saviglani eodem modo ut dictum est in capitulo XIII° teneantur et debeant dimittere et promittant capere et habere et teneantur dari facere domino Jacobo Bricio et fratribus omnes eorum terras et possessiones redditus dricta, ficta molendina et omnes alios proventus ab eorum hominibus et ab illis qui predicta tenent, et habitant in dictis locis et eorum posse integraliter excepto contitu et jurisdictione, Salvis tamen venditionibus et obligationibus ab eis factis, Et specialiter teneantur dicta communia fossani et savilliani ipsi Jacobo et fratribus restituere damnum datum eis et factum ab hominibus dictorum locorum in Sarmatorio et Ricroso et villa Mayrana et Savilgiano, secundum quod dictum fuerit et pronunciatum per potestatem proximum venturum Cunei et per commune Cunei et dictus potestas et commune Cunei teneantur super predictis pronunciare et difinire infra duos menses post introitum eius regiminis. Et si tunc non difinierit, deinde sit in dicto et [2] pronunciatione communis Astensis et communis Albe in electione ipsorum Jacobi et fratrum. Item statutum est et ordinatum quod commune et homines Fossani teneantur et debeant infra mensem unum postquam pax [3] facta fuerit et completa cum dictis communibus [4] Aste et Albe reddere et restituere dictis Jacobo Brizio et fratribus domum eorum et turrim integram, quam ipsi Jacobus et fratres habent et habere consueverunt in castro Sarmatorij. Item statutum et ordinatum est, quod si potestas presens de Fossano scilicet pepinus de Brinicio et [5] commune Fossani vel aliquis pro ipso communi tempore potestarie ipsius Pepini faceret vel inferret aliquod damnum vel offensionem domino Sarlo de deva [6] vel aliqui habitatori Fossani de parte ipsius Sarli aliqua occasione precedenti usque ad presentem diem totum illud damnum debeat [7] eis restitui per commune et homines Fossani et quousque facta esset ipsa restitutio communia dictarum civitatum non teneantur facere vel complere presentem tractatum pacis cum omnibus [8] Fossani. Item illud idem intelligatur in omnibus et per omnia statutum et ordinatum esse in monte [9] sive nomine hominum Montisregalis Savilliani et Fossani facientibus predictis de Savilliano, Monte regali et Fossani [10] predictis communibus Aste et Albe illam partem que eis obvenerit seu obvenire debet de Citanatico et de pedagijs et malatoltis in eorum posse ut dictum est de Cuneo, Et restituentibus commune Astensi in suo iure sive in suis juribus seu facientibus communi Astensi illud totum quod habere debet commune Astense seu consuevit habere in Romanisio et hominibus dicti loci et posse, et in Morocio Bredulis et Carasono et in eorum consortibus et [11] hominibus eorum consortitus ad modum et formam quam ordinabunt [12] in Cuneo et de Cuneo. Item statutum et ordinatum est quod omnia supradicta et singula intelligantur et locum habeant, Salva in omnibus pace de novo condita inter communia Astense et Albense, ita quod per hanc conventionem ipsi paci

[1] Deest *semper*. — [2] *in*. — [3] Add. *Foxani*. — [4] *communis*. — [5] *vel*. — [6] *drua*. — [7] *debent*. — [8] *hominibus*. — [9] *montem*. — [10] *montisregalis et foxani*. — [11] Add. *in*. — [12] *ordinaverunt*.

nullum possit vel debeat fieri preiudicium nec ulla diminutio, et salvis pactis habitis inter Astenses et Papienses et salvo domino Imperatore. Hoc acto expressim inter communia supradicta eorum nomine et predicto si commune Montisregalis, Savilliani et Foxani venerint ad concordiam hanc faciendam infra dies xv. Alioquin commune Astense et Albense ipsos recipere minime teneantur. Item [1] sicut superius legitur et omnia [2] capitula huius pacis in omnibus et per omnia dominus Guilelmus Conradengus potestas Cunei voluntate consilio et consensu Rectoris societatis Cunei communis, scilicet Robaldi Beyami et consiliariorum [3] eiusdem loci ibidem more solito voce preconia et sono campane congregatorum promisit et convenit et dictus Rector et ipsi consiliarij nomine et vice communis Cunei et pro ipso communi promiserunt dominis Jacobo de Cario et Jacobo Monaco ambaxiatoribus communis Astensis, et Robaldo Cerato et Guilelmo Mareschoto Ambaxiatoribus communis Albe recipientibus nomine et vice communium Aste et Albe et ad sancta dei evangelia iuraverunt attendere et observare et in perpetuum efficaciter percomplere et nullo tempore contravenire. Nomina autem credendariorum Cunei qui juraverunt pacem sunt hec, primo Robaudus Beyamus rector societatis Cunei [4], Jordanus de Jordanis, Obertus Pacellus, Guilelmus Baudicio, Rofinus Cavalerius, Bonefacius Baratatus, Obertus de Vivario, henricus Guercius, Ubertus Pippa [5], henricus pectinarius, Caglotus, Jacobus domini Berardi de Valgranna [6], dominus Robaudus de Rocha, Petrus Gallaverna, Anfosius, Ogerius Canavolius, Michael Brecesius, Aycardus Calegarius, Anselmus [7] Pasqualis, Ogerius Mantellus, Guilelmus Salinerius, Ar [8] Thomas, Nicholaus Albus, henricus Merzarius, Raynerius Maynardus [9], henricus Parmesanus, Ansaldus de Carata [10], Petrus Mazavacha, Trencherius Moxardus Guilelmus Guarnerius, Raynerius [11] de Francho, dominus Bernardus [12] de Vastalla, Ughetus pasqualis, Ugo Rodulfus, henricus de Abbate, Johannes Arnaldus, Jacobus Thomas, Jacobus Ghisulfus, Guilelmus baxilia, Guarnerius de doto [13], Jacobus Arnaldus, Constancius de Buscha, henricus Motus, Guilelmus Guido, Guilelmus Alpax, Obertinus Martinus, Aymus lupus, Raymondus Maynardus, Manfredus Timonus, Guilelmus Baratatus, Fo. Alrinatus [14], henricus Arnaldus, Nicholaus de donnis, Bonusiohannes Guasta, Guilelmus Burianus, Ricardus Mulla, Guilelmus Malabarcha [15], Mayfredus Sapiens, Jordanus dorerius, Karle poma, Guilelmus Miraglerius, Jacobus Cavalerius, Guilelmus Tarditus, Johannes Paradisius, Bellengerius ventre, Jacobus Baratatus, Nicholaus domini Berardi, Guilelmus Jordanus, Petrus Aloysius, Johannes pichus, Jacobus Boza, Ubertus Petinarius, Jacobus Tordella, Petrus Bardana, Maynfredus Pelipparius, Jacobus Trianator, Johannes Formagerius [16], Guilelmus Carciosa [17], henricus Germanus, Guilelmus Vivenza, Johannes Zaculus [18], Jacobus Brogerius, Jacobus Bergognonus, Jacobus de Vineis Guilelmus Bonfilius, pepinus liprandus, Riquardus, Guilelmus Magister, Bernardus donne Marie, Pepinus Baratatus, dominus Robaldus de Caralio, Rolandus, Belserius, Anselmus Vivarengus, Guilelmus lora, Johannes Vivenza, Guilelmus Gastaldus, Ubertus Vivarengus, Anselmus Braudinus, Jacobus Arator, Jacobus donne musse,

[1] *et.* — [2] Add. *et singula.* — [3] *consiliatorum.* — [4] *communis.* — [5] *papa.* — [6] Deest *de Valgranna.* — [7] Deest *Anselmus.* — [8] *Ardizonus.* — [9] *Mayrardus.* — [10] *carraria.* — [11] *Raymondus.* — [12] *berrardus.* — [13] *doro.* — [14] *alrivotus.* — [15] *malabuca.* — [16] *formajarius.* — [17] *carriola.* — [18] *cazulus.*

Philippus Vercelesius, Raymondus Cavalerius, Petrus Busonus [1], Petrus [2] petit oculus, Johannes Agnella, Obertus Moxiglonus, Petrus Aybellina, Guilelmus Cazulus, Guilelmus Ferarius, Johannes Barellus, Guilelmus Tonsus, Guilelmus Campana [3], Guilelmus Antioqua [4], Obertus Nicholetus [5], Bernardus Niger, Peronus Guilelmi henrici, Ugo Berga, Aycardus filius Lotherij. Alij vero homines Cunei [6] extra consilia iuraverunt in magna quantitate si [7] hic scripti non sunt, Et inde dictus potestas Cunei et ambaxiatores Aste et Albe nomine dictorum communium unum et plura eiusdem tenoris instrumenta fieri iusserunt. Actum in domo communis Cunei, Interfuerunt testes henricus de Niella [8], Guilelmus de Romanisio notarius, Bertolotus Andeardus notarius, Bocafortis decanus, Guallotus Trombator, Jacobus Giglo et henricus de Revello.

Et ego Jacobus Valbella notarius Pallatinus interfui et iussu dictorum potestatis Cunei et ambaxatorum communium Aste et Albe ita [9] scripsi [10].

972. *De quadam treugua facta nomine domini Karoli Comitis Provincie etc. et communis Astensis invicem.* 1260. 21 Februarij.
(Omisimus quia iam est ad Num. 944).

973. *De quadam treugua facta per Seneschalcum provincie pro domino Karolo rege Sicilie cum comuni Astensi.* 1266. 14 Augusti.
(Omisimus quia iam est ad Num. 945).

974. *De quadam treugua facta inter Serenissimum dominum Karolum Regem Sicilie et comune Astense.* 1269. 11 Decembris.
(Omisimus quia iam est ad Num. 946).

975. *De domino Gauterio de la rocha qui nomine domini Regis Sicilie recepit a Johannino de Janua nomine comunis Astensis libras trecentas Astensis monete occasione Treuguarum.* 1270. 10 Octobris.
(Omisimus quia iam est ad Num. 947).

976. *De confessione facta per Boninum Crespum procuratorem suprascripti domini Gauterij quomodo eius nomine recepit a dicto Johanne de Janua nomine dicti comunis, pro dicto domino Rege alias libras* CCC. 1271. 29 Septembris.
(Omisimus quia iam est ad Num. 948).

977. *De quadam pace et concordia facta inter comune Ast et suos Vasallos et coadiuctores ex una parte, et comune Albe et suos Vasallos et coadiuctores ex parte altera.* 1276. 19 Septembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo sexto Indictione IIII^a die sabbati decimonono mensis Septembris, In nomine sancte et individue trinitatis patris et filij et spiritus Sancti amen, Ad honorem domini nostri yhesu Christi et gloriose

[1] *buxonus.* — [2] *Jacobus.* — [3] *Zampona.* — [4] *antioquia.* — [5] *michelotus.* — [6] Deest *Cunei.* — [7] *sel.* — [8] *nigella.* — [9] *sic.* — [10] Add. *Et est in libro veteri in folio* LXV.

Marie Virginis matris eius et beatorum sanctorum Secundi et laurencij martirum Christi et omnium sanctorum et sanctarum dei et sacrosancte Romane ecclesie nec non et sacri Romani Imperij Et ad commodum et utilitatem civitatis Astensis et civitatis Albe et omnium amicorum ipsarum civitatum, hec est forma pacis et concordie societatis tractate habite atque facte in perpetuum, inter comune et homines de Ast et cives et Vasalos ac coadiuctores eorum ex una parte, Et commune et homines Albe et cives et Vasalos eorum ex altera parte, Imprimis commune Albe et homines ipsius civitatis sint cives civitatis Astensis, et iurare citaynaticum dicte civitatis teneantur, et defendere et manutenere totam terram et jurisdictionem quam tenent et possident commune et homines de Ast contra quamlibet personam et locum Brayde et homines eiusdem loci, et facere pacem et guerram totis eorum viribus pro communi Astensi contra omnes homines civitates et loca cuiuscumque preheminentie et condictionis sint. Versa vice commune et homines Astenses sint cives civitatis Albe et teneantur iurare citaynaticum civitatis predicte et defendere et manutenere totam terram et jurisdictionem quam tenent et possident comune et homines Albe, Et eis dare forciam consilium et juvamen ad habendum et recuperandum locum et homines Claraschi, guarriando et guerram faciendo cum communi et hominibus Albe contra ipsum locum et homines Claraschi, Et contra quoslibet detinentes eundem, et perseverando in ipsa guerra quousque comune Albe ipsum locum recuperaverit, et pervenerit ad mandata et concordiam utriusque communis ad voluntatem ipsorum Albensium, et postquam ipsum locum et homines habuerint et recuperaverint, et pervenerit ad mandata et concordiam utriusque comunis ad voluntatem ipsorum Albensium, Et postquam ipsum locum et homines habuerint et recuperaverint, teneantur ipsum locum et homines manutenere et defendere communi et hominibus Albe eorum posse bona fide ad voluntatem ipsorum Albensium, et civitatem Albe et homines ipsius civitatis et totius civitatis et districtus eiusdem, et facere pacem et guerram totis eorum viribus pro communi Albe contra omnes homines civitates et loca cuiuscunque provincie, et condictionis sint, Salvis citaynis et Vasallis utriusque civitatis, Eo tamen addito quod si aliquis civis vel vasallus civitatis Astensis inferret vel faceret damnum aut offensionem communi Albe vel hominibus ipsius civitatis vel districtus, quod comune Ast ad requisitionem communis Albe, teneatur illud damnum vel offensam restitui facere vel emendari, ab ipso cive vel vasallo infra mensem unum postquam commune Astense inde fuerit requisitum a communi et hominibus Albe, Et restituere si nollet, comune Astense teneatur dare forciam consilium et juvamen communi et hominibus Albe quousque restitutio inde facta fuerit. Et facere contra illum vel illos commune Astense guerram vivam quousque restitutio facta fuerit ut supra. Et eodem modo commune Albe teneatur facere versus commune Ast. Item potestates Astenses et Albenses qui pro tempore fuerint, teneantur precise et sine tenore dare forciam et virtutem juvamen et consilium omnibus et singulis creditoribus civitatis Astensis et Albensis ad consequendum eorum debita et ad solutionem faciendam ab omnibus debitoribus quotienscumque predicti potestates essent admoniti a dictis creditoribus, admonentes et compellentes debitores ut predicta debita solvant infra mensem unum secundum formam juris non obstante privillegio fori. Item quod in iippatu sturie aliqua civitatum

predictarum non faciant, nec facere possint vel habere aliquam forciam vel castrum ipse civitates nec aliquis de earum districtu a finibus Cerveriarum usque ad fines pollencij, Ita tamen quod comune et homines de Ast et de Brayda et de eorum districtu possint et debeant facere et habere Mollandina paratoria et batenderia et eorum Astachamenta ad eorum voluntatem in rippa et flumina Sturie de versus se, ita quod ipsa molendina et paratoria seu batenderia hominum Ast et Brayde quod incursu aque non noceatur mollandinjs batenderijs et paratorijs communis et hominum Albe vel Claraschi, Econverso mollandina paratoria et batenderia communis et hominum Albe vel Claraschi non noceant mollendinjs paratorijs et batenderijs communis et hominum Astensium et Brayde quoad aque cursum, Et eo salvo quod homines Albe et Claraschi possint et debeant super flumine Sturie facere pontem vel plancas sine aliqua forcia vel batefredo aliquo, super quo vel quibus homines Astenses vel de Brayda et de districtu eiusdem civitatis et Albe et Claraschi Ire et redire possint, si voluerint ad eorum voluntatem. Item commune Albe debeat et teneatur facere pacem finem refutationem communi Astensi de omnibus terris possessionibus et juribus, que et quas commune Ast hodie tenet et possidet, Et versa vice commune et homines de Ast debeant facere pacem finem et refutationem communi Albe de omnibus terris et possessionibus et iuribus que et quas commune Albe hodie tenet et possidet, hoc habito intellectu, quod si aliqui cives civitatis Astensis vel Albe habent terras vel possessiones vel redditus rectos in territorijs ipsarum civitatum vel districtu, illas teneant et possideant, Et ab omni pena et banno eis impositis relaxentur et absoluti sint. Que dicta sunt de fine et pace facienda ut supra intelligatur salvis hjs que de castris inferius continentur. Item commune et homines Albe habeant et teneant in Astisio illud quod tenent et possident, videlicet illud quod habent in Zocho, Et illud quod habent in Columberio, et fidelitatem turris sancti Stephani, secundum quod eam habere consueti sunt, et citaynaticum Summerippe de paterno, Et illud fictum seu censum qui seu quod concessum seu concessus fuit eisdem communi et hominibus Albe a dominis de Sanctavictoria tempore segnorie domini Regis Sicilie ut in Instrumento seu instrumentis inde condito seu conditis continetur. Item illud quod habent in Cornaliano vel habere consueti sunt, habito intellectu quod dictum commune et homines Albe cum communi Astensi teneantur et debeant dare forciam et iuvamen eorum posse bona fide Manueli pallido et fratribus ad recuperandum habendum et tenendum id quod habent et habere consueti sunt in dicto loco et posse. Item id quod habent et habere consueti sunt in Tevolleto, Salvo eo quod ibi facere non possint aliquam forciam. Item id quod habent et tenent et consueti sunt habere et tenere in pollentio et nichil aliud in Astisio habere possint, preter castrum quondam Constanciorum cum tota jurisdictione et districtu terris et possessionibus dicti castri, hoc addito quod commune et homines de Ast non possint vel debeant in Astisio vel alibi facere vel acquirere prope civitatem Albe prope tria milliaria aliquam forciam receptum vel castrum. Item si aliquis tenet aliquid seu aliquod jus vel decetero teneret quod esset communis Ast, quod commune Albe teneatur totis viribus iuvare commune Astense ad eorum iusticiam consequendam, Et versa vice si aliquis tenet aliquid seu aliquod jus decetero teneret, quod esset communis Albe, comune Astense teneatur totis

viribus suis bona fide et sine fraude, comune Albe iuvare ad eorum iusticiam consequendam contra eos qui tenerent aliquod jus predictarum civitatum. Item commune Astense non possit nec debeat dare consilium vel iuvamen petentibus aliquod jus in castro vel villa et posse Narzolarum non obstante aliquo capitulo suprascripto vel infrascripto. Item si quid fuerit acquisitum per commune de Aste et per comune de Alba, vel per alterum ipsorum communium preter supradicta ab Alba superius, sit dicti comunis Astensis et communis Albe, Ita quod utrumque comune partem habeat in acquisito secundum quantitatem expensarum quas utrumque comune faceret in acquisito. Item consortitus Carasoni, breduli et Morocij et homines Romanisij et Fossani, qui ibi sunt et ubicumque sint remaneant et remanere debeant integraliter communi Astensi et ipsius communis sint. Item comune et homines de Ast aliquam iuram vel religamentum aliquod non facient cum aliqua vel aliquibus personis, nisi salvis hominibus Albe et citaynatico ipsorum Et econverso comune et homines Albe facere non possint aliquam iuram vel religamentum aliquod, nisi salvis hominibus de Ast et citaynatico ipsorum, hoc habito intellectu et expressim dicto, quod cum Alexandrinis vel hominibus Alexandrie commune Albe juram vel religamentum aliquod seu citaynaticum facere non possint vel debeant nisi de voluntate communis Astensis, nec commune Astense nisi de voluntate communis Albe. Item si contingeret quod contentio aliqua oriretur inter dictas civitates occasione alicuius damni dati vel offense facte ab aliqua ipsarum civitatum, quod duo eligantur cuiuslibet civitatis qui circa damnum datum et offensam factam habeant cognitionem et difinitionem, Et secundum quod ipsi dixerint et ordinaverint de emenda facienda, fiat restitutio infra duos menses, nec pro inde si restitutio non fieret infra dictum tempus, pax rupta intelligatur. Item super facto cambiorum et saximentorum eligantur duo homines cuiuslibet civitatis, qui debeant superesse predictis saximentis et cambijs et de hjs cognitionem habere et difinire, bona fide et sine fraude usque ad annum unum proxime venturum, Ita tamen quod omnia et singula instrumenta facta per aliquos de Alba aliquibus Astensibus eo tempore quo Astenses pro communi erant in civitate Albe occasione grafagninorum et ministrariorum, et cambia omnia et singula data et concessa occasione dictorum instrumentorum sint cassa et irita et nullius valoris, et pro infectis et non concessis penitus habeantur. Item teneantur comune et homines Albe dare forciam et iuvamen toto eorum posse bona fide communi et hominibus Ast ad habendum acquirendum et recuperandum castrum et villam et homines sancte Victorie incipiendo guerram contra ipsum castrum et homines et dominos eiusdem cum communi Astensi, et perseverando in ipsa quousque commune Astense ipsum castrum et homines habuerit et recuperaverit ad suam voluntatem, hoc acto et expressim dicto si contigerit dictum comune Astense acquirere recuperare vel habere per concordiam vel alio modo dictum castrum et homines sancte Victorie, quod domini et homines ipsius castri non teneantur vel debeant facere guerram communi et hominibus Albe aliquo modo, dum ipsa civitas et comune Albe steterit et perseveraverit in ea concordia et condictione seu statu in quo nunc sunt. Si autem civitas Albensis mutaretur de eo statu quo nunc est videlicet quod grafagnini forestati de civitate Albe, quorum nomina inferius describuntur vel pars ipsorum reverterentur seu devenirent stare et habitare in civitate Albe quod tunc

et deinde predicti domini et homines sancte Victorie possint et debeant guereare comune et homines Albe ad voluntatem comunis Astensis, nomina predictorum grafagninorum sunt hec, dominus Petrus de Brayda et omnes et singuli de hospitio et parentela illorum de Brayda, Robaudus Cerratus et omnes et singuli de hospicio et parentela Ceratorum, Ogerius de Morocio et omnes et singuli de hospitio seu parentela illorum de Morocio, Obertus Niellus, Jacobus Aydinus et omnes et singuli de hospitio seu parentela Aydinorum, Exceptis filijs Guillelmi Aydinj quondam filij henrici Aydini, Conradus Natarellus et filius, Jacobus Pautrerius, henricus de Neveis, Conradus de Fantibus, Guillelmus Rubeus, Guillelmus de Strata et filij, Nichola Becharius, Mussus de laneria. Item teneantur comune et homines Ast dare forciam consilium et juvamen communi et hominibus Albe ad habendum et recuperandum castrum et villam Cornalianni, faciendo guerram contra ipsum castrum et perseverando in ipsa guerra cum communi Albe, quousque comune Albe ipsum habuerit et recuperaverit ad voluntatem ipsius communis, hoc habito intellectu, quod dictum commune et homines Albe, cum communi Astensi teneantur et debeant dare forciam et virtutem auxilium et iuvamen toto eorum posse bona fide Manuello pallido et fratribus ad recuperandum habendum et tenendum id quod habent et habere consueti sunt in dicto loco et posse, Et similiter Jacobo de Montaldo teneantur dicta communia dare forciam et juvamen eorum posse bona fide ad recuperandum habendum et tenendum illud quod habet et habere consuevit in dicto loco et posse. Et dictus Jacobus teneatur satisfacere et se concordare cum creditoribus quos habet in Alba, et de debitis quibus tenetur eisdem. Item teneantur commune et homines Albe reddere et restituere in forciam et virtutem communis Astensis Castrum et Villam Trezij cum pertinentijs eiusdem castri, secundum quod dictum commune ipsum castrum habebat et tenebat tempore quo pervenit in forciam predicti domini Regis vel communis Albe, Ita tamen quod Guillelmus de Trezio et frater habeant et teneant id quod habebant in dicto castro villa et pertinencijs, secundum quod predicta habebant et tenebant tempore quo dictum commune Astense tenebat dictum castrum et quo pervenit in forciam dicti domini Regis vel Albensium, Et dictus Guillelmus de Trezio et frater sint omnino extra omnia banca sibi data pro communi Astensi, et ab ipsis bannis et penis et condemnationibus sint penitus absoluti. Item teneantur commune Et homines Albe facere et curare toto eorum posse et dare forciam et virtutem quod castra fravearum et Venearum perveniant in forciam et virtutem filiorum Uberti prevengni quondam et Maynfredi de Sibona et Uberti eius filij pro eo quod habere debent a Marchionibus Busche, dominis de Cossanno, et pro quo tenebant ipsa castra eo tempore quo pervenerunt in forciam et virtutem dictorum de Buscha, tempore inceptionis presentis guerre, et domini Gandulfi de Ralvengo respectu debitorum que debet habere et recipere a dictis Marchionibus de Buscha. Qui predicti filij et heredes Uberti prevengi et Maynfredus et Ubertus Sibonengi et dictus dominus Gandulfus respectu dictorum suorum debitorum dicta castra cum pertinencijs eorumdem teneant et possideant et quasi possideant usque ad integram solutionem habitam debitorum omnium et singulorum, que predicti et quilibet eorum debent recipere et habere a Marchionibus supradictis, Ita tamen quod jus quod commune Albe habet, vel habere consuetum est in castro Fravearum, Et ius etiam siquod eidem communi

competit in castro et Villa Venearum sint eidem communi salva, Ita quod commune Astense teneatur iuvare commune Albe ad recuperanda iura si qua habet in dictis castris et locis vel in aliquibus alijs que tenent dicti Marchiones de Buscha. Item teneantur commune et homines Albe facere et curare bona fide quod Guillelmus de Baldiserio et alij domini Summerippe facient compromissum in commune Albe de questionibus et malivolencijs existentibus et vertentibus seu que verti possent inter ipsos ex una parte, Et Ubertum pulsavinum et alios de suo hospitio ex altera, Et eodem modo teneatur commune Astense sic facere et curare quod dictus Ubertus vel alius pro eo et illi de suo hospicio vel alij eorum nomine faciant simile compromissum in comune Astense ita quod predicta omnia dictas malivolencias et questiones sedare debeant et aptare. Et si predicta communia predictas questiones et malivolencias aptare et sedare non possent, non propter hoc intelligatur pax rupta, sed dictus Ubertus et illi de suo hospitio possint uti contra predictos Guillelmum et alios dominos de Summarippa instrumentis pubblicis et iuribus quibus uti poterant ante pacem presentem, Ita quod ex hac pace nullum dicto Uberto et alijs pulsavinis contra predictos Guillelmum et alios dominos de Summarippa preiudicium generetur. Item teneantur commune et homines de Ast manutenere perpetuo et defendere societatem, de qua societate dominus Guillelmus Rappa factus est Capitaneus, et ipsum dominum Guillelmum Capitaneum eiusdem et alios capitaneos et Rectores qui per tempora fuerint societatis iandicte, et tenere inimicos et bannitos ipsius civitatis de Alba et posse, pro inimicis et bannitis communis Astensis. Et idem intelligatur de inimicis et bannitis communis Astensis, quod reputentur et teneantur banniti et inimici comunis Albe et dicte societatis. Item actum est in pace presenti specialiter et expressim, quod Marchiones de Buscha domini Cossanni, et tota terra quam tenent, et specialiter castrum et villa Cossanni, et castrum et Villa Rochete et homines eorumdem et tota alia terra quam tenent, et que non tenebantur in feudum a comuni Albe ante quam dominus Rex Sicilie haberet terram in lombardia sint et esse intelligantur extra dictam pacem, et predicta communia sibi adinvicem teneantur dare auxilium forciam et iuvamen eorum posse ad hoc ut omnia castra et loca que tenent auferantur ab eis, ita quod illud seu illa que tenentur seu teneri consueverunt sive sit unum sive plura a communi Albe a dicto tempore citra perveniat sive perveniant in comune Albense, et alia omnia perveniant in comune Astense, Ita quod dicta communia predictis Marchionibus non dare reductum aliquod seu auxilium vel favorem, aliquem omnimodo teneantur aliquo modo vel ingenio. Item teneantur dicta communia Albe et Aste sese adinvicem iuvare manutenere et defendere toto eorum posse contra comune et homines Cunei et contra comune et homines Savilliani et contra aliam terram, quam dominus rex Sicilie vel eius nuncij tenent vel decetero tenerent in lombardia et contra omnes alios inimicos utriusque communis scilicet tam comunis Astensis, quam comunis Albe, faciendo contra eos vivam guerram secundum quod melius poterunt, et perseverando in ipsa quousque venerint ad concordiam vel ad mandata utriusque communis, Ita quod aliquod dictorum communium non possit facere pacem vel treuguam cum predictis vel aliquo predictorum sine voluntate utriusque communis. Item teneatur comune Astense facere et curare bona fide quod Vassalli

communis Albe vel qui consueti sunt esse vassalli dicti communis a viginti annis citra faciant fidelitatem dicto communi de feudo quod tenent ab ipso communi vel consueverunt tenere a dicto tempore citra, Et quod eidem communi faciant quod facere consueverunt de dicto feudo, rogando requirendo et inducendo ipsos vassalos suo posse bona fide quod predicta faciant et attendant. Item comune Astense teneatur facere bona fide quod domini Mainfredus et Johannes de Sanctostephano de Astisio et fratres et nepotes ipsorum restituantur in possessione, qua spoliati fuerunt de eo quod habent vel habere consueverunt a viginti annis citra in dicto loco sancti Stephani et posse et quod eis restituantur redditus percepti a dicto tempore citra de rebus ipsorum, Rogando requirendo et inducendo dominum Comitem Manuelem et nepotes bona fide quod predictam restitutionem faciant et fieri faciant supradictis. Item commune Astense dare teneatur securitatem comuni Albe pro predicta pace attendenda per comune Janue de libris vigintimillibus, Que securitas duret usque ad decem annos proximos et completos, Et similiter commune Albe teneatur facere securitatem communi Astensi pro predicta pace attendenda per comune Janue de libris vigintimillibus Astensibus que securitas duret usque ad terminum suprascriptum, Et predictas securitates facere teneantur dicta communia infra duos menses proximos venientes. Item quod castrum Sarmatorij quod tenent Bollari penitus dissipetur et diruatur, et funditus eradicetur ad voluntatem communis Albe et comunis Fossanni, si dicta communia inde fuerint in concordia. Item quod potestas Astensis cum decem sapientibus civitatis Astensis, et potestas Albe cum decem sapientibus eiusdem civitatis teneantur de quatuor in quatuor mensibus sese adinvicem convenire loco convenienti prout videbitur dictis sapientibus et communibus pro tractando ordinando et firmando omnia et singula ea que spectabunt et spectare videbuntur ad maiorem firmitatem amoris perpetui et commodum et utilitatem utriusque communis. Item quod dicta pax et omnia et singula supradicta iurentur in consilio utriusque civitatis per potestatem, credendarios seu consiliarios et rectores ac capitaneos ipsarum civitatum et cuiuslibet ipsarum et in concione cuiuslibet civitatis per syndicum seu syndicos ipsarum civitatum et in animas aliorum de ipsis civitatibus infra xv. dies proxime venturos. Item ordinatum est inter partes predictas quod illi qui sunt vel erunt de consilio generali civitatis Astensis sint de consilio civitatis Albe ita quod possint si voluerint ire ad consilia generalia quando erunt in Alba vel alibi, Et similiter illi de Alba qui sunt vel erunt de consilio generali civitatis Albe, sint de consilio generali civitatis Ast, ita quod possint si voluerint ire ad consilia generalia quando erunt in Ast vel alibi et potestas Astensis teneatur dare seu mittere in scriptis potestati Albe illos qui erunt de generali consilio civitatis Astensis, Et potestas Albe teneatur et debeat dare seu mittere in scriptis credendarios comunis Albe potestati Astensi. Item ordinatum est inter partes predictas quod si dicta communia fuerint in concordia addendi vel diminuendi aliquid super dicta pace et concordia vel aliquo capitulo ipsius pacis ad maiorem firmitatem et utilitatem utriusque communis, quod huiusmodi sacramentum quod fiet super dicta pace attendenda de illo addito ex nunc et ex tunc predicta communia teneantur, ac si in presenti instrumento ex nunc additum esset et scriptum, et de diminuto sint penitus absoluti. Quam pacem et quod citaynaticum et omnia et singula suprascripta dominus Anselmus de Quiliano potestas Albe et dominus

Guillelmus Rappa Capitaneus Albe voluntate consilio et consensu consiliariorum civitatis Albe et ipsi consiliarij una cum predictis potestate et capitaneo et auctoritate ipsorum per campanam et voce preconia more solito et loco congregati, quorum nomina inferius describuntur nomine et vice communis et hominum Albe et districtus ex una parte, Et Jacobus Valbella sindicus procurator et actor communis Astensis de quo sindicatu apparet per instrumentum factum per Rollandum de Cumignanno notarium hoc eodem anno et Ind ictione dielune XXIIII.° mensis Septembris, nomine et vice dicti comunis Astensis ex altera parte promiserunt sibi ad invicem stipulatione solemni, et ad sancta dei evangelia tactis scripturis corporaliter iuraverunt attendere et observare et rata et firma habere et tenere perpetuo et attendi et observari facere et curare bona fide, quod predicta omnia et singula attendantur, et perpetuo observentur, Non obstantibus aliquibus conventionibus iuramentis treuguis seu aliquibus alijs promissionibus vel obligationibus quibuscunque hinc retro factis cum aliqua persona collegio vel universitate, vel etiam decetero faciendis, Sed predicta omnia et singula perpetuo observentur et fiant ut supra dictum est, et semper in suo robore perseverent, per inde ac si nulla treugua nulla conventio et nulla obligatio nec aliqua alia promissio facta foret. Pro quibus omnibus et singulis attendendis et perpetuo observandis, una pars alteri omnia bona dictorum communium invicem pignori obligaverunt, Renunciando in omnibus et singulis supradictis condictioni sine causa et ex iniusta causa doli et in factum et omni alij exceptioni et iuri. Et inde tot instrumenta iussa sunt fieri, quot partes voluerint, et specialiter unum per me Guillelmum de Gilio notarium et aliud per Bartholomeum Censoldum notarium. Nomina autem consiliariorum sunt hec, Thomas Rappa, Philibertus Garocia, Tarditus de Monteacuto, Obertus Guercius, Rufinus Tarditus, Oddo de Zocho, Obertus Villanus, Boninus Borrellus, Guillelmus Formaiarius, Obertus Alleus, Johannes de Niella, Robaldus Censoldus, Guillelmus de Vicia, Martinus de Sanctostephano, Nicholaus Conradenghus, Guillelmus Bauduynus, Henricus Censoldus, Ogerius de Casteglono, Poncius Constancius, Anselmus Falletus, Anselmus Berrutus, laurencius zacharengus, Smeraudus Conradengus, Johannes de Vicia, Novellus Constancius, Guido Rastellus, Thomas Garellus, Albertus Constancius, Anselmus de Marcenascho, Johannes Constancius, Paganus Alerius, Rollandus de Sumanno, Girardus pitator, Mussus Becharius, Jacobus provincialis, Bartholomeus Natarellus, Matheus Rappa, Filibertus Bauduinus, Galvangnus de Sanctostephano, Guillelmus Constancius, Carlevarius Bauduinus, Boninus Alna, Jacobus Becharius, Guillelmus de Montealto, Anselmus de Verduno, Otto clericatus, Ogerius Gilius, Oddinus Blanchetus, Guillelmus zacarengus, Guillelmus de Zocho, henricus leo, Ogerius zacharengus, Ogerius Balbus, Johannes de Sanctostephano, dominus Opizo Balduynus, henricus hencelbertus, Guillelmus Ferarius, david, Ogerius de Nevelijs, Galvangnus Constancius, Ogerius Ysachus, Ogerius Rappa, Poncius zacharengus, Petrus pictor, Robaldus Bevinus, Boninus Ballestrerius, Maynfredus Maronus, Matheus Citaynus, Mussus Berrutus, Cabriel Balduynus, Johannes Cordarius, Jacobus Berrutus, henricus Argenta, Toschanus de Nevilijs, Guillelmus de Ast, Berthollinus Cita, Jacobus giglo, Anselmus de Casteglono, lanfranchus Constancius, Facinus Ghilio, Jacobus Osbergherius, laurencius Bonesius, Jacobus Gazarus, Oddinus Rappa, henricus de Corto, henricus Maxanna, Guillelmus de Bella, Anselmus de Ast, Obertus

de Summarippa, Arnaldus Guaynerius, Petrus bragherius, Sismondus de Fantibus, Rufinus de zocho, Ogerius Constancius, Jacobus de zocho, Bergoncius Constancius, Jacobus Conradengus, Thebaudus Conradengus, Jacobus Berutus. Actum Albe sub voltis sancti laurencij. Testes interfuerunt dominus Petrus de Summano Judex potestatis Albe, dominus Guillelmus de Quiliano, davitus de Vicia, Obertus zocha de Ast, Bartholomeus Censoldus notarius, Gabriel Bauduinus notarius, Petrus Cynalius, Conradus de Fraveis, Bullotus Ottolinus et Bacinerius nuncij communis Albe.

Die eodem et presentibus testibus supradictis et pluribus alijs, Actum Albe in ecclesia sancti laurentij, quorum presentia Jacobus ghiglo et Bergoncius Constancius, sindici actores et procuratores communis et hominum civitatis Albe, ut de sindicatu patet per instrumentum factum per Bartholomeum Censoldum notarium hoc eodem Anno Indictione et die, volentes nomine et vice dicti communis et hominum Albe observare et attendere prescripta omnia et singula ut superius sunt expressa, In plena concione civitatis Albe In ecclesia sancti laurentij per campanas voce preconia more solito congregata, nomine et vice comunis et hominum Albe et in animas omnium et singulorum dicte civitatis in dicta concione presentium et absentium corporaliter ad sancta dei evangelia iuraverunt attendere et observare et rata et firma habere et tenere perpetuo et attendi et observari facere et curare et facere bona fide, quod predicta omnia et singula perpetuo inviolabiliter observare.

Die lune XXI. mensis Septembris, Actum Ast super voltis sancti Secundi, Testes interfuerunt dominus Zuchonus Tensus Vicarius communis Astensis, dominus Nicholaus de Carfallis Judex domini oberti Spinole Capitanei Astensis populi, Jacobus Malbechus notarius, Thomas Bellonus notarius et Bechonotus nuncius et preco communis Astensis, quorum presentia dominus Manuel de Nigro potestas Astensis et dominus Obertus Spinola Capitaneus Astensis populi, voluntate consilio et consensu credendariorum dicte civitatis, et infrascripti credendarij seu consiliarij civitatis Astensis per campannas et nuncios more solito congregati, eorum nominibus et nomine et vice communis Astensis et districtus eiusdem civitatis, et Bergoncius Constancius sindicus et procurator communis Albe de quo sindicatu apparebat per instrumentum factum per Bartholomeum Censoldum notarium hoc eodem anno et Indictione die sabbati XVIIII.° mensis Septembris, nomine et vice dicti communis Albe volentes attendere et observare prescripta omnia et singula ut superius sunt expressa, ipsis, omnibus et singulis lectis diligenter in ipso consilio, Corporaliter ad sancta dei evangelia iuraverunt prescripta omnia et singula attendere et observare et rata et firma habere et tenere perpetuo, et attendi et observari facere, et curare bona fide quod predicta omnia et singula attendantur et perpetuo inviolabiliter observentur. Nomina quorum credendariorum sunt hec, henricus Alferius, Robaudus Mugnannus, Rollandus layolius, Jacobus Valbella, Gualla Ottinus, dominus Andreas de Solario, Georgius Thomas, Petrus Thomas, Rollandus Cortesius, Ubertus Sibonengus, Bonefacius de Quargnento, Facinus de Solario, Centorius Strazatus, Ubertus Rex, Rollandus Scarampus, Manfredus Mignannus, Obertinus Cachayranus, Rollandus Gardinus, Thomaynus Rovezolius, Meylanus de Solario, Obertus Pallidus, Thomas Alferius, Obertinus Gutuerius, Bonifacius de Solario, henricus de Quarto, Thomas de Solario filius Jacobi quondam, Jacobus de Gorzanno, henricus layolius, Ghiglotus pelleta,

Vercellinus de Solario, Petrus Ypolitus, loysius de Solario, Oggerius de Sollario, Obertus de Solario, Obertus dealis, henricus de Septimis, Conradus zavolerius, Oddinus Guizius, Baudrachus Bertaldus, Alexander Robbe, Thomas Asinarius, dominus Anselmus Bertramus, Albertus Maruchus, Paganus Alionus, Petrus Monachus, Maynfredus de Sancto Johanne, Guillelmus Testa, laydus Testa, dominus Baudimentus de curia, Peracius Buchanigra, Thomas pelleta, Rodulfus de Sancto Mauricio, Robertus Bertaudus, Thomas de Viallo, Thomas de Montevetulo, Jacobus de Alba, Astesanus de Jardina, Rollandus Thomas, dominus Guillelmus Gardinus, Roffinus Maronus, Conradinus Malabayla, Bayamondinus de Cario, Jacobus de Azanno, Jacobus Bertaldus, Jacobus Morandus, Gomondus de Gomundis, Georgius pelleta, Bonefacius de Gorzanno, Georgius Bergogninus, Oddo Cazo, Petrus Muzius de Arpezanno, Mussus pallidus, Manduynus layolius, Fulchus Cazo, Thomas Rotarius, Alexander Carenzanus, Philippus Alamannus, Guillelmus Alionus, Obertinus Falletus, Thomas Bovetus, Bertramus de Comentina, Jacobus Rasparellus, Jacobus Sylvanus, Jacobus Gazia, Bertoldus Tabernarius, Persevallus Bertramus, Astesanus pennacius, Henricus de Solario, Oseppus poreta, Oppicio Almauricus, Georgius Cassenus, Petrus pennacius, Rollandus Rastellus, Andreas Barachus, Henricus Morrus, Georgius de platis, Conradus Mario, Thomas Caldera, Jacobus Cassenus, Oliverius Garetus, Manuel Augustus, Scapinus de porta.

Eodem anno et Indictione die iovis XIIII° intrantis Septembris, Actum Ast in plena concione facta in mercato sancto. Testes Rollandus de Cumignanno, Francischus de Benengo notarij, Grasverdus de Grasverdis, Brunacius nuncius communis et Garabel nuncius communis, Quorum presentia Jacobus de Valbella sindicus procurator et actor communis Astensis, voluntate consensu et auctoritate Astensis consilij generalis, super hoc heri celebrati et auctoritate sibi concessa secundum formam sui sindicatus de quo superius mencio facta est, et precepto mandato voluntate et consensu suprascriptorum domini potestatis et Capitanei Astensium ibidem presentium, et illorum qui erant ad concionem predictam nomine et vice communis et hominum civitatis Astensis et districtus ex una parte, Et Bergoncius Constancius sindicus actor et procurator comunis et hominum Albe auctoritate sibi concessa, secundum formam sui sindicatus de quo superius facta est mencio nomine et vice comunis et hominum Albe et districtus et pro eis ex alia parte pro bono pacis et concordie suprascripte sibi adinvicem stipulantes nominibus predictorum fecerunt pacem finem et absolutionem quietationem et remissionem ac pactum de non petendo de omnibus damnis offensionibus et Incendijs guastis et Iniurijs datis illatis et factis inter ipsas partes vel aliquam de ipsis partibus seu que vel quas una pars alteri parti communiter vel singulariter dederit fecerit vel intulerit realiter vel personaliter aliquo modo vel aliqua occasione usque ad presentem diem, Promittentes sibi adinvicem nominibus predictorum ipsam pacem et finem et absolutionem prout superius dictum est firmam habere et tenere perpetuo, et ad sancta dei evangelia tactis scripturis corporaliter iuraverunt et promiserunt nullo tempore contrafacere vel venire, Et inde dicti sindici, hoc addendo paci et concordie seu compositioni prescripte sub eodem tractatu et sub eadem compositione fieri preceperunt unum instrumentum et plura, hoc acto quod presens additio vel quitatio non noceat nec preiudicium faciat Uberto pulsavino et illis de eius

hospitio, quo minus attendatur et observetur ut supra in dicta pace et concordia continetur, et quo minus instrumentis et iuribus suis uti possit, ut in puncto quod loquitur de facto ipsius Uberti in dicta pace et concordia plenius est expressum.

978. *De ratificatione et approbatione pactorum et conventionum factorum et factarum inter comune Ast ex una parte et comune Albe ex altera.* 1279. 22 Septembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimonono Indictione septima die veneris XXII° mensis Septembris, presentia testium infrascriptorum, dominus Jacobus de Sanctoiohanne sive de pallatio, miles domini Odonis Albrici potestatis Albe et gerens vices ipsius potestatis voluntate consilio et consensu domini Guillelmi Rappe Capitanei populi, et communis Albe et infrascriptorum credendariorum ibi per campanas et nuncios more solito ad hoc specialiter congregatorum et prescriptorum et ipsi credendarij quorum nomina inferius describuntur auctoritate dicti militis potestatis et dicti Capitanei, Volentes approbare et ratificare ac attendere pacem et pacta ac conventiones factam facta et factas inter commune et homines de Aste et cives et vasallos et coadiuctores eorum ex una parte, Et commune et homines Albe et cives et vassalos eorum ex altera parte, de quibus pace et pactis et conventionibus est instrumentum factum per Guillelmum de Gilio notarium, Anno domini MCCLXXVI°. Indictione IIII^a^ die sabbati decimonono mensis Septembris, Et omnia ea et singula que in dicto instrumento plenius continentur, principaliter eorum nomine et nomine communis et hominum Albe promiserunt petro Silvanno sindico comunis Astensis, Et corporaliter ad sancta dei evangelia juraverunt omnia ea et singula que in dicto instrumento plenius continentur, attendere et observare et complere et nullo tempore contrafacere vel venire. Nomina autem consiliariorum sunt hec Julianus Becharius, henricus Beghicletus, Johannes Cagnacia, Boninus Bassus, Cicer, Boninus Rogerius, Jacobus de Rodello, Albertus de Boscho, petrus de Valio, Robinus Barberius, Maganotus, Guillelmus Boninus, Ogerius Garellus, Ottollinus pelleta, petrus Ballocus, Johannes Cayrosius, Remuschius, Jachinus Auricula, Jacobus Scuellus, Boninus de Ecclesia, Jacobus Baresius, Guillelmus Vetulinus, Vivaldus Blanchetus, Vivaldus de Careta, Garuncius de prerolmo, Jordanus drapella, Obertus Trencherius, Jordanus Sepenus, Obertus de Summarippa, Nicolaus Frenarius, Obertinus de Valoria, Boninus de Rodello, Rubeus de Strata, henricus de Coto, Obertus Garellus, Mucius Bellengerius, Bertholomeus de pollencio, Raymondus Magallus, Obertus Villanus, Bartholomeus Arquatus, Guillelmus de Bonaver, Arnaldus Guaynerius, leonus Bosius, Filibertus de Vineis, Guillelmus Constancius, Thomas pugnus, Thomas de Bello, Ogerius Mareschotus, Mayfredus de Bella, Bozia Becharius, Astesanus de Alleta, Rofinus Cauza, Guillelmus Vehella, Facinus Guglio, Ogerius Gilius, Jacobus Conradengus, Jacobus Berutus, Galvangnus de Albengano, perotus Villatus, Guillelmus de dyanno, Sysmondus Guitonus, Jacobus Formaiarius, Grenonus pillatus, Saglatus Yvernus, Bellengerius Rappa, Ogerius Constancius, lanfranchus Constancius, Ogerius Balbus, Novellus Constancius, Guillelmus Constancius, Thomas Constancius, Jacobus pautrerius, Antoneus Natarellus, Ogerius Rappa, Oddobonus petrus, Guillelmus Formagiarius, dominus Guillelmus Jacharengus, Thomas Rappa, henricus Niellus, Anselmus Berrutus, Poncius Constancius, Guido Rastellus, dominus Oppizo Bauduynus, Robertus de Casteglono et Manzanotus Guillelmus de

Montaldo, Johannes Rappa, Carlavarius Bauduynus, Philippus Niellus, Jacobus de Zocho, Robaudus Guisardus, Nicholinus Rappa, Obertus de Montaldo, Obertus Guercius, Guillelmus de Vicia, Petrus de Alanna, Dalfinus Zacharengus, Philibertus de Zocho, Manuel Constancius, Anselmus Falletus, Guillelmus Bauduynus, henricus de Marcio, Johannes de Nicia, Ogerius Zacharengus, Bertollotus Cancia, Guillelmus Zavaterius, Guillelmus Bruxaferrus, Johannes Gulla, Boninus Cotellarius, Jofredus Manzannus, Girardus Ponterius, Bertollinus Motta, Albertus Constancius, Boninus Craudus, henricus de Rodello, Ansaldus Aquillarius, Albertus Autavilla, Robaudus Bonus et bellus, Peronus Barocius, Bertholla Rivera, Petrus Barbaratus, Jordanus Max, Jacobus Gassa, Matheus Citaynus, Oddo Gavarrus, Bertholomeus de Ast, Jacobus de Auna, Manuel de Maglanno, Jacobus de Mollegnanno, Petrus Barletus, henricus de peracio, Astexannus Gardinus, Obertus Bonfilius, Boninus de Poncio, Obertus Mablunda, Manzanotus, Arimondus Calvus, Nicholaus Victoria, Aycardotus de Marcenascho, Robaudus bannotus, Bartholomeus Constancius, Filibertus Alerius, Jacobus de Sommano, Thomas Machalufus, Sysmondus de Fantibus, Nicholaus Cordarius, henricus Costa, Filibertus de Castroaynaldo, Guillelmus de Zocho, Paglucius Rastellus, Guillelmus Ferarius, henricus Anquis, Guillelmus de Ast, Ruffinus de Zocho, Ogerius Guiscardus, Johannes Bertholotus, Jacobus Gilius, Guillelmus Taraschus, Johannes Cordarius, Guillelmus Veella, Odinus de Casteglolis, Roffinus Cauza, Alexander de Aleta, Bocia Becharius, Filibertus de Syneis, leo Bosius, Bertholomeus de pollencio, Fredericus Njellus, Ogerius Albricus, Rufinus de Manuellis, Petrus Braherius, Poncius de poncijs, Rodulfus Rivellus, Mafonus de Poncijs, Anselminus Ferrarius, Johannes levesanus, Bonus Maonerius, Jacobus Pennonus, Oddo Clericatus, Guillelmus Floretus, Aycardus Calvus, Oddo de Zocho, henricus Maxera, Obertus Raferius, Guillelmus pinctor, dominus G. Fer, Poncius Zacharengus, Niellus de Niellis, Rubeus pitator, Jacobus Becharius, Bertholomeus notarius, Boninus Sartor, Filibertus Zacharengus, Petrus de Montemagno, Jacobus Girbaudus, Galvagnus Constancius, Filibertus Bauduynus, Mussus pallidus, Gayus Garellus, Thebaudus Conradengus, Robaudus Censor, Mussetus Sartor, henricus Stellinus, Filibertus Baratherius, henricus Cavalerius, Petrus de Totobono, Mascherus de dianno, Anselmus Berutus, Guillelmus de dyanno, Bonus Turtacena, henricus de Seralonga, Boninus de Rodello, Pagannus Alerius, Maynfredus Balbus, Obertus Arquatus, Maynfredus Mazochus, Francischus specialis, Jacobus de Marcenascho, Oddinus Tortanea, Johannes Constancius, Thomaynus Formayarius, Fredericus Constancius, Bergognus Constancius, Jacobus Conradengus, henricus henzebertus, Jacobus Guercius, Berrutus, Oddinus Maxeria, Obertus Aleus, laurencius Arquatus, Oddo Censoldus, Frater Johannes, Jacobus Gazarus, Raymondus Gilius, Guillelmus Fornarius, Anthonius de Sommano, Boninus Ballesterius, Ogerius Maraschotus Thomas pregnus, Boninus Constancius, Petrus Coialius, Gabriellus Baudinus et persevallus Constancius.

Actum Albe super voltis sancti laurentij ubi celebrantur consilia presentibus testibus domino Bernardo de Carfallis Judice Philippo de platea, Jacobo de Brayda, de Gavonibus.

Et ego Thomas Bellonus notarius pallatinus predictis interfui et rogatus sic scripsi.

979. *De quodam instrumento sindicatus facti in personam Guillelmi Cacayrani et Guillelmi Cassani pro parte comunis Ast super hjs que dictum comune agere habebat contra comune Albe.* 1230. 12 Julij.

Anno domini Millesimoducentesimotrigesimo Indictione tercia die veneris duodecimo Julij, In Aste supra voltas ecclesie, dominus Rolandus Rubeus potestas Astensis consilio et voluntate Astensis credentie per campanam congregate et ore ad os interogate et scripte et ipsi credendarij constituerunt et fecerunt dominum Guillelmum Cacayranum et dominum Guillelmum Cassanum Astenses sindicos et procuratores et auctores communis Astensis super petitionibus et defensionibus quas comune Astense habet vel habiturum est vel facturum contra comune Albe et eius partem in agendo defendendo replicando et excipiendo, Et ad omnia alia facienda que ad officium sindicatus et procurationis pertinent vel spectare videntur, promittendo eisdem stipulantibus dictum comune et ipsi credendarij ratum et firmum perpetuo habere quicquid super predictis pro comuni Astensi ipsi fecerint statuerint vel ordinaverint. ac si ipsi potestas et credendarij in propria persona fecissent. Interfuerunt testes rogati, Bertramus de Sulbericho, Ambrosius de Ceva et Guietus de Cario.

Et ego Guillelmus de Tana notarius hanc cartam scripsi.

980. *De concordia et unione ac conventionibus et pactis factis inter comune Ast ex una parte et dominum Berrardum de Brayda pro se et consortibus suis et alijs forensitis de Alba ex altera, in quibus inter cetera effecti fuerunt cives Astenses debendo solvere fodrum comuni Ast.* 1290. 30 Junij.

Anno domini Millesimoducentesimononagesimo Indictione tercia dieveneris ultimo mensis Junij, In presentia testium infrascriptorum, dominus Ottolinus de Mandello potestas Astensis, dominus Bertramus de Carchano Capitaneus populi, dominj Raynerius Bunius, Jacobus layolius, Gomondus de Gomundis et Facinus Ysnardus, quatuor sapientes civitatis Astensis auctoritate baylie eis concesse a generali consilio civitatis Astensis, Cuius baylie tenor inferius denotatur, nomine et vice comunis Astensis ex una parte, et dominus Berardus de Brayda procurator domini petri de Brayda, Odinj Rape persavallis, et danielis de Brayda, Pauli Mareschoti, Ogerij Pulsavinj, Conradi de brayda, Jacobi pautrerij, Guillelmi Pautrerij, Jacobi Mareschoti, Nannj Cerati, Guillelmi Cerati, Oberti Natarellij, Jacobi Mascheri, Johannis Fuserij, Maynfredi Alei ad faciendum tractatum unionem religationem societatem seu coniurationem cum hominibus civitatis Astensis, Et ad faciendum pacta et conventiones quecumque sibi videbuntur, Et ad promittendum restringendum religandum et faciendum pacem et guerram exercitus et cavalcatas, pro comuni Astensi contra quamlibet personam seu universitatem de lombardia, ut patet per instrumentum procurationis factum per Philippum de Sanctomarcho Catule notarium publicum anno domini MCCLXXXX mense februarij secundo eiusdem tercie Indictionis, suo proprio nomine, et nomine et vice suprascriptorum omnium et singulorum quorum procurator est et nomine et vice omnium aliorum forensitorum Albe qui venire et ratificare voluerint ex altera, Talem concordiam et talia pacta et conventiones fecerunt adinvicem videlicet Quod predicti potestas Capitaneus et quatuor sapientes auctoritate bayliarum predictarum nomine et vice comunis Astensis receperunt

in cives civitatis Astensis predictum Berrardum et alios suprascriptos et omnes et singulos alios de parte forensitorum Albe qui voluerint predicta ratificare secundum pacta et conventiones infrascriptas et secundum quod inferius denotatur, In primis quod predicti forensiti sint cives civitatis Astensis, Et specialiter illi quos ipsi ponere voluerint de eorum parte usque ad duos menses proxime venturos solvendo fodrum de quantitate scilicet domini petrus fratres et nepotes filij domini Guillelmi et domini Francischi de libris Mille, et alij omnes forensiti et Grafagninj de libris Mille Astensibus, quotiens civitas ad fodrum prestum taliam vel collectam pervenerit, Salvo quod non teneantur solvere de aliquibus nec pro aliquibus expensis hinc retro factis per comune Astense, nec solvere prestum seu fodrum quod colligitur, denariorum duorum pro libra, nec fodrum seu prestum denariorum quatuor pro libra. Item quod comune Astense non possit facere pacem nec treuguam, nec guerram recreutam cum hominibus Albe nec cum inimicis ipsorum forensitorum de Alba vel aliunde qui tenerent aliquid de bonis ipsorum seu alicuius eorum quousque fuerint reducti in Alba in eorum libertate et sine aliqua subiectione et restituti in eorum bonis omnibus immobilibus que tenebant et possidebant tempore quo exiverunt de Alba, Salvis hjs que tenent Marchio Salutiarum et henricus de Careto et comune Astense siquid tenet et ecclesia Astensis, Et reservato singulis civibus Astensibus omni iure quod habent contra ipsos forensitos et bona ipsorum. Item quod comune Astense teneatur et debeat dare et solvere denarios Berrardo de Brayda, et fratribus de parte quam habebant in castro Summerippe de Perno scilicet libras Mille quingintas Astenses, videlicet libras quingintas usque ad festum nativitatis domini et residuum de capitalj usque ad festum sancti Joannis de Junio proxime sequenti, Faciendo dictus dominus Berrardus et fratres instrumentum venditionis prout melius fieri et dictari poterit per iuris peritum. Item quod comune Astense teneatur bannire et bannitos tenere omnes inimicos eorum de Alba, et specialiter illos quos dabunt in scriptis infra unum mensem. Item si contingeret quod aliquis de Forensitis Albe noluerit venire ad iurandum et faciendum guerram, et etiam ad faciendum et ratificandum pacta supradicta comuni Astensi, quod predicti forensiti qui ea facere Nóluerint non possint nec debeant recuperare aliquid de bonis eorum nec venire in Ast nec in eorum districtu nec in eorum amicicia sine voluntate predictorum forensitorum, Et versa vice dicti forensiti teneantur et debeant facere guerram vivam contra omnes inimicos comunis Astensis et treuguam et pacem ad voluntatem comunis Astensis, Et quod non facient pacem nec treuguam nec guerram recreutam cum Albensibus nec cum inimicis comunis Astensis sine voluntate comunis Astensis, Salvo quod non teneantur facere treuguam vel pacem cum Marchione Saluziarum nec cum henrico de Careto ultra eorum voluntatem, dum ipsi vel alter ipsorum tenerent aliquid de bonis dictorum forensitorum, Et si contingeret quod comune Astense faceret aliqua pacta vel conventiones cum Marchione Saluziarum vel cum henrico de Careto quod comune Ast abstineat se a guerra facienda contra dictos forensitos pro predictis Marchione et henrico quousque restituerint ipsis forensitis ea que tenent de bonis immobilibus ipsorum vel alicuius eorum. Item si contingeret quod dicti forensiti Albe revertantur in civitatem Albe, teneantur et debeant facere et curare suo posse quod comune Albe faciat guerram contra inimicos comunis Astensis, Et comune de Aste idem teneatur facere pro comuni Albe.

Predicta autem omnia et singula predicti potestas, Capitaneus et quatuor Sapientes civitatis Astensis nomine et vice dicti comunis ex una parte, Et dictus dominus Berrardus suo proprio nomine et nomine predictorum quorum procurator est, et aliorum forensitorum ex altera promiserunt sibi adinvicem attendere et observare et attendi et observari facere sub obligatione omnium bonorum suorum videlicet sub obligatione omnium bonorum comunis Astensis que salvo sacramento potestates Astenses possunt pignori obligari, et sub obligatione bonorum dicti Berrardj et predictorum quorum procurator est, que pro inde dicte partes nominibus quibus supra sibi adinvicem pignori obligaverunt, Renunciantes ipse partes nominibus quibus supra condictioni sine causa et ex iniusta causa exceptioni doli mali et in factum, Et quod non possint dicere deceptionem intervenisse in presenti contractu vel in aliqua parte ipsius et omni alij exceptioni et iuri, Et insuper dicti Berrardus suo et predictorum nomine et Odinus de Brayda et Tebaldus pautrerius, eorum proprijs nominibus iuraverunt ad sancta dei evangelia predicta omnia et singula attendere et observare et attendj et observari facere bona fide sub obligatione omnium bonorum suorum, que pro inde predictis potestati Capitaneo et Sapientibus et michi notario nomine et vice comunis Astensis pignori obligaverunt, Et inde dictus dominus potestas precepit michi notario unum et plura fieri instrumenta ad postulationem omnium quorum interest. Actum Ast in domo illorum de Sulberico in qua stat dictus dominus potestas, interfuerunt testes dominus philippus Scarampus, Paganus Mignanus, Robaldus Mignanus, Martinus Mignanus et Thomas de Troya.

Et ego Francischus de Benengo notarius pallatinus interfui et iussu dicti domini potestatis sic scripsj. Tenor autem baylie etc. in libro consiliorum reperietur.

981. *De treugua facta inter Seneschallum Provincie pro domino Rege Sicilie et suos ex una parte, Et comune Ast pro se et suis ex altera, In qua participes partis cuiuslibet predictarum per ordinem declarantur.* 1282. 13 Februarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo secundo Indictione Undecima secundum consuetudinem provincie et Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo secundo Indictione undecima secundum consuetudinem Astensem, die sabbati terciodecimo mensis februarij. In nomine sume et individue trinitatis ad ipsiusque honorem et gloriam et beate et gloriose virginis Marie ac etiam omnium sanctorum, et Illustrissimi dominj karolj dei gratia Jerusalem et Sicilie Regis et domini karolj eius primogeniti principis Salerni, et honoris Montissanctiangeli, dominj, et ad bonum statum comunis Astensis et amicorum suorum et coadiutorum infrascriptorum, Infrascripta forma tractatus habita et habitus fuit inter egregium militem dominum Johannem de Burlacio honorabilem Senescallum provincie et Folchalcherij pro predicto domino Rege de consilio consensu et voluntate nobilium et discretorum virorum dominorum Raymondj Ruffi de Comis in predictis comitatibus maioris iudicis, Ysnardj de ponthevos dominj de Agoto, Ysnardj de Antravenis domini de Olerijs, Restangni Gantellinj domini Burboni militum, magistri Guidonis de Buco Regij procuratoris, et Guillelmi de populo militis, legum professoris predicti domini Seneschallj consiliariorum nomine curie Regie ex una parte, et Nobiles et discretos viros dominos Baudonum de Sanctoiohanne et Bonefacium de Solario cives Astenses ambaxiatores

sindicos auctores et procuratores dicti communis et Baudimenti de Curia Judicis eorundem consiliariorum nomine dicti comunis et amicorum et coadiuctorum infrascriptorum ex altera super treugua quam partes predicte nominibus quibus supra fecerunt ordinaverunt et tractaverunt, voluerunt et concesserunt per ipsas partes et quamlibet ipsarum inviolabiliter observari. In primis itaque partes predicte nominibus iandictis inter se vicissim voluerunt fecerunt ordinaverunt et concesserunt treuguam seu treuguas inter predictas partes et quamlibet ipsarum duraturam seu duraturas hinc ad festum pasce resurectionis domini, Et ab inde inantea usque ad quatuor annos proximos postea subsequentes et completos et post dictos quatuor annos quousque fuerit contramandata vel contramandate post contramandum quod fieri debebit prout infra declarabitur dicta treugua seu dicte treugue, nichilominus duret et durent seu durare debeat seu debeant per annum unum postea subsequentem ita videlicet quod una pars vel aliqua predictarum vel aliquis de partibus supradictis non faciat nec fieri faciat nec alicui facienti seu facere volenti consentiat ullo modo nec ulla decausa usque ad terminum seu terminos supradictos offensionem aliquam alteri parti nec alicui de altera parte in personis vel rebus aliqua ingenij subtilitate, nec fieri permittat in quantum prohibere possit. In predicta treugua seu predictis treuguis sunt et positi fuerunt de communi voluntate partium predictarum pro parte dictorum Astensium Civitas Astensis cum tota sua terra et civium suorum districtu et posse, et terra quam tenet ecclesia Astensis, Carium cum tota sua terra districtu et posse, Savillianum cum tota sua terra, districtu et posse, Fossanum cum tota sua terra, districtu et posse, Monsregalis cum tota sua terra districtu et posse quam modo tenet, Claraschum cum tota sua terra districtu et posse. Item Vasalli communis Astensis, videlicet infrascripti pro terris et locis quas et que tenent a dicto communi Astensi similiter infrascriptis, Vassallj siquidem sunt isti, Marchio de Ceva, Marchio Salutiarum, liberi quondam domini Jacobi de Careto, dominus Mainfredus de Careto, filij domini Manuelis de Castano, domini de Castronovo de Rivalba, domini de Montealto de Torresanna, Filij domini Nicholay de Montealto quondam Gribaldenghi, dominus Otto de Roxanna sive heredes, Abbas Bremetensis, domini de Sancto stephano de Coxanna. Terre autem et loca quas et que tenent dicti Vassalli a dicto communi Astensi sunt iste et ista videlicet locus Salucearum pro dimidia quam tenet dictus Marchio Salutiarum, Et pro alia dimidia quam tenent filij domini Oddonis de Roxanna. Item castrum et villa Carmagnole et lequi, que tenet dictus Marchio Salutiarum. Pro parte vero curie Regie fuerunt positi et ponuntur in treugua, scilicet ipse dominus Rex, et dominus princeps eius filius cum tota ipsorum terra districtu et posse et omnium vasallorum ipsorum, pro ea videlicet terra quam tenet pro ipsis domino Rege et domino principe eius filio. Ita tamen quod in partibus lombardie, Illi demum intelligantur positi in treugua predicta pro parte curie Regie, qui ad presens sunt subditi et obedientes dictis domino Regi et domino principi, Et in predictis specialiter et expresse intelligantur locus Morocij cum terra et districtu et posse et domini ipsius videlicet pro ea terra quam dicti de Morocio modo tenent, et castrum Montismalj cum eius posse et districtu et Raynino de Cornu, et Castrum Cadralij. Item quod Grafagninj sive forensiti Albe et pars ipsorum sint in dicta treugua pro parte dicti domini Regis, Et si contingeret dictos Grafagninos vel partem

ipsorum intrare civitatem Albe in concordia intrinsecorum seu illorum qui modo tenent Albam, quod in illo casu, si tunc comune Astense faceret eis guerram vel eos offenderet, qui predictam civitatem intrassent modo predicto quod pars domini Regis teneatur non prestare seu dare eis aliquod auxilium vel iuvamen contra comune Astense vel illos de parte sua qui positi sunt in treugua pro parte dictorum Astensium, nec pro aliquo quod pars Astensium faceret contra ipsos Grafagninos vel cum ipsis intelligatur treugua rupta, Si vero contingeret dictos Grafagninos vel partem ipsorum per potentiam suam vel amicorum suorum vel alio modo quam supradicto intrare dictam civitatem Albe, quod eo casu Grafagninj durante treugua non possint aliquam segnoriam facere seu segnoriam dicte civitatis alicui concedere, Et si dicti Grafagninj inciperent guerram contra partem Astensium durante treugua quod pars curie eisdem prestare non debeat auxilium vel favorem contra Astenses vel partem ipsorum. Ipsi tamen Grafagninj possint ire stare et redire per terram Astensium et amicorum predictorum sive faciendo guerram inde movendo vel se reducendo ibi. Item quod dominus Rex vel princeps eius filius per sese vel per alios vel alius pro ipsis vel aliquo ipsorum non possint acquirere aliquid a loco Cunei inferius versus Ast, excepta terra Marchionis Salutiarum, et excepta terra Cunei, nec a Civitate Astensi infra per tantum quantum tenet districtus Astensis. Item si aliquis de locis predictis positis in treugua pro parte Astensi Noluerit esse in dicta treugua infra duos menses postquam dicta treugua fuerit iurata per partes videlicet curie et ambaxiatorum Astensium quod dominus Rex et sui possint ipsum locum guerriare destruere et dissipare ad suam voluntatem sine eo quod acquirant aliquod jus in ipso loco seu acquirere possint. Item quod pars curie durante treugua non possit aliquod ius acquirere in aliqua terra seu loco, quam vel quem teneant illi qui positi sunt in treugua pro parte Astensium in illis videlicet locis pro quibus sunt in treugua. Ita tamen quod si domini predictorum locorum cum predictis locis facerent guerram parti curie vel aliquis dictorum dominorum cum aliquo dictorum locorum, vel loca predicta seu aliquis predictorum locorum quod tunc pars curie predicta loca seu locum qui guerram in predicto casu faceret, possit guerreare destruere et dissipare ad suam voluntatem sine eo quod aliquod jus ibi acquirere possit. Item si aliqua offensio facta fuerit per Astenses vel per aliquem de locis predictis quod non intelligatur propter hoc treugua rupta, sed debeat cognosci per arbitros super hoc ellectos et postquam cognitum fuerit offensionem esse factam vel damnum datum fiat emenda secundum quod dixerint dicti arbitri infra mensem per illum locum qui damnum dedisset vel offensionem fecisset, Et si aliqui de dictis locis Nollent emendam facere predictam infra dictum tempus, ex tunc possit intelligi treugua rupta ab illo solo loco, qui predictam emendam facere Nollet, et ipsum solum locum, pars domini Regis possit guerriare destruere et dissipare ad suam voluntatem sine eo quod ibi jus aliquod acquirere possit, Et nichilominus ex tunc comune Astense teneatur dictum locum bannire banno maleficij et treugue rupte, et pro bannito tenere donec predictam emendam fecisset, et bona ipsorum et ipsos capere et captos tenere si reperirentur in posse Astensi usque ad integram satisfactionem damni dati. Item quod predictus dominus Rex et eius filius predictus et sui possint ire redire atque transire per terram et districtum civitatis Astensis et prescriptorum locorum positorum in treugua pro dicto comuni Astensi libere et secure et absque aliqua dificultate,

Et si aliqua offensa alicui predictorum fieret in posse vel districtu Astensi vel aliquo prescriptorum locorum quod postquam cognitum et pronunciatum fuerit per arbitros Supradictos, infra mensem proximum fiat restitutio condigna de ipsa offensione et damno si facta et reducta fuerit per aliquem vel aliquos de Aste vel de predictis locis, Et si aliquis predictorum locorum in quo sive per quem facta ipsa offensio vel reducta esset in ipso loco, ipsam restitutionem facere Noluerit, vel non fecerit infra dictum terminum, tunc dictus dominus Rex et sui possint ipsum locum guerriare et dissipare sine eo quod ipsum aliquo modo acquirere vel sibi subicere possint, et ipsum locum comune Astense guerriare teneatur simul cum dicto domino Rege et suis quousque dictam restitutionem fecerit, Et insuper ex tunc comune Astense teneatur dictum locum seu malefactores qui dictam emendam facere Nollent ut superius est dictum banire banno maleficij et treugue rupte et pro bannitis tenere donec predictam emendam fecissent, et bona ipsorum et ipsos capere et captos tenere si reperirentur in posse Astensium usque ad integram satisfactionem damni dati, Si vero dicta offensio vel offensiones facte fuerint in predicto posse Astensium vel in posse aliquorum predictorum locorum, non tamen facte sint vel reducte per aliquem vel aliquos de Ast vel de ipsis locis vel aliquo eorum vel reducta in Ast vel posse, vel in aliquo locorum predictorum tunc et in illo casu circa dictam emendam et restitutionem faciendam et fieri faciendam comune Ast tantum teneatur facere pro hjs quibus facte essent dicte offensiones, quantum faceret et facere tenetur pro aliquo cive civitatis Astensis et non ultra propterea teneatur, et nichilominus teneatur predictos malefactores bannire banno maleficij et robarie et prodictionis et contra illos procedere in puniendo et aliter prout contra bannitos et malefactores eiusdem condictionis alia de causa comune Astense facere consuevit et tenetur, Et hoc habeat locum contra malefactores qui non sunt confines districtui communis Astensis vel non habitant in terris confinibus districtui comunis Astensis, In illis vero qui sunt vel erunt vel habitant seu habitabunt in predictis terris confinibus tempore maleficij per eos commissi servetur illud totum quod in alijs malefactoribus supradictis dictum est et hoc plus quod comune Astense teneatur requirere dominos quorum fuerint predicti malefactores et comunia locorum unde fuerint vel in quibus habitabunt ut predictos malefactores compellant cum effectu ad restitutionem damnorum datorum, quod si facere recusaverint dicti domini vel comunia predicta, tunc comune Astense dictos dominos seu comunia locorum in rebus et personis ipsorum infra districtum tantum Ast pignorare et capere teneatur usque ad integram satisfactionem damnorum datorum, Et econverso fiat et observetur in civibus Astensibus et omnibus et singulis positis in treugua pro ipso comuni, quod ita possint ire et redire et stare libere et secure per terram ubique dominorum Regis et principis eius filij in personis et rebus durante dicta treugua et contramando, et de restitutione et ad restitutionem teneatur dictus dominus Rex eis, sicut ipsi tenentur eidem et suis prout superius continetur, Et quod dictum est de guerreandis positis in treugua pro parte comunis per ipsum comune Astense cum domino Rege locum habeat tantum ipsis stantibus cum comuni Astensi in eo statu quo nunc sunt vel meliori pro comuni Astensi et non aliter. Quod quidem intelligatur cum hac dilatione que talis est quod si aliquis de dictis locis positis in treugua pro parte Astensium mutaret segnoriam seu societatem contraheret cum aliquo alio preter comune Astense, ipsos Astenses et

amiciciam eorum relinquendo, quod tunc comune Ast non teneatur ad emendam damnorum seu offensionum que ab inde in antea per ipsum locum seu aliquem de dicto loco darentur, nec pro predictis damnis seu offensionibus ipsum locum guerreare nisi pro damnis et offensionibus datis ante predictam mutationem, Et quod comune Astense teneatur denunciare senescallo provincie seu eius locumtenenti locum illum seu loca illa, qui vel que dictam condictionem mutassent, Et quod ab inde in antea pro ipsis in aliquo non teneatur, Et si contigerit contramandum fieri pro parte comunis Astensis de predicta treugua quod possit fieri et fiat domino Regi vel Senescallo provincie, et facto dicto contramando dicto Senescallo, per inde valeat, ac si factum esset dicto domino Regi, Et pro parte dicti domini Regis fiat et possit fieri contramandum potestati Astensi, et per inde valeat ac si factum esset comuni Astensi. Item proditores seu banniti domini Regis infrascripti non receptentur in terris vel districtu Astensium seu illorum quos ipsi Astenses ponunt in treugua, Et si qui decetero fierent proditores vel banniti dicti domini Regis, qui essent de terra ipsius quod habeat locum infra mensem postquam denunciatum esset potestati Astensi vel potestati illius loci in quo habitarent. Idem in omnibus et per omnia observetur de proditoribus et bannitis comunis Astensis et aliorum locorum positorum in treugua pro parte Astensium, per partem domini Regis, Exceptis dominis et hominibus qui morantur in Morocio et exceptis Marchionibus Busche, Salvo quod dicti Marchiones non possint venire in terra Astensium vel amicorum. Proditores autem seu banniti domini Regis predicti sunt isti. Item quod inimicis domini Regis per partem Astensium non prestetur auxilium vel favor in victualibus vel alijs contra partem Regiam, Et idem econverso observetur per partem domini Regis de Inimicis comunis Astensis. Item quod si Marchio Cravesane voluerit esse in treugua pro parte domini Regis, ponatur in dicta treugua pro dicta parte infra duos menses. Item quod si illi qui ponuntur pro parte dictorum Astensium vellent subiectionem facere parti Regie contra inimicos regios, hoc libere facere possint, excepto quam contra comune Astense et amicos. Item quod loca illa que ponuntur in treugua pro parte Astensium excepta civitate Astensi, et que ponuntur in treugua pro parte Regia in valle stuyrana et in alijs locis pedemontis, seu a collo argènterie versus Ast nomen proditorum sibi imponant si dictas treuguas non servaverint. Item quod omnia predicta et singula locum habeant tantum durante treugua predicta et contramando et non ultra, Et quod fiat ratificatio per ipsum dominum Regem per suas patentes literas, Et de predictis infra octo menses proximos. Item quod si aliqua offensio vel damnum aliquod fieret vel daretur a vigesimosecundo die mensis presentis februarij in antea per ipsas partes vel per aliquem ipsarum partium debeat per partem a qua offensio daretur seu damnum emendari. Item si aliqua questio occasione dicte treugue vel occasione aliqua offensionum factarum vel damnorum datorum mota fuerit inter dictas partes vel inter aliquos ipsarum partium arbitri infrascripti vel duo ex ipsis absente tercio postquam requisitus esset, possint cognoscere et difinire si concordes fuerint, infra duos menses postquam questio mota fuerit, Et post cognitionem executio fiat infra mensem, Et predicta cognitio fiat absque strepitu iudiciorum, ac etiam ordine iuris minime servato. Item quod si partes predicte concordarent comuni voluntate de aliquibus capitulis addendis vel diminuendis vel mutandis quod illi qui iurabunt et firmabunt

dictam treuguam, et illi pro quibus iurabunt et firmabunt teneantur de additis vel mutatis sicut et de hjs que expressa sunt in dictis treugua et pactis, et de diminutis absolvantur. Item quod si aliqui sunt carcerati hinc inde quod possint se redimere iusta redemptione, Et si de redemptione esset discordia quod super hoc stetur cognitioni arbitrorum. Item si aliqua dubietas ambiguitas seu obscuritas oriretur in predictis capitulis seu super ipsis vel aliquo predictorum, quod illa possit et debeat declarari per arbitros et ipsorum declarationi stetur. Item arbitri sunt isti videlicet dominus Guillelmus de Populo miles legum professor pro parte curie, dominus Andreas Garetus doctor legum civis Astensis pro parte Astensium, Et venerabilis in Christo pater dominus Archiepiscopus Ianue pro tercio comuniter electus per partes predictas, Et predicti arbitri vel duo ex ipsis possint eligere locum vel loca in quibus stare voluerint pro cognoscendis questionibus et difiniendis. Quod si de loco concordare non possent debeant predictas questiones cognoscere et difinire in loco sancti Romolj vel in civitate Albingane. Item quod consiliarij consilij generalis civitatis Astensis seu maior pars dicti consilij, quilibet ipsorum et consiliarij communium suprascriptorum positorum in treugua pro parte Astensium, quilibet consiliariorum per se ratificent et iurent predicta omnia attendere et observare et non contravenire vel maior pars dictorum consiliariorum infra tercium diem postquam inde fuerint requisiti pro parte curie. Item quod si cambia pignorationes concessiones seu represalie essent date seu reperirentur per partes predictas seu aliquam ipsarum, quod cessent durante treugua et contramando, nec illi qui eas habent de hjs uti possint infra dictum tempus. Item quod comune Ast infra duos menses teneatur declarare et specificare loca illa seu terras que vel quas Vasalli per ipsorum partem superius nominati seu alij quos infra dictum tempus nominabunt, tenent pro dicto comuni, et econverso teneatur pars curie declarare et specificare infra predictum tempus proditores et bannitos dicti domini Regis qui modo sunt, de futuris intelligatur prout superius dictum est, et hoc intelligatur de proditoribus et bannitis terre domini Regis videlicet de Comitatibus Provincie et Folcalcherij et Vigintimilie et regni Sicilie. Que quidem omnia et singula suprascripta predicte partes nominibus quibus supra sibi adinvicem promiserunt per solemnem stipulationem attendere complere et observare et non contravenire aliqua ratione per sese vel per alium aut alios aliqua iuris vel facti subtilitate sub pena mille et quingintarum Marcharum argenti obligando inde predictus dominus Senescallus nomine domini Regis predictis ambaxiatoribus et sindicis auctoribus et procuratoribus et michi notario infrascripto stipulanti nomine dicti comunis et omnium aliorum positorum in treugua omnia bona dicti domini Regis, Et versa vice predicti ambaxiatores sindici auctores et procuratores predicto domino Senescallo nomine dicti domini Regis et michi notario recipienti nomine dicti domini Regis et domini principis et positorum in treugua pro parte Regia obligando omnia bona predicti comunis Astensis, que pena totiens committatur in singulis capitulis, quotiens contrafactum fuerit, et commissa dicta pena semel vel pluries et exacta vel non, nichilominus dicti arbitri posse habeant, et valeat et teneat quod per ipsos dictum et pronunciatum fuerit ut supra continetur. Et dicta treugua semper remaneat in sua firmitate. Predicta autem iuraverunt attendere pro parte curie predicti domini Seneschallus Judex maior, Ysnardus de Ponteves, Ysnardus de Olerijs, Restangnus

Gantellinj, magister Guido et dominus Guillelmus de populo, Pro parte vero Astensium predicti domini Baudonus, Bonefacius Baudimentus et Franchonus, de quibus omnibus et singulis preceperunt fieri unum instrumentum et plura eiusdem tenoris per me Franchonum palidum notarium et Bertrandum Mirache notarium domini Senescallj. Et ut predicta omnia et singula plenum sorciantur effectum de Seneschalchia predicti domini Johannis Ponteves literas dicti domini Regis ipsius sigillj munimine roboratas fidem fecit, quarum literarum tenor talis est. Karolus dei gratia Rex Jerusalem et Sicilie ducatus Apulie et principatus Capue, Alme Urbis senator, Andagavie, Provincie, Folcalcherij et Tornodorij Comes, per sanctam Romanam ecclesiam in Tuscia Vicarius generalis, Johanni de Burlacio Seniori militi, dilecto consiliario, familiari et fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem, de prudentia et fidelitate vestra plenam ab experto fiduciam obtinentes vos Senescallum nostrum Provincie Galterio de Alneto milite ad alia nostra servicia ex inde revocato presentium tenore statuimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis, Volentes et fidelitati vestre mandantes, quatenus statim receptis presentibus vos ad partes illas personaliter conferentes, sic huiusmodi Senescalie officium ad honorem et fidelitatem nostram et heredum nostrorum fideliter et prudenter prout de vobis confidimus exercere curetis quod possitis ex inde merite commendari, Nos enim penas et banna que contra inobedientes rite tuleritis rata habebimus atque firma. Date apud turrim sancti Arasmi prope Capuam per magistrum Guillelmum de Faruvilla prepositum ecclesie sancti Amati duacensis, Regnorum Jerusalem et Sicilie vicecancellarium Anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, die vigesimo Aprilis sexte Indictionis, Regnorum nostrorum Jerusalem anno secundo, Sicilie vero terciodecimo. Et versa vice predicti sindici auctores seu procuratores de ipsorum sindicatu actoria seu procuratione fidem fecerunt per quoddam publicum instrumentum factum et scriptum per manum Franzonj pallidj notarj publici comunis Astensis, cuius instrumenti tenor talis est. Anno domini Millesimo ducentesimo octuagesimo tercio Indictione undecima die iovis vigesimo mensis Januarij presentia testium infrascriptorum, dominus Rogerius de Curte potestas Astensis voluntate consilio et consensu utriusque credentie et Rectorum societatum per campanam et nuncios congregatorum more solito, et ipsi credendarij et Rectores auctoritate dicti domini potestatis, In quo quidem consilio plus duabus partibus credendariorum comunis predicti fecerunt constituerunt et ordinaverunt dominos Baudonum de Sancto iohanne et Bonefacium de Solario cives Astenses presentes et recipientes eorum et dicti comunis certos ambaxiatores sindicos actores et procuratores et quicquid melius esse possunt ad tractandum componendum firmandum ordinandum faciendum et iurandum si opus fuerit in animas ipsorum credendariorum et rectorum nomine dicti comunis treuguas inter dominum Johannem de Burlacio militem Seneschallum provincie et folcalcherij pro Illustri domino Rege Sicilie nomine et vice dicti domini Regis ex una parte et comune Astense et amicos et juratos ipsius comunis ex altera, Et ad omnia alia facenda ordinanda tractanda et firmanda, que in predictis et circa predicta vel aliquo predictorum fuerint necessaria et occurrerint facienda, dantes et concedentes dictus dominus potestas et dicti credendarij seu consiliarij et rectores auctoritate dicti domini potestatis nomine et vice comunis Astensis eisdem ambaxiatoribus sindicis et procuratoribus in omnibus et

singulis supradictis liberam et generalem administrationem et facultatem, Promittentes insuper nomine et vice comunis Astensis michi notario infrascripto stipulanti nomine et vice dicti domini Seneschalli et nomine et vice dicti domini Regis et omnium et singulorum quorum interest vel intererit seu interesse poterit sese ratum et firmum perpetuo habituros et non contravenire quicquid per predictos ambaxiatores sindicos et procuratores factum tractatum et ordinatum firmatum et compositum fuerit nominibus quibus supra in predictis vel circha predicta vel in aliquo predictorum sub ypoteca et obbligatione omnium bonorum dicti comunis que pro inde michi notario infrascripto predicto nomine recipienti pignori obligaverunt. Actum Ast super voltis de dom, testes Johannes Ficherius, Alexander Malbechus, Petrus Morandus, Obertinus Sarachus et Rapacius nuncius comunis, Et ego Franconus Palidus notarius pallatinus hjs interfui et precepto dicti domini potestatis sic scripsi. Actum Aquis in Provincia in domo domini Bellengerij Monachi quam inabitat dictus dominus Seneschallus, presentibus domino Fulchone Arduyno milite Baiullo Aquensi, domino Raymondo scriptore de Aquis, domino Bertrando Beroardo Judice Aquensi, Berrardo de Brayda, domino Guillelmo de Menilio Raynaldj, domino Francischo de Brayda et Roberto de Luxargis testibus rogatis, Et ego Symon Sarachus pallatinus prescriptum instrumentum abreviatum per Franchonum Pallidum notarium voluntate et precepto ipsius extraxj de suo Abreviario et me subscripsj.

Et ego Franchonus Pallidus notarius palatinus predictum instrumentum tradidj et dictus Symon precepto mei scripsit.

CLXXIX. De Alexandria.

(Hic picta est urbs. Vid. Tab. VIII, n. 4).

982. *De promissione Astensibus facta per Ambaxiatores comunis Mediolani de faciendo quod Alexandrinj attendent et observabunt conventiones et pacta nuper inter ipsos Alexandrinos et dictos Astenses cellebratas etc.* 1203. 18 Septembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo tercio Indictione undecima die martis quartodecimo kallendas octubris, dominus Obizo Amiconus consul et ambaxiator communis Mediolani ut ipse confitebatur et dominus lampognanus Marcellinus et dominus Guido de Puteobonello et dominus Guyotus de Merate omnes Ambaxiatores Mediolani ut ipsi confitebantur promiserunt vice et nomine predicti communis Mediolani domino Girardo Manarie potestati Astensi nomine et vice dicti communis recipienti, quod ipsi attendi facient a potestate communis Alexandrie et ab ipso communi et ab hominibus Alexandrie omnia capitula que continentur inferius secundum quod fuerunt in concordia quinque inquisitores ex parte Astensium et quatuor ex parte Alexandrinorum habentes ipsi ambaxiatores pro firmo et pro constanti ipsos novem fuisse in concordia de omnibus capitulis secundum quod scripta sunt inferius, exceptis de illis de quibus compromissum est in communi Mediolani, Et excepto quod commune Astense non teneatur dare pro facto Masij nisi libras DCC papienses. Capitula autem sunt hec. Hoc est pactum et conventum inquisitum et factum inter homines de Aste et de Alba ex una parte, et homines de Alexandria ex altera, de citaynatico societate iuramentis et liga factis et faciendis inter comune de Ast et de Alba ex una parte, et

comune Alexandrie ex altera. Imprimis quod homines de Aste et de Alba ex una parte sunt cives Alexandrie, Et homines de Alexandria sunt cives Astenses et Albenses, ad melius quod citaynaticum societatis et juramenta et liga inducant maiorem amorem et amiciciam inter utrumque commune scilicet inter comune Astense et Albense ab una parte et pro uno reputato, et comune Alexandrie reputato pro alio, secundum quod sex sapientes utriusque civitatis scilicet sex ex parte Aste et Albe electi per comune Alexandrie pro una parte et corpore, et alij sex de Alexandria electi per comune Astense ordinaverint. Item illud totum quod homines de Alexandria et homines de Aste habent et tenent nomine emptionis vel nomine donationis vel aliquo modo in Caneglis in Calamandranna in lanerio et in Vigintibus sive consortibus et in territorijs ipsorum castrorum sit et remaneat salvum illi civitati et communi que predicta emit vel nomine emptionis vel donationis vel aliquo alio modo tenet, vel quod in predictis castris sive territorijs et consortibus eorumdem communium nomine tenentur, Et salvo acquisto quod homines de Aste acquisiverunt a domino Ottone de Careto. Item omnia alia que possent acquiri in supradictis castris sive consortibus et territorijs predictorum castrorum per comune utriusque civitatis vel per comune alterius, totum sit commune utriusque civitatis, Ita quod si comune unius civitatis solveret precium emptionis vel acquisitionis quod comune alterius civitatis medietatem ipsius precij ei restituere teneatur. Item tali modo quod homines et commune de Alexandria teneantur reddere hominibus et communi de Aste instrumenta et jura que habent de citaynatico sive sacramentis factis communi et hominibus Alexandrie a dominis de Caneglis Calamandrane lanerij, Viginti et Calocij et Aglani et Consortibus antiquitus et ab hominibus ipsorum dominorum, que fecissent sacramenta et citaynaticum predictum. Et si in illis cartis vel instrumentis contineretur aliqua concordia facta communi Alexandrie vel aliquis alius contractus ab aliquo alio castellano vel homine vel aliquo communi loci vel ab aliqua alia universitate tunc instrumenta illa debent cassari et irritari quantum ad dominos de Canellis, Callamandrane lanerij Calocij et Aglani ad voluntatem hominum et communis Astensis, Et in alijs firma permaneant predicta instrumenta Item homines de Aste non possint aliquid acquirere versus Spignum nec versus Aquis, nec versus Episcopatum Aquensem nec a poderio Calamandrane versus Aquis nec versus Episcopatum Aquensem. Item comune et homines de Alexandria non possint aliquid acquirere in Cossano nec in Sanctostephano nec inde superius, nec in Quartaricio Curtismillie specialiter, quod Quartaricium non est acquisitum a communi Astensi. Item quod homines et commune de Alba non possint nec debeant aliquo modo aliquid acquirere a poderio sancti Stephani versus Sagonam per rectum inferius, versus Aquis nec versus Episcopatum Aquensem nec versus Spignum, Salvo toto eo quod ibi acquisivit hinc retro, vel alius pro comuni Astensi ibi tenet. Item quod homines et comune Alexandrie dimittant et relinquant hominibus et communi Astensi omne jus quod habent et habere videntur in Castagnolis et in comitatu laureti. Item quod homines Alexandrie teneantur facere fieri a Jacobo lanzavetula, pacem finem refutationem que comuni Astensi de omni jure quod habere posset vel acquireret in Bloneis ipse vel alius pro eo, et facere hoc fieri ab eo, sic quod illud jus comune de Aste melius tenere posset, et hoc secundum quod unus Judex de Aste ordinaverit. Item quod homines et comune de Alexandria non possint

aliquid acquirere in Montemangno, nec In Viarisio nec ex inde superius, Salvo eo quod sibi dedit Arnaldus Zabaudanus. Item quod comune et homines de Aste non possint aliquid acquirere in Altavilla nec inde inferius, Salvo eo quod ibi habent. Item commune et homines de Alexandria dent et vendant communi de Aste omne jus quod habent tam commune quam aliqua singularis persona in Maxio secundum quod sapientes de Aste ordinaverint, quod comune de Aste melius tenere possit, Salvo eo quod commune Alexandrie in Maxio habeat contra omnes personas, preter quam contra comune Astense, pacem guerram itinera exercitus et suas libras decem, et quod homines de Alexandria ibi non dent pedagium. Et hoc modo quod comune de Alexandria habeat et recipiat a communi de Aste pro predicta venditione de Masio libras DCC papienses, Ita quod Jacobus lanzavetula ex hjs denarijs habeat libras Centum pro ficto de Bloneis, Et ita quod comune Alexandrie non possit aliquid plus acquirere in Masio. Item si commune de Aste moveret vel inciperet guerram contra comune Alexandrie, quod comune de Aste non possit nec debeat guerrezare commune Alexandrie de Masio. Item si comune et homines Alexandrie moverent sive inciperent guerram comuni Astensi et hominibus de Aste quod tunc ipsi comune et homines de Ast possent et deberent facere guerram contra comune Alexandrie de Masio, et facere de Masio sicut de sua re propria. Item quod comune et homines Astenses non possint acquirere a poderio lanerij inferius, nec comune et homines Alexandrie a poderio lanerij Supra aliquid possint acquirere, Salvo eo quod supra in hoc scripto continetur. Item quod comune et homines Alexandrie non possint aliquid acquirere a Corticellis supra nec In Montebersario nec in Malamorte nec in Aglano nec in consortitu Aglani. Item neutrum comune ipsarum civitatum possit facere aliquam concordiam societatem citaynaticum vel juram cum aliqua civitate Burgo Villa vel castro, Marchione vel comite vel cum aliqua universitate sine voluntate et consensu alterius communis, Excepto cum Januensibus et excepto homine de Cherio, Et excepto quod homines et comune de Aste possint se concordare cum hominibus Mediolani si vellent, Ita quod homines de Alexandria non possint hoc defendere. Item si accideret quod homines de Alexandria guerram haberent cum domino Ottone de Careto et domino Ugone de Careto pro facto Montisclari et offenderent supra terram, quam ipsi dominus Otto, et dominus Ugo tenuerint quod homines de Aste non propter hoc possint dicere nec dicerent homines de Alexandria rupisse pacta et conventiones habita et habitas inter utrunque comune, nec comune de Aste posset facere guerram comuni Alexandrie propter hoc. Item quod potestas et consules Astenses et potestas et consules Alexandrie teneantur eligere anuatim usque ad duos sapientes, qui sapientes debeant se concordare inter utrunque comune si aliqua discordia, quod absit, oriretur sic faciendo quod comune utriusque civitatis foret contentum illa concordia, quam dicti quatuor inde dicerent seu ordinarent et pronunciarent. Et hec omnia promiserunt ut supra attendere et attendi facere et observare et facere observari ab hominibus et comuni Alexandrie in omnibus et per omnia sicut in predictis capitulis continetur, et sicut scripta sunt, nullo habito extrinseco intellectu precise et sine aliquo tenore. Renunciando omni iuri et exceptioni quo et qua se possent vel vellent tueri, Et specialiter ne possint dicere se sine causa fuisse obligatos. Hec sunt capitula, de quibus comune Astense possuit se in comuni Mediolani, scilicet de betefredo de novo hedificato ab ipso Sivoleto in

Montefredo vidente et cogitante comuni Mediolani in dicto betefredo et super dicto betefredo, quod eidem comuni Mediolani fuerit videndum pro unaquaque parte legaliter per rationem, que cognitio fieri debeat usque ad sanctum Martinum. Item quod treugua prorogetur inter Sivoletum et partem suam, et Ruffinum Crozam et partem suam usque ad xv dies post sanctum Michaelem proximum. Item quod si aliquod laborerium foret factum a parte Sivoleti vel a parte Rufinj Croze ab eo tempore infra, quo treugua posita fuit inter ipsos per Astenses et Alexandrinos, Illud laborerium penitus destruatur nec decetero aliquod laborerium de novo fieri debeat ab aliqua partium dum treugua inter illos durabit. Item commune de Aste posuit se in communi Mediolani de contentione infrascripta que talis est. Petit enim commune Astense quod si ab Alexandrinis guerra inciperetur communi Astensi, in isto casu, comune Astense posset guerrare et guerram facere comuni Alexandrie de Maxio, dictum vero comune Alexandrie dicit et petit quod undecumque guerra inciperetur sive a communi Alexandrie sive a communi Astensi inter utrunque commune, dictum comune Astense non possit nec debeat guerreare cum Alexandrinis de Maxio, Nec comune Alexandrie possit nec debeat guerreare cum comuni Astensi de Maxio similiter. Item si accideret quod homines Alexandrie haberent guerram cum domino Ottone de Careto, et cum domino Ugone de Careto pro facto Montisclari et offenderent supra terram, quam ipse Dominus Otto et dominus Ugo tenent, quod homines de Aste non propter hoc dicere possent nec dicerent homines de Alexandria rupisse pacta et conventiones habita et habitas inter utrunque commune, nec commune de Aste posset facere guerram communi Alexandrie propter hoc. Actum fuit hoc Aste in canonica comunis interfuerunt testes, dominus Leonardus vice comes Albensis potestas, Rogerius Cayrosius, Jacobus Ginorius notarius, Paganus Vincimala notarius, Guillelmus Cerutus, Guillelmus de Valle.

Philippus durchus notarius Scripsit.

983. *De cassatione cambiorum per comune Alexandrie concessorum contra Astenses.* 1220. 3 Decembris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vicesimo Indictione octava die iovis tercio intrantis decembris, In Alexandria in ecclesia maiori sancti petri in pleno consilio de Campana voce preconum simul collecto, dominus Rufinus de Mandello Alexandrie potestas voluntate et consensu istius consilij cassavit et cassa et inutilia atque nullius valoris pronunciavit et fecit omnia instrumenta sive cartas, quas, Raynerius Tebaldus et Symon de Cisino et Bellonus campsor habent de licencia sibi data a consilio sive a communi vel ab aliquo Rectore Alexandrie aliquo modo cambiendi seu capiendi de rebus seu avere hominum de Aste vel eius dictrictu. Quia cum esset ordinatum a consilio civitatis Alexandrie campanna et voce preconum collecto, et preceptum esset eis pluries per dictum dominum Rufinum potestatem ut dictas cartas et instrumenta redderent per sacramentum et bannum, ea reddere recusarunt omnino. Et inde dictus dominus Rufinus potestas com universo consilio hanc cartam fieri rogavit ut supra. Interfuerunt testes rogati, Maynfredus Tebaldonus, Otto de Sanctosyllo Anselmus, plutus, Prodomus Saltarius.

Et Armanus notarius cartam scripsit.

984. *Quomodo dominus Guillelmus Cacayranus dixit domino potestati Mediolani, comune Ast non teneri observare conventiones factas inter Astenses et Alexandrinos, nisi per Alexandrinos similiter observentur.* 1223. 25 Octobris.

Anno domini Millesimo ducentesimo vicesimotercio, Indictione XI^a^ die mercurij octavo kallendas novembris, presentia infrascriptorum testium, Cum dominus Pax de Bochacio potestas Mediolani peteret nomine communis Mediolani a domino Girardo Manaria potestate Astensi ut ipse faceret iurare credendarios civitatis Astensis stare mandatis ipsius nomine comunis Mediolani de facto concordie Alexandrie, Ast et Albe, dominus Guillelmus Cacayranus civis Astensis precepto et voluntate predicti domini Girardi Manarie potestatis Astensis nomine communis Astensis dixit predicto domino paci potestati Mediolani, quod ea intentione et eo intellectu habito a se et a comuni Astensi et a predicto domino pace, quod ea que continentur in istrumento facto per Philippum notarium, de promissione quam fecerunt ambaxiatores Mediolani et consul Mediolani, silicet dominus Obizo Amichonus et dominus lampugnanus Marcellinus, dominus Guido de puteobonello et dominus Guiotus de Merate in omnibus sicut in illo instrumento continetur, attenderentur et observarentur comuni Astensi, dicens ipse dominus Guillelmus nomine comunis Astensis quod aliter non putabat comune Astense nec homines de Aste se teneri nisi illa que continentur in predicto istrumento comuni Astensi attenderentur et observarentur, Et quod aliter teneri Nolebant, Qui dominus Pax respondit quod eundem habebat intellectum, et quod volebat et faceret ea que continentur in predicto instrumento observari, Et ea que predicti ambaxiatores promiserunt comuni Astensi, promiserunt eius et credendariorum Mediolani voluntate. Actum Aste in domo careociorum. Testes dominus leonardus, vicecomes potestas Albe, dominus Rogerius Calloffus eius miles, Otto Rappa, Guillelmus Ceratus et plures alij.

Jacobus Belserius notarius scripsit.

985. *De sententia lata per Judices potestatis Janue vice et nomine comunis Janue arbitri et arbitratoris inter comune Ast ex una parte, et comune Alexandrie ex altera in qua condemnaverunt dictum comune Alexandrie ad restituendum comuni Ast castrum et villam lanerij sine aliqua ipsius deformatione.* 1231. 16 Decembris.

In nomine domini amen. Nos Guido Capitaneus et Trosellinus de Trosellis Judices et Vicarij domini Ugolinj Rubei Januensium potestatis absentis una cum consiliarijs et quatuor hominibus infrascriptis simul congregatis per cornu et campanam more solito in pleno consilio et ipsum consilium nomine et vice communis Janue et pro ipso communi arbitro arbitratore et amicabili compositore electo de omnibus questionibus contentionibus et controversijs ac litibus que vertuntur et verti possent inter comune Alexandrie et comune de Aste et econverso et sindicos ipsarum universitatum, data ipsi communi licencia et larga potestate dicendi pronunciandi cedinandi et sentenciandi ac statuendi inter ipsas universitates et communitates super predictis omnibus et singulis iure vel acordio iudiciario ordine vel non iudiciario una vice vel

pluribus simul vel separatim, die feriato et non feriato, presentibus partibus et absentibus vel altera tantum presente vel absente prout ipsi communi Janue pro bono pacis tranquilitatis et concordie dictarum partium visum esset, Remittentes ipse universitates sindico Janue recipienti nomine communis Janue omnem austeritatem legum et ordinem iuris sicut hec omnia continentur in instrumento inde facto per manum Nicholosij de Becharia notarij sacri pallatij imperij currente MCCXXX°, die XXV^a^ novembris, Pro bono pacis et concordie dictarum Universitatum, visa petitione quam faciebat comune Aste nomine ipsius communis petendo restitutionem sibi fieri a sindico et communi Alexandrie castri et ville lanerij, Cuius petitionis tenor talis est. Item petit dictum comune Ast a communi Alexandrie castrum et villam lanerij cum omnibus pertinentijs sibi restitui, quia ad ipsum pertinet iure dominij vel quasi. Visisque instrumentis hinc inde productis summatim et aliqualiter, Sic dicimus ordinamus statuimus et arbitramur pronunciamus et precipimus, quod commune Alexandrie restituat et restituere debeat et sindicus ipsius communis pro ipso comuni similiter restituere debeat communi Ast sive syndico ipsius communis et pro ipso comuni castrum et villam lanerij sine deformatione et destructione aliqua castri et ville usque ad XV. dies, Condemnantes phillippum Cirivellum sindicum communis Alexandrie pro ipso comuni, et ipsum comune Alexandrie ad restitutionem predicti castri et ville faciendam communi Ast sive sindico ipsius communis pro ipso comuni usque ad dictum terminum. Et ita precipimus pro bono pacis et concordie observari, Salvis tamen preceptis ordinationibus et pronunciationibus omnibus que et quas commune Janue faciet simul vel separatim inter ipsas universitates et sindicos earum in alijs petitionibus et pro alijs. Nomina consiliariorum et hominum per campanam congregatorum ut supra sunt hec, Obertus Aurie, Obizo Tartato, Bonefacius de Volba, Guillelmus Spinola bos, Nicola de Ghisulfo, Jacobus Catalusius, Porchetus, Ottobonus de Camilla, lanfranchus de Mari, Jacobus pignolus, lanfrancus Bachemus, Ansaldus Galleta, Nicholosus Malerba, Guillelmus Mallonus, henricus Contardus, Jngo de Volta, Carbonus, Wilelmi Malocelli, Ansaldus Embronus, henricus Nepitella, Fulchinus de castro, Obertus de Cruce, Jacobus de Ghisulfo, Nichola de Rodulfo, Ansaldus Bellotus, Thaybem, Jngo de Grimaldo, Richobonus Judex, Petrus Venter, Ugo de Marino, Obertus de Volta, luchetus de Grimaldo, perotus Ansaldus Malfante, Grimaldus de Grimaldo, lanfrancus de Mari, Symon Frexonus, Johannes de Carmadino, detesalve Cassicius, Guillelmus drogus, Guillelmus Guercius, Guillelmus Oberti Spinole, Guillelmus de domoculta, Bonefacius Embriatus, Nicholosius de Grimaldo, lanfranchus dentutus, Raymondus de Montilio, Guillelmus Cicada, Carbonus Malocellus, Vulponinus, Merlo Buferius, henricus de Nigro, Silvester de Grossis, Guillelmus Baraterius, Guillelmus Recha, Porcellus, Guillelmus Albricus, Guillelmus de Roderico, Bayalardus de pallo, Bonefacius pancanus, Guillelmus Fornarius, Ogerius Falconus, Anselmus Guelfus, Obertus Ferarius, Philippus lecautpt, Vasallus domusculte, Jngo Tornellus maior, Archantus, Beroninus, Amicus laboratus, Baldizonus Fornarius, Martinus de Burgaro, Otto de Nigro, Jacobus Boyachus, henricus de Nigro, Botacius Aurie, lomellinus, Paschalis Cantellus, lanfranchus porcus, Obertus Ususmaris, Nicholosius Spinola, Fredericus Grillus, Jordanus Richius, Guillelmus Embriatus, Ugo Guillelmi Embriaci, Jacobus Spinola, Facius Turgius, Bauduynus Scotus, Bertholomeus de Volta, Symon Tornellus, Jacharia de

Castro, Jdo locarius, Guillelmus de Vivaldo, Ansaldus Ceba, Ugo lamellinus, Obertus Gariofolus, Anselmus Buferius, Guillelmus picius, henricus Baraterius, Symon Picamilia, Robaldus Reste, Johannes Calvus, lanfranchus Malocellus, Ottobonus pignolus, Guillelmus Buscha, Jacobus Malonus, Otto ciliusblancus, Guillelmus de Mari, Ansaldus, Otto de pinascha, Jugo Tornellus, Robaldus Ayiomus, Ansaldus Stralia, Guillelmus parj agnonus, Symon de Camilla et Thomas Spinola. Acta Janue in domo Fornariorum, qua dicti Judices et Vicarij curiam regunt Millesimo ducentesimo tricesimoprimo Indictione quarta, XVI^a die decembris inter vesperas et completorium, presente petro Cirimello sindico communis Alexandrie, et presente Oberto Cassano syndico communis Ast, Et presentibus testibus convocatis fratre Guillelmo de Vultabio ministro hospitalis sancti Johannis de Janua, henrico Bonovicino de Mediolano, consule in Janua de versus civitatem, Bergondio pugno de Alba consule in Janua medianorum, Alberto nozardi de pontremulo consule in Janua de versus Burgum, Arthono de Tongo consule in Janua foritanorum, Bonovasallo Calige palij et Oberto de langascho scribis communis.

Ego Ricobonus Coxanus notarius de voluntate et iussu supradictorum vicariorum scripsi.

986. *De promissione facta comuni Ast per dominum Jacobum Bricium cum iuramento de guerra per eum facienda de suis fortijs et hominibus comuni Albe ad suum posse etc.* 1228. 14 Decembris [1].

Anno domini Millesimo ducentesimo vicesimo octavo, Indictione prima die iovis quartodecimo intrantis decembris, Coram testibus infrascriptis, dominus Jacobus Bricius promisit domino percivalj de Auria potestati Astensi nomine comunis Astensis stipulanti, et supra [2] dei evangelia iuravit ab hac die inantea facere vivam guerram ad suum posse, et de suis forcijs et hominibus comuni Alexandrie et comuni Albe et diviso et hominibus eorum terre, et in personis et in [3] hominibus eos offendere et stratas et caminos et mercata et universam mercandiam prohibere, nec ea sibi dare nec dari permittere quod possit prohibere, et quod non faciet cum eis nec cum aliquo eorum pacem vel treuguam [4] vel guerram recreutam vel possam aliquam vel pactum aut concordiam sub aliquo ingenio sine consilio et voluntate comunis Astensis sibi dato voluntate maioris partis credentie per campanam congregate. Actum in Savilliano [5] in domo Aldi de Alba, Testes dominus Guillelmus pilosus, Rufinus Capa, dominus Ubertus de Gorzanno, Ubertus de Cazalupa [6], Albertus Crivellus [7], Raynerius de Troya, Millonus Turrellus et Guillelmus de donnamandra. Eodem die in platea sancti Andree de Saviglano presentibus testibus Anselmo Musso, potestate Savilliani et musso eius filio idem promisit et iuravit eidem domino Percivalli [8] nomine communis stipulanti Maynfredus Morfinus in omnibus et per omnia.

Et Mussus Boviculus notarius [9] scripsit [10].

[1] Documentum hoc adhuc exstat in Fragm. Taur. Cod. Oger. Alfer. fol. CCCVI ex quo, paucis omissis, primum edidit Moriondus *Monum. Aquen.* cit. pars. II, col. 425, N. 183. Idem postea ex ipso *Fragm.* transcriptum in lucem prodiit in *Monum. Hist. Patr.* Chart. II, col. 1360. Fragmenti et Mon. H. P. lectiones varias hic afferemus. — [2] Mon. *super.* — [3] Fragm. Deest *in.* — [4] Mon. *treguam.* — [5] Fragm. *Saviglano.* — [6] Id. *caialuppa.* — [7] Mon. *cervellus.* — [8] Fragm. *persavalli.* — [9] Id. Deest *notarius.* — [10] Id. Add. *cartam. Et est in libro veteri in folio* XV.

987. *Quomodo quidam sindici comunis Ast protestati fuerunt in presentia Ambaxiatorum comunis Mediolani, et potestatis Alexandrie quod dictum comune Ast paratum erat observare sententias latas a comuni Mediolani inter ipsos Astenses et dictos Alexandrinos, Requirendo quod easdem sententias per dictos Alexandrinos faciant pariter observarj.* 1228. 11 Januarij.

Anno domini Millesimo ducentesimo vigesimo octavo Indictione Prima die martis undecimo intrantis Januarij In presentia domini Mudalbechi et domini Resonati de pozobonello ambaxiatorum comunis Mediolani et domini Bochacij Breme Alexandrie potestatis et plurium sapientum ibi congregatorum et infrascriptorum testium, dominus Guillelmus Cassanus et Robaldus Gardinus sindici comunis Astensis dixerunt et protestati fuerunt nomine ipsius communis quod attenderent et observarent sentenciam sive sentencias interpretationem sive interpretationes datas et latas a comuni Mediolani, et si quid deest attendendum dixerunt et protestati fuerunt quod parati erant nomine dicti comunis Astensis attendere et adimplere secundum formam et tenorem sentenciarum et interpretationum latarum et factarum a comuni Mediolani, postulantes a dictis ambaxiatoribus Mediolani quod attendi faciant a comuni Alexandrie ea que in dictis sentencijs et interpretationibus continentur, et specialiter in captorum deliberatione. Actum in Campanilio sancti Petri de Alexandria, interfuerunt testes Jacobus Tresoldi, Octo Rubeus, Guido de donnabona de Alexandria et Guillelmus Cacayranus, Rollandus Cazo, Albertus Crivellus et Millo de Cherio.

Et Millo de Salucio notarius scripsit.

988. *De quibusdam iuramentis factis per Ubertum Comitem de Blandrato de iuvando Astenses pro eis quamplura faciendo.*

. . . . . .

. . . . . .

989. (*Fragmentum conventionis inter Robaldum de Brayda et Comune Ast.* 1192. 15 Aprilis.

. . . . . .

. . . . . .

partis vel nisi pallam fuerit, Et si cum consilio utriusque partis aliquod melioramentum in hoc pacto additum fuerit utraque pars observare teneatur, Et hoc pactum et conventum totum ut supra legitur predictus Robaldus de Brayda iuravit ad sancta dei evangelia attendere usque ad septem annos, et plus tantum quantum fuerit in concordia cum Astensibus, Salvo Imperatore, et salvo domino Guillelmo de lucerna, et salvis dominis Manciannj et Sarmatoris et Montisfalchonj ad sua defendenda. Similiter Astenses de credentia quorum nomina subterleguntur, hoc totum quod supra legitur observare iuraverunt, salvis omnibus sacramentis eorum pro communi Astensi. Nomina credendariorum qui iuraverunt sunt hec Girbaldus de porta, Baiamondus Careocius, Scarampus, Rodulfus durnasus, Jacobus Trosellus, Oddo Capa, Rollandus de Solario, Ardicio Maronus, Jacobus Cavazonus, Obertus pulsavinus, Robaldus Nasel,

Otto de Sicardo, Rolandus Crivellus, Vivianus de Fontanna, Jacobus Judex, Berrardus Bertramus, Gualla Falletus, Arnaldus de Placia, Ubertus Judex, Ardicio Ottinus, Marchisius Cavicula, Maynfredus de placia, Robaldus Mastorcius, Otto Vola, Obertus de Stoherda, Guillelmus Sylvaticus, Rolandus Bergogninus, Jacobus de Rohat, Mussus de Curia, pipinus de Santoiuliano, Gualla (Ro)tarius, Jacobus Thomas, Jacobus palius, Rogerius de Curia, Ardicio Ber....., henricus Soldanus, homodeus Trosellus, et Rodulfus Wardalos, Et hoc iuraverunt observare usque ad septem annos, et tantum plus, quantum Astenses fuerint in concordia cum Robaldo de brayda, salvo Imperatore et omnibus eorum sacramentis pro comuni. Et hoc pactum et conventum Astenses facient ei iurare firmum tenere per eorum missum in concione. Actum urbe Aste in refectorio canonicorum sancte Marie de domate Anno domini Millesimo centesimo nonagesimo secundo Indictione decima die mercurij decimoseptimo kallendas Madij. Interfuerunt testes Obertus Comes grassus de Coconata, Maynfredus Advocatus de Montecucho, Obertus de Rivalba, et Guillelmus Sclasus de Aglano.

Ego Jacobus Boviculus notarius pallatinus interfui et inde duas cartulas in uno tenore per alphabetum divisas sic scripsi.

990. *De decreto generali Reverendissimi in Christo patris et domini domini Johannis Vicecomitis dei gratia Archiepiscopi et generalis domini Mediolani, ac domini Ast etc., transmisso potestati consilio et comuni civitatis Ast pro officialibus in fine suorum officiorum legitime sindicandis etc. Et primo de litteris quibus includebatur huius tenoris.* 1353. 28 Februarij.

Joannes dei gratia Archiepiscopus et generalis dominus Mediolani etc. Nobili militi domino potestati Consilio et communi civitati nostre Ast. Quoddam decretum per nos factum vobis mittimus per exemplum presentibus interclusum, Mandantes vobis quatenus ipsum nostrum decretum observetis et faciatis inviolabiliter observari et per terras et districtus nostri Ast publicari ubi credideritis expedire. Datum Mediolani die vigesimo octavo februarij.

Tenor decreti.

Nos Joannes dei gratia Archiepiscopus ac generalis dominus Mediolani Ast etc. communium civitatum terrarum castrorum burgorum villarum et locorum nostrorum cupientes semper utilitates et commoda pro viribus pertractare, et eorum conservationi in quantum nobis possibile est secundum occurrentia providere, Tenore presentium statuimus volumus decernimus et mandamus quod universi et singuli potestates, Capitanei, Rectores, Vicarij et alij quicunque officiales nostri quarumlibet civitatum terrarum castrorum burgorum villarum et locorum nostre iurisdictioni suppositarum et suppositorum teneantur et debeant cum tota eorum familia secundum formam statutorum dictarum civitatum terrarum castrorum burgorum villarum et locorum in fine suorum officiorum stare ad sindicatum, et de gestis et administratis per eos bonam reddere rationem, Ac in ipsis civitate terra castro burgo villa seu loco ubi suum gesserint officium legitime sindicentur per illum vel illos sindicatores per ipsa nostra comunia ad hoc electos seu etiam eligendos, seu per quem ipsos officiales

mandaremus per nostras literas sindicari debere, Et quod ipsi et eorum quilibet omnes condemnationes factas et fiendas per eos tempore sui regiminis, de quibus bonas et ydoneas recipiant securitates, totaliter exigere debeant et teneantur. Alias autem si propter dictorum nostrorum officialium negligentiam vel defectum securitatum huiusmodi condemnationes facte remanserint inexacte volumus et nostra intencio est quod per illum seu illos sindicatores quem vel quos predictos officiales duxerimus sindicandos in eorum salarijs computentur et totaliter debeant computari. Mandantes universis et singulis nostris officialibus et subditis quibuscumque, quatenus dictum nostrum decretum seu statutum observent et faciant inviolabiliter observari, In quorum testimonium presentes fieri iussimus et registrari nostrique sigillj munimine roborarj. Datum Mediolani MCCCLIII° die XXVIII° februarij VI^a Indictione.

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 01355 0124